R. P. PETRI
ANNATI
APPARATUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM.

APPARATUS
AD
POSITIVUM THEOLOGIAM
METHODICUS,

In quo jam reviso multùmque ditato,

CLARA, BREVIS, & EXPEDITA DELINEATUR
Idea positivæ & scholasticæ Theologiæ, Scripturæ sacræ, Traditionis divinæ, sanctorum Ecclesiæ Patrum, sacrorum Ecclesiæ Conciliorum, Pontificiarum Ecclesiæ Decisionum, necnon variis temporibus & variis in locis ortarum in Ecclesia hæresum.

AUCTORE R. P.
PETRO ANNATO,
Congregationis Doctrinæ Christianæ
Generali Præposito.

Editio quarta expurgata, accuratior & auctior.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS, MDCCXVII.
E Typographia Balleonii.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

SAcerdoti Magno, Ordine Melchiſedech;
Pontifici Maximo, Dignitate Aaron;
Principum Arbitro, Auctoritate Moyſi;
Populorum Patri, Patriarchatu Abraham;
Paſtori Univerſali, Cathedrâ Petro;
Epiſcopo OEcumenico, Unctione Chriſto;

Denique

Doctori Orbis,

Dei & Domini Scientiarum

Vicario,

Primario & Supremo Theologo,
Fideli Depoſiti Scripturæ Cuſtodi,
Juſto Traditionis Sacræ Vindici,
Veridico Sanctorum Patrum Interpreti,
Legitimo Sacrorum Conciliorum Capiti,
Genuino Pontificiarum Definitionum Auctori,
Primo Hæreſum omnium Judici,

CLEMENTI UNDECIMO,

Theologiæ Poſitivæ Apparatum,
Divinæ Scripturæ Ideam,
Sacræ Traditionis Analyſim,
Sanctorum Patrum Compendium,

Sacrorum Conciliorum Epitomen,
Pontificiarum Definitionum Rationem,
Hæresum omnium Confutationem,
Sanctissimis genibus advolutus,
Post debita pedum oscula,
Humiliter defert, & reverenter offert,
Ad mentem Auctoris,

Joseph Boriglioni
Congregationis Doctrinæ Christianæ,
Parochus sancti Nicolai Incoronatorum de Urbe.



PRÆFATIO

POSITIVÆ THEOLOGIÆ CANDIDATO,

LECTORIQUE BENEVOLO.

Tibi ſe denuò ſiſtit, candide Lector ac benevole, noſter ad Poſitivam Theologiam Apparatus, quem longè auctiorem facit & locupletiorem, meum tuæ utilitatis, imò dicam voluptatis ſtudium & deſiderium. Gratiorem, ut puto, Tibi faciet in majori rerum copia ipſa brevitas, & in tanta argumentorum varietate methodica & uniformis concinnitas. Tutiorem haud dubiè illum invenies in hac quarta editione, quippe qui ſub ſummi Pontificis auſpiciis benevola manu recuſus ſub protectione Dei Terræ commorabitur, ut poſſit quoquò liberè excurrere. Scito autem quòd etſi auctior & ditior factus, à ſuo Inſtituto nullo modo eſt immutatus, aut à primævo propoſito devius. Te ſiquidem rurſus ad Poſitivam Theologiam ita vocat, ducit & aptat, ut Te tamen non à Scholaſtica quaſi poſtpoſita, aut poſtponenda retrahat: illam proponit Tibi, iſtam ſupponit, neutram poſtponit; utramque ſuadet, utramque laudat, neutram præfert, neutram ſemovet. Illos ſolùm increpat & arguit, qui dum Tibi ad Poſitivam, methodicam paro viam, Scholaſticam à me quaſi poſtpoſitam & ultimò valere juſſam imprudenter & falsò ſuſurrant, indéque eam quaſi proſcriptam, inutilem & antiquatam perperàm & falsò rati, convitiis onerant, & ſoli Poſitivæ quaſi recentiori pariter & utiliori vacandum incla-

inclamant, idque passim & indefessè, opportunè, importunè, clam & palam, rudibus & imperitis, tyronibus & candidatis imprudenter inculcant: ex quo fit magno Ecclesiæ Catholicæ dispendio, & plaudentium Hæreticorum voto, ut à Scholastica quasi despecta, vili prorsus & inutili deterreantur multi, & ad Positivam, utpotè quia vastam nimis, nimisque diffusam rati, auxilii, methodi, librorumque persæpè defectu audeant contendere pauci. Quorum exemplo ne movearis & Tu nobilis & ingenue utriusque Theologiæ Candidate; & audiant tandem illi *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, quæ sit tam Positivæ quàm Scholasticæ Theologiæ natura, quæve inter utramque quasi consanguinea, familiaris & perantiqua necessitudo, societas & inviolabilis unio. Ad Te iterùm ideò redit noster hic ad Positivam Theologiam Apparatus septem in Libros partitus, ut obiter & cursim Tibi genuinam utriusque Theologiæ depingat naturam, & Scholastica non postposita, sed fideliter & studiosè retenta atque summè laudata, methodicum ac facilem Tibi pandat ad Positivam aditum, eoque ordine, ut

In primo Libro, quasi procemiali, breviter ostendat & lucidè, quæ sit utriusque Theologiæ natura? quid sit Positiva? quid Scholastica? num sufficiat alterutra? quid propriè Theologica doctrina? quid doctrina Catholica? quid doctrina fidei? quid Articulus fidei? quid & quàm multiplex ac varia directè vel indirectè fidei nociva doctrina? quid sit hæretica vel erronea, sapiens hæresim vel hæresi proxima? quid temeraria, schismatica, scandalosa, piarum aurium offensiva, vel simplicium seductiva? quid impia, blasphema, judaica, pagana, athea, & alia quocumque modo fidei repugnans doctrina? & in fidei dubio vel controversia, solam Ecclesiam audiendam esse, ut legitimum controversiæ judicem asseret; Ecclesiam, inquam, non qualemcumque, non Judaicam, non Mahometanam, non Calvinisticam falsi nominis reformatam; sed Ecclesiam unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam, videlicet Romanam, quam toties commendat Scriptura sacra, sicut & vicissim Scripturam sacram toties Catholica commendat Ecclesia, secluso quocumque vitioso Calvinistarum circulo.

In

In ſecundo Libro de divina Scriptura diſſeret, & paucis multa dicet, aperiens imprimis, quid ſit, & an verè exiſtat aliqua Scriptura verè divina? quibus in Libris reperiatur expreſſa? qua via fuerit à Deo ad hominem ſcripta? quid ſit, & quotuplex lateat ejus ſub littera quaſi ſub cortice ſenſus? quæve ad genuinum ſenſum aſſequendum obſervandæ regulæ? Explicabit inſuper apparentia ejus mendacia varia, contradictiones apparentes multiplices, obſcuras vel figuratas dictiones aliquas, hebraiſmos inſigniores atque præcipuos, humana nonnulla, ut membra de Deo in Scripturis perſæpè dicta, pleraque obſcura alia, vel apud nos inuſitata, qualia ſunt v. gr. Antiquorum pondera, monetæ, menſuræ atque vaſa paſſim in divinis Scripturis obvia, dubiaque tandem diſcutiet ac reſolvet aliqua circa celebriora nonnulla hiſtorica divinæ Scripturæ facta.

In tertio de Traditione loquens, paucis aperiet quid ſit, & quotuplex Traditio? quid Divina? quid Apoſtolica? quid Eccleſiaſtica? Regulas proponet idoneas & faciles quibus Divina ſecernatur ab Apoſtolica, & ab utraque illa diſtingui poſſit Eccleſiaſtica; quæretque an verè divina exiſtat Traditio aliqua? an verè fuerit olim aliqua in lege Naturæ; an & apud Judæos in lege Moſaica? & quid fuerit apud illos Oralis Traditio? quidve *Miſchna*? quid *Gemara*? quid *Talmud*? quid *Maſſora*? quid *Kabala*? Et tandem ex Traditionis occaſione, ſparſim diſperſa colligens multa, paucis exponet varia illa & antiqua nomina, quæ bulliente perſecutione traduntur olim Chriſtianis impoſita, & quibus hi qui fortes erant in fide, dicebantur alii *Martyres*, alii *Confeſſores* & *Extorres* alii. Qui verò in idololatriam à fide lapſi erant, alii *Thurificati*, alii *Sacrificati*, alii *Libellatici*, & *Traditores* alii. Qui denique poſt lapſum à fide, Canonicæ Pœnitentiæ jugum ſubibant, alii dicebantur *Flentes*, alii *Audientes*, alii *Proſtrati*, & denique *Conſiſtentes* alii. Quid autem illa quæque ſignificent, ſingulatim aperiet, ubi & de Exomologeſi, de Impoſitione manuum, de Reconciliatione, de Communione multiplici, videlicet de Eccleſiaſtica, de Laica, de Peregrina, necnon de Eulogica & Agapica pauca dicet.

In quarto, de ſanctis Eccleſiæ Patribus ac Doctoribus agens, ut oſtendat quinam ſint Eccleſiæ Doctores, quinam

Patres

Patres Ecclesiæ dicendi, dicet prius quid discriminis sit inter esse Doctorem in Ecclesia, & esse Doctorem Ecclesiæ? quidve inter Ecclesiæ Doctorem, & Ecclesiæ Patrem? inquiret posteà, quæ sit singulorum, quæve omnium simul sumptorum Ecclesiæ Patrum auctoritas; & an infallibilis vel non, in discernenda fidei doctrina? quid singuli præcipuè gesserint vel scripserint, & ubi, quando, cur & quomodo; quæ singulorum genuina vel supposititia dicantur opera? quæve illis vel verè, vel falsò imputentur errata? Quæ denique in sanctis Ecclesiæ Patribus cum fructu & reverentia legendis sint observandæ regulæ, breviter ostendet.

In quinto, qui de sacris Ecclesiæ Conciliis inscribitur, & quatuor in partes sive sectiones partitur, aget in prima sectione de Conciliis in communi; aperiens imprimis quid sit sacrum Ecclesiæ Concilium in genere, & quotuplex in specie? quid provinciale? quid nationale? quid generale? quid œcumenicum? à quo convocandum, quo præside, & à quibus de jure celebrandum? an Concilii, cujus, & in quibus infallibilis sit auctoritas? In secunda sectione, singula percurret, & summatim describet Apostolica Concilia. In tertia, de Conciliis œcumenicis post Apostolorum tempora celebratis aget, & singulorum sessiones & acta paucis enarrans singulorum Canones referet atque decreta. In quarta denique sectione, singulatim particularia describet Concilia in causa præcipuarum hæresum diversis temporibus habita.

In sexto de Pontificiis Ecclesiæ definitionibus inscripto, ut clariùs pateat quid sit Pontificia, seu Ecclesiastica definitio, sive constitutio, priùs aperiet & breviter Constitutionis cujuscumque genus, ostendens quid sit jus in genere, & quotuplex in specie? quid naturale? quid divinum? quid humanum? quid antiquum? quid novum? quid commune? quid particulare? quid speciale Gallicum? quid Germanicum? quid concordatum Gallicanum? quid Germanicum? quid lex Salica Francorum? quid Imperialis aurea Bulla Germanica? quid Pragmatica Sanctio? quid Capitularia Regum? Quod inter Constitutionem, Sanctionem, Decretum, Decretale & Canonem; vel inter Mandatum &

Interdictum, Rescriptum, Bullam & Breve discrimen? Inquiret insuper an & quæ infallibilis sit Ecclesiæ definitio? an genuinæ sint, quæ circumferuntur antiquorum Pontificum ante *Siricium* decretales Epistolæ? an genuinæ Constitutiones Apostolicæ *Clementis* nomine vulgatæ? an genuini vel supposititii Canones Apostolorum vulgò dicti? Quæret insuper an Romanus Pontifex universalis dici possit Episcopus? an defecerit à fide in Antichristum mutatus, sederitque pro Papa quædam olim Papissa Joanna? & sub quo Romano Pontifice, in Gallias primò venerit Christi Religio sancta? & ex occasione tandem fusè differet de Eminentissimo Papæ Senatu, vulgò sacro Cardinalium Collegio nuncupato.

In septimo denique Libro de hæresibus agens, hæreses ab ortu percurret omnes, deteget breviter, cursimque refellet; idque ut fiat memoriæ levandæ gratia & ad studentium praxim & usum accommodatiùs, non sæculorum, sed tractatuum Theologicorum ordine servato, eas primùm attinget hæreses, quæ à primis Ecclesiæ cunis ad nostra usque tempora fuere grassatæ circa Dei naturam, existentiam & attributa. Secundò eas inquiret quæ circa Deum in personis trinum; & deinceps eas quæ circa Angelorum creationem & naturam; illas posteà quæ circa gratiam, circa actus humanos, circa leges, circa Sacramenta; & illas denique, quæ circa Deiparam Virginem, Sanctosque Dei famulos jam in cœlo cum Christo regnantes.

Et ne fortè contingat aliquando Tibi quod passim accidit etiam hodie multis, dum passim turgidis faucibus & anhelis pulmonibus ex pulpito tonant, Concilia citant, Patres laudant, & grandia quæque Auctorum nomina declamant antequam noscant, ideò hìc ad calcem libri cujuslibet clariores Tibi notare juvat Auctores, qui de libri materia scripsêre præcipui, quos adeas, legas & agnoscas antequam cites, aut extollas vel deprimas; sicque ut vides, hoc in Apparatu nostro quantulocumque paucis multa disces, & exiguo temporis intervallo, multorum annorum percurres iter: quæ enim alibi per varia grandiaque volumina repeririuntur dispersa, hìc Tibi paucis modulata depinget brevitas; ac proinde non ingratum, ut puto, texo Tibi quasi

manua-

manuale, in quo molestæ lectionis incommoda brevitatis falce rescindo; nec tamen obscurus fio, dum brevis esse laboro, apprimè callens, gratum & eruditum neutiquam esse quod obscurum, nec obscurum dici quod breve, si methodicum, antiquo præsertim canente Poeta:

Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Rogaverat olim Augustinum Laurentius, ut sibi Enchiridion scriberet aliquod, sive Opusculum mole exiguum de suis manibus nunquam recessurum, quo planè instrui posset, & instructus ex tempore loqui de Deo rectè colendo. En ego non unum, sed in uno septuplex manuale Theologicum trado Tibi, quo facilè valeas & methodicè loqui; de Theologia videlicet ut Theologus, de Scripturis divinis ut his ab infantia plenus, de Traditionibus ut Traditionum testis verus & fidus, de sanctis Ecclesiæ Patribus ut ex illis unus, de sacris Ecclesiæ Conciliis ut in Conciliis sæpè locutus, de Pontificiis Ecclesiæ decretis ut in decernendis consultor auditus, & de hæresibus ut hæreticorum debellator eruditus: sicque prosperè hoc abbreviatum percurras iter, ut scientiam Sanctorum acquiras, quæ tecum perseveret in cœlis, ubi tandem Deum scientiarum videns omnia videas, & valeas.

BREVIS

BREVIS
HOC IN APPARATU LEGENDORUM
INDEX.

IN PRIMO LIBRO.

IN SECUNDO LIBRO.

IN TERTIO LIBRO.

Qui-

IN QUARTO LIBRO.

IN QUINTO LIBRO.

I N D E X.

Art.

IN SEXTO LIBRO.

IN SEPTIMO LIBRO.

Finis Indicis.

APPROBATIO

DD. Bourret, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, Socii, Profeſſoriſque Sorbonici, necnon Librorum Cenſoris Regii.

LEgi nomine ac juſſu Illuſtriſſimi Domini D. Franciæ Cancellarii hunc Librum, qui *Methodicus ad Poſitivam Theologiam Apparatus* inſcribitur, cum omnibus recens ab Auctore additis, quibus nova lux & complementum acceſſit operi jam omnibus viris Literatis noto ac probato: eumdem proinde Librum nunc auctum, in primis Orthodoxum, inſuper autem perutilem his præſertim, qui Elementis Theologiæ addiſcendis incumbunt, & multa paucis geſtiunt percurrere, dignum cenſeo qui juris publici fiat. Datum in Sorbona die 6. Septembris 1704.

G. Bourret.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Apparatus ad Poſitivam Theologiam Methodicus, Auctore R. P. Petro Annato*, non eſſervi coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi e buoni coſtumi, concediamo licenza, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venezia e di Padova.

Dat. li 7. Febraro 1715.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Rif.
(
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

ME-

METHODICUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM APPARATUS.

LIBER PRIMUS.

De utriusque Theologiæ scholasticæ & positivæ natura.

NE in incertum currat, & omni circumferatur doctrinæ vento positivæ Theologiæ Candidatus, discat in primis oportet, quò vadat, quid quærat, quid fugiat vel fugere debeat, seu prænoscat quid sit ipsa, quam ambit, Theologia, quid positiva, quid scholastica, quid sit, in quo fundatur utraque, purum fidei dogma, quid fidei nociva doctrina, quid purè theologica, quid denique propriè dicta catholica, & alia his similia prælibet nonnulla, licèt trita videantur atque vulgaria; ne, his fortè neglectis, aut non attentè prævisis, se alto credens positivæ Theologiæ pelago, incidat interdum in *Syllam* hæresis, cupiens vitare *Charybdim* erroris. Quare sit

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit positiva, & quid scholastica Theologia, quodve inter utramque discrimen.

UT statim & ab origine pateat utriusque Theologiæ, scholasticæ videlicet & positivæ natura, necessariò præsciendum occurrit, quid sit ipsa genericè sumpta Theologia; & breviter, cursimque prænotandum, quòd, quamvis hæc græca Theologiæ vox, ex duabus his Θεὸς & λόγος adunata vocibus, nullibi legatur in sacris memorata paginis, primusque sit sanctus Dionysius Areopagita, qui beatos Christi Discipulos legitur appellasse Theologos, dum in suo de Divinis Nominibus libro, de Petro Apostolorum Principe loquens, dixit: *Aderat & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen.* Ex antiquo tamen loquendi modo, & communi loquentium Doctorum usu venit, ut quælibet doctrina, sive sermo, vel ratio de Deo rebusque divinis, soleat, juxta nominis etymon, Theologia dici, & *Theologia* hæc à veteribus, juxta rei naturam, *Dei rerumque divinarum scientia* definiri, & à Theologis hodie communiter dividi in naturalem & supernaturalem: *supernaturalis* in beatam, infusam, & acquisitam: *acquisita* in positivam & scholasticam; & hæc utraque in moralem, polemicam, & mysticam.

Theologia generatim sumpta dividitur,

Naturalis Theologia dicitur ea, quæ est solo rationis lumine parta, qualis est de Deo disserens Metaphysica, qualis & illa quam illi habuere Philosophi, quos Paulus ad Romanos, c. 1. vers. 19. 20. & 21. *Inexcusabiles* dicit, *quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

1. In naturalem & supernaturalem.

Supernaturalis vocatur ea, quæ est supernaturali lumine parta, idque vel per lumen gloriæ, vel per infusionem, vel per fidem & discursum, sive per revelationem virtualem, unde in beatam, infusam, & acquisitam dividitur.

Beata, seu Beatorum propria, Theologia dicitur, si sit per lumen gloriæ parta, & nihil est aliud, quàm clara & intuitiva Dei, rerumque divinarum per lumen gloriæ cognitio, & de qua intelligendus beatus Paulus, dum 1. ad Cor. c. 13. v. 12. ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Quæque si sit cognitio rerum in verbo, dicitur *matutina*; si cognitio rerum in proprio genere, & extra verbum, *vespertina*; si denique spectetur, ut est cognitio ipsius essentiæ divinæ in ipsamet essentia divina, quia clara est sicut meridies, *meridiana* vocatur.

2. Supernaturalis in beatam, infusã & acquisitam.

Infusa verò dicitur, si sit per infusionem parta, qualis fuit ea, qua divinitùs perfusi, & Spiritu sancto pleni *cœperunt loqui magnalia Dei* beati Christi Discipuli, primarii nascentis Ecclesiæ Theologi. De quibus dicitur Act. c. 2. v. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

Acquisita denique, seu proprio labore parta, atque *discursiva Theologia* dicitur, si sit per fidem & discursum ex revelatis & fide divina creditis concludentem, qualis est ea, qua qui præditi sunt nostri vulgò dicuntur hodiè Theologi, & de qua, quia viatorum propria, hìc nobis potissimùm quæstio, quæque propriè loquendo nihil est aliud, quàm quædam ex principiis revelatis, & fide divina creditis discursiva scientia, soletque vulgò

una

una in se licèt indivisa manens, dividi in *positivam* & *scholasticam*, & utraque in *moralem*, *polemicam* & *mysticam*. 3. Acquisita in positivam & scholasticam.

Positiva dicitur, dum suas discurrendo conclusiones probat per *principia positiva*, hoc est per principia quæ non probantur, sed supponuntur & creduntur, qualia sunt ea, quæ desumuntur ex verbo Dei scripto vel tradito, nobisque per Ecclesiam proposito; est enim Dei verbum *fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, ultra quod nemo potest aliud ponere*, & supra quod fundantur Theologiæ nostræ principia; fundatur consequenter & ipsa Theologia nostra. *Ad Eph. c. 2. v. 20.*

Scholastica verò sic hodie dicta, quòd in Scholis tradatur atque discatur, eadem est in re, idemque præstat ac *positiva*, diverso tamen modo, à Scholæ Magistris successu temporis inducto, majori videlicet cum methodo, hoc est, accuratiùs, subtiliùs, & ad artis syllogisticæ regulas accommodatiùs, suasque conclusiones interdum, & per accidens, extraneis confirmans & illustrans argumentis, ut sic faciliùs, iis, qui de foris sunt, catholicam persuadeat fidem, & omni poscenti de ea quæ in nobis est fide, rationem reddat.

Moralis utraque tam positiva quàm scholastica dicitur, si morum informationem attingat, hoc est, si ad informandos hominum mores tendat. 4. Tam positiva quàm scholastica in moralē, polemicam & mysticam.

Polemica verò, sive controversa vocatur, si de rebus controversis, sive contra infideles, sive contra fideles agat.

Mystica denique, sive affectiva dici solet, dum affectus in Deum dirigit & movet, seu dum ad movendos in Deum affectus tendit. His ita positis,

CONCLUSIO.

Dico, *utramque Theologiam, positivam & scholasticam, esse unam & eamdem essentialiter scientiam, solo accidentali quodam procedendi modo diversam.*

Probatur 1. Quia utraque tam positiva quàm scholastica, cùm sit acquisita Theologia, & viatorum propria, est ex principiis revelatis & fide divina creditis discursiva scientia, cum hoc solo discrimine, quòd scholastica procedat subtiliùs, accuratiùs, & majori cum methodo: ergo non essentialiter & specie differt à scholastica, positiva, sed in illo solo subtiliùs & accuratiùs, & majori cum methodo procedendi modo. Sed procedendi modus ille utrique accidentalis est; ergo in solo accidentali procedendi modo differt à scholastica, positiva. Positiva & scholastica non differunt specie.

Pr. 2. Quia duæ illæ facultates, sive scientiæ non differunt essentialiter & specie, quæ idem respiciunt objectum, quæ eadem habent quibus nituntur principia; sed positiva & scholastica Theologia idem respiciunt objectum, videlicet Deum, ut gratiæ auctorem, per revelationem & fidem cognitum, habentque principia, quibus nituntur, eadem, easdem scilicet fidei assertiones, sive veritates à Deo revelatas, sive scriptas, sive non scriptas, è quibus suas, utraque per discursum, conclusiones educit, suo licet, sed accidentali diverso modo: ergo positiva & scholastica Theologia essentialiter & specie non differunt, sed accidentali duntaxat illo procedendi modo.

Pr. 3. Habitus, ut vulgò dicitur, non multiplicantur specie, nisi tollendæ seu superandæ multiplicentur difficultates essentiales. Atqui respectu positivæ & scholasticæ Theologiæ, non multiplicantur essentiales tollendæ

seu superandæ difficultates, sed solùm accidentales; cùm utraque sit ex revelatis, & fide divina creditis, discursiva scientia, verseturque circa idem objectum, cum hoc solo discrimine, quòd scholastica subtiliùs, accuratiùs, & majori cum methodo procedat, quod quid accidentale est: ergo nec multiplicantur habitus essentialiter & specie, ac proinde unus idemque specie habitus est, unaque specie scientia *positiva* & *scholastica* Theologia, solùmque accidentaliter & quoad modum, vel ad summum in se virtualiter distincta.

Objicies 1. *Positiva* Theologia pacifica est, non argumentativa, non rixosa, non litigiosa; scholastica econtrà nedum, quasi apis argumentosa, sed tota argumentis hirsuta, rixis, litigiisque plena; ergo positiva essentialiter & specie differt à scholastica. Resp. neg. ant. ratio est, quia si argumentativa non esset positiva Theologia nostra, & viatorum propria, verè Theologia non esset, nec à fide differret, cùm de ratione Theologiæ nostræ & viatorum propriæ sit discurrere, & per hoc differat à fide, quòd *fides* res à Deo revelatas sine discursu credat; *Theologia* verò ex revelatis discurrat, seu alias veritates, ex revelatis, per discursum inferat & concludat: ergo vel Theologia verè non est, vel argumentativa est, atque discursiva ipsa etiam positiva Theologia. Primum dici nequit; ergo secundum.

Instabis. Positiva ideò sic Latinè dicta à positionibus, sicut Græcè *thetica*, à thesibus, quia jus positivum divinum, seu legem divinam in sacra Scriptura jam positam considerat: *thesis* enim apud Aristotelem sententiam ratam, positam & fixam significat; ergo in sola volvenda & interpretanda Scriptura sacra sistit, nec extrà, argumentando vel discurrendo, vagatur positiva. R. permisso ant. neg. conseq. quia etsi solum jus positivum consideret, & inde eam positivam dici opinentur aliqui, tamen non inde sequitur eam in sola Scriptura sistendo, versari, & non extra sacræ Scripturæ limites argumentando & discurrendo vagari. 1. Quia jus positivum divinum non in sola coarctatur Scriptura sacra; datur enim & aliud jus positivum divinum, non scriptum quidem, sed traditum, quod pariter respicit & ipsa *positiva* Theologia. 2. Quia licèt jus positivum, sive scriptum, sive traditum, consideret ipsa positiva Theologia, non illud eodem modo respicit, quo fides, nudè videlicet & simpliciter revelatas veritates in eo contentas credendo; sed ex iis fide infusa creditis, alias per discursum inferendo, ac consequenter argumentando. 3. Quia cùm jus illud, sive scriptum, sive traditum, sæpè dignosci nequeat, quia latentes sæpè traditiones, quia obscurus sæpè Scripturæ sensus, nisi consulatur sanctorum Patrum doctrina, & audiatur definientis Ecclesiæ judicium, ideò consulat Ecclesiæ Patres Theologus, & audiat Ecclesiæ mentem necesse est, ut ex illis argumentando, suas è jure illo positivo, sive scripto, sive tradito, conclusiones confirmet, suadeat & illustret.

Objicies 2. Scholastica Theologia ex naturalibus principiis sæpè argumentatur & discurrit: essentialiter ergo & specie à positiva differt, quæ suas semper ex revelatis principiis & fide infusa creditis conclusiones educit. R. 1. perm. ant. neg. conseq. quia non id per se & primariò, sed per accidens & secundariò dumtaxat præstat interdum scholastica Theologia; primariò enim & per se suas è revelatis principiis conclusiones educit, sicut & ipsa positiva. Sed quando illi pugnandum est contra Atheos, v. g. Paganos, vel alios quoscumque Scripturæ, Traditionis, & Ecclesiæ auctoritatis

tatis hostes, ad rationem naturalem, Philosophiam, aliasque recurrit disciplinas, easque ad arcem vocat & ad auxilium ut ancillas; nec mirum, *Sicut*, monente Paulo, 1. ad Cor. c. 12. v. 21. *non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarii*; ita nec aliis interdum disciplinis quantumvis inferioribus & extraneis Theologia nostra. 2. Addi potest quòd si extraneis, puta philosophicis interdum utatur argumentis scholastica Theologia, id non Theologiæ, sed Theologo, imò nec Theologo ut Theologo, sed Theologo ut Philosopho tribuendum.

ARTICULUS II.

Num sufficiat positiva, & superfluat scholastica Theologia.

QUemadmodum 1. Reg. c. 13. v. 19. expugnatis olim Gabaonitis, sedulò cautum est à victoribus Philisthæis, *ne faber ferrarius inveniretur in omni terra Israel, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam, & inveniretur ensis in die prælii*; sic post ejuratam & calcatam Ecclesiæ fidem, ut scholasticam Theologiam, qua, *S. Augustino teste* 14. *de Trin. c.* 1. *Fides gignitur, nutritur, defenditur & roboratur*, abolere conarentur Hæretici, & inter alios præsertim Vvicleffus, Lutherus, Calvinus, Melanchon, cæterique conjurati ejusdem hæreticæ militiæ viri, scholasticæ bellum indixere crudele, & Scholis ac scholasticis quibuscumque catholicis calumniari cœpere. Vocat enim Scholas nostras Cainitica castra *Vvicleffus*, lupanaria *Lutherus*, conventus idololatriæ & impietatis scholas *Calvinus*; scholasticam verò Theologiam, nedum profanam, ut *Melancthon*, sed negotium perambulans in tenebris vocitat *Kemnitius*: uno verbo quotquot invenere scholasticæ Theologiæ libros, publico tradidere rogo *Vvitembergenses* olim hæretici an. 1520. sperantes inde paulatim futurum, nullum tandem aliquando in Ecclesia repertum iri scholasticæ Theologiæ gladium, in die prælii sibi cum Catholicis fortè futuri, nullosque tandem, à quibus toties devicti, scholasticos futuros esse Theologos. Cùmque Hæreticis istis, hac in re, non parum favere videantur nonnulli zelotæ Catholici, qui scholasticam plus nimio deprimentes, soli positivæ quasi sufficienti vacandum tyronibus incautè suadent; ideò contra hos & istos, rei veritas ut constet & elucescat,

CONCLUSIO.

Dico, *nec sufficere Theologo positivam sine scholastica, nec scholasticam sine positiva, sed utramque utilem, utramque necessariam, sufficere neutram.*

Pr. 1. ex ipso Theologi officio: *Oportet* enim in primis Theologum, sicut & *Episcopum amplecti eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari, & eos qui contradicunt arguere.* Rationem addente Paulo ad Titum c. 1. v. 11. Quia *multi sunt docentes quæ non oportet*; infideles quippe multi, Judæi non pauci, Hæretici varii. 2. Debet insuper juxta S. Petri monitum Epist. 1. c. 3. v. 15. paratus esse *ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe.* 3. Denique debet ex Sapient. c. 8. v. 8. *scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum.*

rum. Atqui non potest Theologus hoc implere munus sine scholastica; non potest siquidem tam multiplex contradicentium hostium genus redarguere, nec omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe reddere, sermonum versutias, aut dissolutiones argumentorum scire, quantumvis positivæ Theologiæ fultus præsidiis, nisi illi succurrat scholastica, quæ sola doctè & apposite argumentari, arguere, rationem omni poscenti reddere, versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum scire novit: non sufficit ergo Theologo, sine scholastica, positiva Theologia.

Non sufficit positiva sine scholastica, nec scholastica sine positiva.

Probatur 2. Eo ferè modo sufficit Theologo positiva, sine scholastica, Theologia, quo militi sufficiunt arma, sine bellandi peritia; arma enim tam offensiva quàm defensiva, ex Scriptura, Traditione, & Ecclesiæ auctoritate deprompta, ministrat quidem Theologo positiva. Sed Theologi manus docet ad prælium, & digitos ejus dirigit ad bellum scholastica, versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum scire docens. Atqui militi non sufficiunt arma sine bellandi peritia; miles enim rudis & imperitus, hoc est bellandi peritia destitutus, quantumvis omni armorum genere munitus, ad primum sæpè cadit hostis aggressum: ergo nec Theologo sufficit sine scholastica positiva Theologia, cadetque sæpè varios in errores, quantumvis positivæ munitus armis, sine scholastica dirigente, Theologus, sicut multi imperiti alii, qui *naufragaverunt circa fidem, erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa*.

Pr. 3. Si inutilis esset scholastica, & sola sufficeret positiva Theologia, non eam ut utilem commendaret, sed potiùs ut inutilem reprobaret Ecclesia. Atqui longè abest ut eam reprobet, sed potiùs econtrà multùm commendat Ecclesia, ut constat 1. ex Conc. Lateranensi IV. in quo magnificè laudata & approbata Petri *Lombardi* scholastica docendi methodus: damnatus econtrà ejus impugnator *Abbas Joachimus*. 2. ex Viennensi œcumenico pariter Concilio, in quo Concilii Patres tanti fecere scholasticos Theologos, ut in quæstione de Baptismi parvulorum effectu, majorem sui temporis scholasticorum partem sequendam esse decreverint. 3. ex variis Summis Ecclesiæ Pontificibus, qui multò accuratiorem & ampliorem S. Thomæ scholasticæ Theologiæ Summam laudarunt & approbarunt, inter quos *Urbanus IV. Innocentius VI. Joannes XXII.* 4. ex Cardinalium Congregatione sacra, ad interpretandam Concilii Tridentini mentem præposita, dum in Notis *sess.* 5. *de reformatione cap.* 1. *num.* 16. eos qui scholasticam docent Theologiam, Tridentino satisfacere Concilio, circa lectionem Scripturæ sacræ, declarat. Non est ergo inutilis, sed utilis potiùs, & ut talis ab Ecclesia laudata, scholastica Theologia.

Pr. 4. Si inutilis esset & superflua scholastica Theologia, non diceret S. Augustinus eam plurimùm valere ad quælibet penetranda & dissolvenda quæstionum genera; nec assereret eam esse per quam fides catholica in infidelibus gignitur, nutritur, defenditur & roboratur. Atqui hoc utrumque de scholastica Theologia asserit sanctus Augustinus; 1. quidem dum lib. 2. de doctrina christiana c. 31. ait: *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimùm valet, tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium*. 2. verò dum lib. 14. de Trinit. c. 1. eam esse dicit, per quam *fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Ergo ex S. Augustino non inutilis est, sed utilis potiùs & necessaria scholastica Theologo, nec sufficit ei sine scholastica, positiva.

Pr. 5.

Pr. 5. Si inutilis Ecclesiæ & Religioni defendendæ scholastica Theologia, non illius ubique toto litterarum in orbe vigeret usus, non illam excolerent sine dubio universæ orbis Academiæ, non illam excoluissent & probassent quotquot iis in Academiis floruere celebres sua doctrina viri. Atqui viget illius ubique usus, illam universæ probant & excolunt Academiæ, probant & excolunt adhuc hodie quotquot in his florent viri eruditione magni, quos hìc recensere longum foret, tædioque plenum. Non est ergo inutilis, sed Ecclesiæ necessaria scholastica Theologia, ac proinde sola non sufficit Theologo positiva, sicut nec sine positiva sufficit scholastica, ut satis per se patet.

Nam sicut nequit esse sine fundamento domus, ita nec sine positiva stare potest scholastica, in positiva siquidem fundatur scholastica; unde positiva fundamentalis Theologia à nonnullis vulgò vocata, & meritò. Habet enim à positiva, scholastica, fundamenta seu principia ex verbo Dei scripto vel tradito deprompta, è quibus suas conclusiones educat, ad revinciendas hæreses, pellendos errores, fugandas novitates, & custodiendum contra Hæreticos quoscumque illibatum fidei depositum: ergo nedum non sufficit scholastica Theologia sine positiva, sed nec stare potest sine illa. Utilis ergo utraque, necessaria utraque, sufficiens neutra; Semi-Theologum quælibet sola, illi juncta, perfectum Theologum constituit altera.

Objicies 1. cum Hæreticis. Plura tractat scholastica scitu non necessaria, & ad salutem superflua; ergo superfluit & ipsa. R. dist. ant. Plura scitu non necessaria populis idiotis, ac mulierculis, quarum est in Ecclesia tacere. Conc. Scitu non necessaria Doctoribus & Pastoribus, quorum est, alios in lege Domini erudire, parvulis panem frangere, & eos qui contradicunt arguere. Neg. ant. Istos enim multa scire decet, aliis scitu non necessaria, de quibus proinde cùm agit scholastica, non superflua, sed necessaria potiùs dicenda: alioquin superflua pariter dicenda foret Scriptura sacra, cùm plura hujusmodi scitu non necessaria populis, nec ad salutem spectantia tractet; qualia sunt v. g. quæ de corvo Eliæ, de cane Tobiæ, de asina Balaam, aliaque similia plura in libris Regum expressa. Atqui hoc esset impium asserere, cùm nihil in sacra Scriptura superfluat, redundet nihil, sed omnia ad minimos usque apices sint veneranda, sensibus plena, & mysteriis gravida. Ergo, &c. Addi potest & dici quòd si inanes & superfluæ tractentur interdum in scholastica Theologia quæstiunculæ, id non scholasticæ, sed scholasticorum illa abutentium vitio tribuendum.

Nihil inutile tractat scholastica, sed scholastica abutens scholasticus.

Objicies 2. cum aliis, quibus, quia plus memoriæ quàm judicii, non sapit scholastica Theologia; sed sola factorum historica narratio, in qua positivam sitam esse perperam & ineptè credunt. Omnes hæreses fuere à Philosophis & scholasticis invectæ; unde Philosophi à Tertulliano Hæreticorum Patriarchæ meritò nuncupati: ergo nedum inutilis & superflua, sed odibilis & noxia scholastica Theologia. R. 1. perm. non concesso ant. neg. conseq. Quia etsi à Philosophis & scholasticis nonnullis scholastica abutentibus sua, nonnullæ prodierint hæreses, nullam tamen ab iis prodiisse constat, quam non alii debellarint scholasticæ Theologiæ gladio scholastici viri, quamque non debellent adhuc, quotquot pro Christi fide militant in Ecclesia de Schola Theologi. R. 2. Esto scholastica abutantur Hæretici, suas ut cudant, roborent & tueantur hæreses; anne ideò odibilis & noxia scholastica dicenda? Abutuntur etiam & Scriptura sacra: quandoqui-

dem S. Hilario teste ad Constantium Augustum dicente, *Nemo Hæreticorum est, qui se non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur*. Faciunt quippe Hæretici quod suum patrem Diabolum fecisse vident, inquit Vincentius Lirin. & *auctoris sui callida machinamenta sectantur*, qui Dominum Majestatis ut appeteret & tentaret, olim sacrarum Scripturarum auctoritatem adhibuit, dicens ei, ut habetur Matth. c. 4. v. 6. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Anne ideò Scriptura sacra odibilis & noxia? Absit id nedum asserere, sed & cogitare de Scriptura sacra, cujus verba, verba vitæ æternæ. Absit ergo & quid simile de scholastica Theologia proferre, cujus beneficio, S. Augustino teste, *fides gignitur, nutritur, defenditur & roboratur*. Servandus igitur scholasticæ Theologiæ usus, tollendus abusus; non enim propter bonarum rerum abusum legitimo calumniandum usui: illa, fateor, abutuntur Hæretici; sed illa sapienter & sanctè, contra Hæreticos, utuntur pro fide & Ecclesia Theologi.

ARTICULUS III.

An antiquus sit in Ecclesia scholasticæ Theologiæ usus.

NE antiquum inquirentes scholasticæ Theologiæ usum, inani circumferamur ventosæ disputationis æstu, hic præmonendum occurrit, Theologiam scholasticam bifariàm spectari posse; videlicet primò, secundùm se, abstrahendo à tali, vel tali methodo, qua discurrendo procedit; & secundò, juxta exactam & accuratam methodum, qua traditur, & discitur in Scholis hodie. Quo brevi monito præmisso,

CONCLUSIO.

Dico, *perantiquum esse, & in Ecclesia viguisse semper aliqualem aliqualis scholasticæ Theologiæ usum*; & sic

Pr. 1. Theologia scholastica secundùm se spectata nihil est aliud quàm doctrina sacra, seu scientia ex principiis revelatis, & fide infusa creditis, methodicè discursiva; sive scientia, quæ suas conclusiones methodicè, ex revelatis à Deo, & fide infusa creditis, educit, probat & defendit, abstrahendo à tali, vel tali exacta & accurata, vel non accurata discurrendi methodo. Atqui hujusmodi doctrinæ, sive scientiæ, fuit semper necessarius aliqualis in Ecclesia usus, ac proinde datus, cùm nusquam defuerit Deus in providendis Ecclesiæ necessariis: ergo & aliqualis fuit semper scholasticæ Theologiæ in Ecclesia usus. Probatur minor. Fuit semper in Ecclesia necessaria aliqua fidelium, quoad res credendas, instructio, & necessarii fuere semper aliqui parati ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea, quæ est in Ecclesia, spe; ac proinde & de fide, quæ *est sperandarum substantia rerum*, ut ad Heb. c. 11. v. 1. monet Doctor Gentium Paulus, ut loquitur in sua prima canonica c. 3. v. 15. Princeps Apostolorum Petrus. Atqui ad hujusmodi, quoad res credendas instructionem, & de fide nostra rationem poscenti, satisfactionem, aliqualis scholasticæ Theologiæ usus semper fuit necessarius, cùm hujusmodi fidelium, quoad res creden-

Viguit semper in Ecclesia aliqualis scholasticæ Theologiæ usus.

dendas instructio, & rationem poscenti satisfactio fieri nequeat, nisi aliquali servata methodo; & scholasticæ Theologiæ munus sit, res credendas explicare, & ex illis conclusiones varias methodicè per discursum inferre, probare, defendere, & contradicentes arguere: ergo fuit semper necessarius in Ecclesia aliqualis scholasticæ Theologiæ usus, eritque semper. Unde est quòd dederit Ecclesiæ suæ Christus, juxta Paulum ad Ephes. c. 4. v. 11. Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores aliquos, *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei.*

Pr. 1. Ex ipso Christi, Apostolorum, & sanctorum Patrum usu; illa enim persæpe doctrina sacra, & ex revelatis discursiva scientia, usus est Christus, usi sunt Apostoli, usi sunt & sancti Ecclesiæ Patres. Illa usus est Christus 1. dum Matth. c. 22. v. 42. suam ut probet divinitatem, & se Dei, & non Davidis tantùm filium & purum hominem esse, ex illo Davidis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, sic concludens ait: *Si ergo David vocat eum*, id est Christum, *Dominum, quomodo filius ejus est?* quasi dicens: Christus vocatur à Davide Dominus, ergo Christus non tantùm Davidis filius, & purus homo; sed etiam Filius Dei, ac Deus simul & homo. Illa usus est Christus.

2. Dum ibidem, Matth. c. 22. v. 20. ut Judæis, Cæsari solvendum esse tributum, ostendat, videns impressam numismati imaginem, quærit, *Cujus est imago hæc?* & respondentibus illis, Cæsaris esse, concludens dixit, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

3. Dum ut Pharisæis indissolubilitatem matrimonii probet, & inferat ex illo Genes. c. 2. v. 24. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*, sic Matth. c. 19. v. 6. dicendo conclusit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

4. Dum Lucæ 20. v. 38. contra Sadducæos, animæ immortalitatem & carnis resurrectionem probat, & infert ex eo, quòd Exodi c. 3. *Abraham, Isaac & Jacob* dicantur adhuc viventes, licèt post mortem. Probatque eos viventes adhuc ex eo, quòd ibidem Exodi c. 3. Deus dicatur Deus Abraham, Isaac & Jacob, & non sit Deus mortuorum, sed vivorum, & ex eo quòd non sint viventes secundùm corpus; concludens consequenter eos esse viventes secundùm animam, ac proinde immortalem esse animam: imò & ex eo quòd Deus sit vivorum, & vivere sit totius suppositi ex anima & corpore constituti, indicat concludendum esse, eos adhuc vivere, vel iterùm aliquando victuros & resurrecturos; non primum, ergo secundum; ergo & resurrectionem aliquando futuram.

Illa pariter multoties usus est Doctor Gentium Paulus Apostolus; ut v. g. 1. Epist. ad Rom. c. 11. v. 5. & 6. dum, ut gratiam electionis, non ex operibus esse probet, ex eo quòd si ex operibus esset, jam esset debita, nec posset vocari gratia, sic ait: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Illa usus est Paulus.

2. Dum 1. ad Cor. c. 12. v. 12. & seqq. probat, & infert, non omnes in Ecclesia doctores esse debere, ex eo quòd in corpore eodem diversa oporteat esse membra, officiaque diversa, dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt.... Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus?*

3. Dum 1. ad Cor. c. 15. v. 12. argumentatur, & communem resurrectio-

ctionem mortuorum ex Christi resurrectione concludit, dicens: *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.*

Quòd denique sancti Ecclesiæ Patres illa fuerint multoties usi, nedum recentiores, sed & antiqui, testatur *S. Hieronymus* in catalogo Scriptorum Eccles. dum Marci Euangelistæ temporibus, Alexandriæ Scholas floruisse Theologicas asserit, & in iis post *Clementem* Alexandrinum, *Origenem* Clementis discipulum, docuisse notat in Epist. 64. quæ est ad *Pammachium & Oceanum* data.

Illa usi sunt SS. Patres.

Testantur & ipsa sanctorum Ecclesiæ Patrum scripta, quorum hìc exempla proferre, tædio plenum foret & inutile. Lustrentur inter alia, *S. Justini* pro Christianis apologia, *Clementis* Alexandrini Stromata, *sanctorum Athanasii* & *Hilarii* Pictaviensis in Arianos scripta, *Hieronymi* contra Helvidium, Jovinianum, & Vigilantium opera, *Augustini* contra Academicos, Manichæos, Donatistas, & Pelagianos certamina; & passim ubique notentur, velim, varia, si non exactæ & accuratæ, saltem aliqualis scholasticæ Theologiæ vestigia.

Ergo si Christus, si Paulus, si antiqui Ecclesiæ Patres illa fuere multoties usi, perantiquus est, & viguit semper aliqualis illius in Ecclesia usus; imò & viguit ante Christum, Paulum, & Ecclesiæ Patres, ut sic

Pr. Certum est & indubitatum, primos primorum temporum Patriarchas, primariosque populi ante Christum Rectores, habuisse fidei nostræ, saltem quoad generaliora mysteria, & præcipua capita spectatæ, cognitionem aliquam; alioquin eis impossibile fuisset placere Deo, dicente Paulo ad Hebr. c. 11. v. 6. *Sine autem fide impossibile est placere Deo.* Certum pariter, eos non solùm calluisse præcipua & generaliora fidei mysteria, sed etiam, ex illis, cùm ingenio pollerent eximio, eruditione summa, vitaque fruerentur multò longiori nostra, potuisse per discursum conclusiones educere varias, easque probare suo modo, & contra impugnantes, oppositas solvendo rationes, defendere. Certum denique est hujusmodi sanctos & antiquos Patriarchas, hæc generalia, nedum pro se, sed etiam pro aliis, calluisse fidei mysteria, ut scilicet ea traderent & explicarent aliis, videlicet filiis, posteris, & populis.

Illa usi sunt ante Christum Patriarchæ.

Atqui non est credibile, quòd ex illis fidei mysteriis, conclusiones per discursum educerent, illas contra impugnantes propugnarent, illaque fidei mysteria suis filiis, posteris, & populis explicarent confusè & inordinatè, nulla omninò servata methodo; servabant enim ordinem & methodum aliquam in mechanicis & naturalibus tradendis disciplinis. Cur non servassent in divinis, supernaturalibus & theologicis? Sed ille ordo, illa methodus qualiscumque fuerit, nihil est aliud quàm aliqualis scholasticæ Theologiæ species & forma, etiam juxta scholasticæ Theologiæ hostes, cùm scholastica Theologia propriè loquendo nihil sit aliud, etiam juxta illos, quàm *methodica res divinas tractandi via.* Ergo antiqui Patriarchæ illi, primariique populi ante Christum rectores, aliqualem habuere Theologiæ scholasticæ formam & usum, abstrahendo ab eo quòd fuerit accurata, vel non accurata, scripta, vel non scripta, & ad nos usque per traditionem devoluta, vel non devoluta: ergo, &c.

Objicies 1. Ex communi consensu, ortum suum habuit scholastica

Theo-

Theologia à *sancto Damasceno* circa annum Christi 800. augmentum verò suum à *Petro Lombardo* Sententiarum Magistro, circa annum 1160. & hodiernæ perfectionis statum & usum à *sancto Thoma* Doctore Angelico circa annum 1260. Ergo ante Damascenum nullus erat in Ecclesia scholasticæ Theologiæ usus. Resp. verum esse, ante *Damascenum*, *Lombardum* & *Thomam*, non ita methodicam, exactam & accuratam ac hodie, scholasticam viguisse Theologiam; viguisse tamen semper aliquam, quæ successu temporis vario, varia suscepit perfectionis augmenta. Viguit enim semper aliqua sive perfecta, vel imperfecta, accurata, vel non accurata, scripta, vel non scripta, methodica res divinas tractandi via; ergo & aliqualis, qualiscumque fuerit, scholastica Theologia, licèt illis temporibus nondum scholastica dicta. Occurritur Adversariis.

Objicies 2. Argumentativa Theologia, ac consequenter scholastica, manifestè reprobatur à sanctis Ecclesiæ Patribus, maximè à *sancto Ambrosio*, 1. de fide c. 5. dicente, *Removenda sunt argumenta, ubi quæritur fides, & credimus piscatoribus, non dialecticis*; & à sancto Leone Magno pariter inclamante, *Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat*. Ergo apud sanctos Patres nullus probatus viguit scholasticæ Theologiæ usus. Resp. neg. ant. quod non probant textus allati; non enim ibi loquuntur illi duo sancti Ecclesiæ Patres, *Ambrosius* & *Leo*, de Theologia, quæ scientia est, sed de fide; & contendunt solùm, argumenta, & humana ratiocinia, eo sensu esse removenda & vitanda, ut eis non nitatur fides nostra, nec rationi naturali, potiùs quàm divinæ credat auctoritati. In quo sanè non peccat scholastica nostra Theologia, quamtumvis argumentativa; nam dum argumentis utitur, ratiociniis, atque discursu, ipsa naturali dirigente ratione, ita utitur, ut non utatur ad probandam fidem, sed ad manifestanda alia, quæ traduntur in hac doctrina, ut expresse docet S. Th. 1. q. 1. ar. 8. ad 2. dicens: *Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana: non quidem ad probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina; cùm enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quòd naturalis ratio subserviat fidei; sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati.*

S. Amb. 1. de fide c. 5.

S. Leo ser. 7. de Nat. Dom.

Instabis. Theologica, fateor, non reprobant argumenta sancti Ecclesiæ Patres, sed philosophica, quibus tota scatet scholastica Theologia. Ait enim S. Hieronymus Tertullianum commemorans: *Pulchrè quidam nostrorum ait: Philosophi Patriarchæ Hæreticorum, Ecclesiæ puritatem perversa maculavere doctrina*: Et S. Bernardus in Cant. cant. serm. 58. *Philosophorum ventosa loquacitas, non bonus imber est, qui sterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem*. Ergo scholasticam consequenter reprobant Theologiam. Resp. neg. ant. Theologiam videlicet scholasticam argumentis scatere philosophicis; nullis enim, per se, scholastica Theologia philosophicis utitur argumentis, sed per accidens, tantum: ut v. g. dum contra Ethnicos vel Atheos, (qui nulla alia, quàm discursu naturali, convinci possunt via,) persæpè pugnandi fertur occasio: vel dum, ad hoc, ipsi Theologos impellunt Hæretici, fidei nostræ mysteria, philosophicis impugnantes principiis; quorum ut philosophica diluant argumenta, non mirum, si ad philosophica recurrant argumenta persæpè Theologi; nec illa, sed illorum in theologicis abusum, reprobant sancti Ecclesiæ Patres, quibus & ipsi persæpè contra fidei vel religionis hostes sapienter usi; ut *S. Justinus* in sua

Tertul. l. de anim. c. 3. phil. voc. Patriar. hæret.

pro Christianis Apologia, *Clemens* Alexandrinus in suis Stromatum libris; *Gregorius Nazianzenus* contra Julianum Apostatam, & alii alibi passim, imò & ipse multoties *Gentium Doctor Paulus*; ut v. g. dum 1. ad Cor. c. 15. ut probet non omnes Pastores, nec Doctores esse debere, hoc philosophico nititur motivo, videlicet *quia in corpore oportet esse diversa membra, & si totum corpus esset oculus, ubi erit auditus, ubi odoratus?* Et dum ad Rom. c. 9. v. 21. quærentibus cur Deus aliquos specialiter prædestinet, & non alios, responsurus ait: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem maßa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? &c.* Unde sicut idem Paulus Hebræus Hebræis, & omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret; ita & interdum Theologus fiat, necesse est, Philosophus Philosophis, eos ut convenientiùs faciliùsque lucretur & devincat; *Exhibenda enim cuique sunt, quæ conveniunt & familiaria sunt, ut per propria ad fidem veniat veritatis,* inquit Melchior Canus.

Unde est quòd *Gregorius Thaumat.* rogatus, ad *Tatianum* celebrem de Anima scripsit sermonem, nullis Scripturæ testimoniis, sed solis argumentis ac Philosophicis demonstrationibus usus, misitque dicens: *Jussisti præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis, sive demonstrationibus, sermonem, atque disputationem de anima tibi conscriptam mitterem, eaque in re, nullis Scripturarum uterer testimoniis.*

Unde pariter est quòd Magnus *Athanasius*, sacrilegos divinitatis hostes ut impugnaret olim, ad philosophica recurrit argumenta, teste *Greg. Nazian.* in orat. in laudem Athanasii, inter alia, dicente: *Ac templum quidem sacrilegis hominibus, qui in divinitatis doctrina cauponariam exercebant, ac dogmata de Christo, institorum more, ad quæstum tractabant, repurgat, in hoc quoque Christum referens: nisi quòd non flagello texto, sed probabilibus argumentis, atque ad persuadendum accommodatis.*

Unde & S. Th. loco suprà laudato 1. q. 1. art. 8. ad 2. expresè docet, *quòd etiam auctoritatibus philosophorum sacra Doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus* Act. c. 17. *inducit verbum Arati dicens: Sicut & quidam Poetarum vestrorum dixerunt, Genus Dei sumus; sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis & probabilibus.*

Ex quibus, aliis omissis, satis superque patet, philosophica non semper reprobasse, sed interdum adhibuisse argumenta, SS. Ecclesiæ Patres.

Urgebis. Paulus ipse ad Coloss. c. 2. v. 8. monet: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam.* Ergo philosophica, tamquam in rebus fidei fallacia, reprobat Paulus argumenta. Resp. 1. perm. ant. neg. conseq. Monet enim solùm Colossenses Apostolus, ut à fallaci & perversa caveant Epicureorum Philosophia, Dei providentiam negante, & homines à vera in Christum fide retrahente; à qua Philosophia, vel ab alia quacumque, ne decipiantur Theologi nostri, Pauli monitum sequentes, ideò philosophicis interdum utuntur argumentis, ut occasione data, fallaces quascumque scire, & diluere possint philosophantium Hæreticorum versutias, & non decipi.

Resp. 2. In hoc citato Pauli textu, Hebraismum esse: nam conjunctio illa & apud Hebræos, non semper est copulativa; sed sæpè exegetica & exponentis nota, significans idem ac *id est*, ut in hoc casu, dum Paulus ait: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam*; ibi enim ly & est particula non copulativa, sed exegetica, & nota Pauli se exponen-

nentis, & quasi dicentis, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam*, id est, *per inanem fallaciam*: non enim intendit Paulus veram damnare philosophiam, sed solam fallacem ac sophisticam. Quòd si cui gratis data hæc videatur Responsio, divinas volvat & legat Scripturas, & similes non paucos inveniet textus, in quibus hæc eadem sic, non ut copulativa, sed ut exegetica, & ut exponentis nota, occurret intelligenda conjunctio, ut v. g. Levit. c. 3. v. 3. ut Jerem. c. 34. v. 21. & præsertim Matth. c. 13. v. 41. ubi de Angelis à Filio hominis in fine mundi mittendis, dicitur, quòd *colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* Ibi enim ly *&* est exegeticum, significans *id est*, ita ut sensus sit, quòd Angeli à Christo in fine mundi mittendi, *colligent scandala*, id est, *eos qui faciunt iniquitatem*, seu malos, qui suis sceleribus fiere scandala cæteris, præbendo eis occasionem ruinæ.

Non veram philosophiâ, sed fallacem & sophisticâ reprobat Paulus scribens *ad Colosſ. c. 2. v. 8.*

Cor. à Lap. in Matth. c. 13. v. 41.

ARTICULUS IV.

Quid sit, & unde secernatur fidei catholicæ doctrina.

CUm sola fidei dogmata, seu revelatas fidei veritates respiciat, & ex iis, per discursum, suas conclusiones educat Theologia, arduumque persæpè sit, inter varias, multiplicesque scholasticæ materias, secernere, distinctèque pronuntiare, quid sit vel non sit de fide catholica certum, & ab omnibus fide divina credendum, quandoquidem, licèt sufficiat, ad hoc, ut quid sit de fide quoad se, quòd sit revelatum à Deo; non tamen sufficit, quoad nos, sed debet insuper & infallibiliter constare nobis, à Deo revelatum esse, cùm non omnis leviter audienda sit revelatio, nec omni spiritui credendum: *Satanas enim*, inquit Paulus 2. ad Cor. c. 11. v. 14. *transfigurat se in Angelum lucis*, falsaque pro veris suggerit sæpè. Ideò ne dubio suspensus hæreat, vel erret positivæ Theologiæ Candidatus, sitque illi in promptu semper & præsens aliquod generale discernendæ fidei catholicæ criterium, sive regula,

CONCLUSIO.

Dico, *illud omne & solum esse de fide catholica censendum, quod est in verbo Dei scripto vel tradito revelatum, & omnibus ab Ecclesia Catholica propositum, ut fide divina credendum.*

Pr. hæc regula, hac unica ratione, ex Apostolo ad Rom. c. 10. v. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, sive *Dei*. Ergo si fides divina, de qua hìc loquitur Paulus, *sit ex auditu, & auditus per verbum Dei*, id omne & solum est de fide divina in se, quod est in Dei verbo scripto vel tradito revelatum. Ad hoc autem ut sit de fide divina catholica, hoc est universali & universos Christi fideles astringente, & ad credendum sub pœna hæreseos obligante, non satis est quod sit in Dei verbo scripto vel tradito revelatum; sed debet insuper omnibus certò & infallibiliter constare, quòd sit in Dei verbo scripto vel tradito revelatum: alioquin non obligaret sub pœna hæreseos, nec hæreticus foret qui non crederet, juxta illud S. Auguſt. lib. 4. de baptismo contra Donatum c. 16. supponentis, hominem esse aliquem qui id sentiat de Christo, quod *Photinus*

Id solùm est de fide catholica, quod est in Scriptura vel Traditione revelatum, & per Ecclesiam propositum.

tinus opinatus est, existimans ipsam esse catholicam fidem; & dicentis: *Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.*

Atqui non potest certò & infallibiliter omnibus constare, quòd sit in Dei verbo, sive scripto, sive tradito, revelatum, nisi quatenus proponitur à Catholica Ecclesia, cum obligatione credendi, cùm sola Catholica, hoc est, universalis Ecclesia, sit infallibilis in discernendo Dei verbo, sive scripto, sive tradito, cùm hæc sit, juxta Ap. 1. ad Tim. c. 3. v. 4. *columna & firmamentum veritatis*, & de ea sola dixerit Christus, Matth. c. 16. v. 1. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: & rursus ibidem c. 18. v. 17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ergo ut sit de fide catholica, debet esse, nedum in Dei verbo scripto, vel tradito revelatum, sed etiam ab Ecclesia Catholica propositum. Ergo id omne & solùm est de fide catholica censendum, quod est in Dei verbo scripto vel tradito revelatum, & omnibus ad credendum ab Ecclesia Catholica propositum.

Ex quo sequitur, v.g.

Ex quo criterio, sive regula sequitur generatim

1. Nihil esse de fide catholica, nisi illi hæc duo simul conveniant, videlicet 1. quòd sit revelatum in verbo Dei scripto vel tradito; & 2. quòd sit ab Ecclesia propositum. Ratio est quia *fides ex auditu, auditus per verbum Dei*, & verbum Dei per Ecclesiam illud proponentem, discernentem & custodientem.

2. Nihil esse de fide catholica, ni sit à Deo nobis per Prophetas, vel per Apostolos, aut alios Scriptores sacros revelatum; quia nihil est de fide divina catholica, nisi sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum; verbum autem Dei sive scriptum, sive traditum, per solos habemus Prophetas, vel Apostolos, aut alios Scriptores sacros, *per quos nobis locutus est Deus.*

3. Nihil esse de fide divina catholica, ex iis omnibus quæ novimus per revelationes quascumque post Apostolorum tempora factas, etiam quibuscumque viris sanctis: & ratio est, quia nihil ex iis est in Dei verbo sive scripto, sive tradito revelatum, quia non est Prophetis, vel Apostolis, aut aliis Scriptoribus sacris revelatum.

Nullas cõclusiones Theologicas qua tales esse de fide catholica.

4. Nihil ex iis, quæ per discursum ex revelatis inferuntur præcisè, qua tale, seu nullam conclusionem theologicam ex una vel duabus de fide præmissis illatam, qua talem, esse formaliter & immediatè de fide, sed virtualiter dumtaxat & mediatè: & ratio est, 1. quia nulla conclusio theologica, qua talis, est formaliter & immediatè revelata in Dei verbo scripto vel tradito, sed ex revelatis illata: ait enim Apostolus, ut visum est, *Fides ex auditu, auditus per verbum Dei*; nec addit, aut *per illationem ex verbo Dei*. 2. Quia nulla conclusio theologica, qua talis, usquam proponitur ab Ecclesia ut fide divina credenda. Ergo non esse de fide catholica, certum est, & ita certum, ut quamvis problematicum sit inter Theologos, an id quod sequitur & infertur per discursum ex fide, sit de fide, & distinguendo asserant aliqui, esse de fide, si sequatur ex duabus de fide præmissis, & negent si ex una tantùm de fide, & altera solo naturali lumine nota; consentiunt tamen omnes, non esse de fide catholica, id est, talem cui assentiri tanquam de fide, sub pœna hæreseos teneantur omnes,

ut

ut notat Franciſcus Veron ſacræ Theologiæ Doctor, & Cleri Gallicani in controverſiis Scriptor olim, in ſua controverſiarum epitome.

Nec particularium Conciliorum definitiones qua tales.

5. Nihil pariter ex iis, quæ in particularibus definiuntur Conciliis, eſſe de fide catholica, niſi fuerit accedente univerſalis Eccleſiæ conſenſu firmatum: ratio eſt, quia quod proponitur à particulari Concilio tantùm, non cenſetur ab univerſali propoſitum Eccleſia, cùm particulare Concilium univerſam non repræſentet Eccleſiam.

Nec generalis Concilii definitionum rationes ſeu motiva qua talia.

6. Ex iis, quæ in univerſalibus Conciliis definiuntur aut proponuntur, id ſolùm præcisè de fide catholica eſſe, quod eſt definitum, non verò definitionis motivum, nec alia in Conciliis inter loquendum vel diſputandum à Patribus præmiſſa, dicta, vel laudata, quatenus ibi dicta & non definita; & ratio eſt, quia id ſolùm & præcisè, quod definitum eſt in Conciliis, proponitur credendum, non verò definitionis motivum, nec alia non definita, quocumque modo, inter definiendum relata, dicta, vel allegata. Sic v. g. dum in ſecundo Concilio Nicæno actione 5. definitum eſt, Angelos poſſe depingi, definitio illa, qua præcisè definitur *Angelos poſſe depingi*, de fide eſt; motivum autem ſeu ratio definitionis à Joanne Theſſalonicenſi ibidem allegata, nec repulſa, videlicet iſta, quia *ſunt corporei*, non eſt de fide, ſed falſa, ad quam Concilium non attendit: imò temeraria eſſet hodie propoſitio illa, quæ corporeos Angelos aſſereret; nec timendum eſt Concilii definitionem eſſe falſam, licèt motivum, ſeu definitionis ratio interdum vero non conſonet, ut in præſenti caſu, quia dum quid univerſa definit Eccleſia, non utitur argumentatione ſcientifica, ut Philoſophus naturalis, ſed ſuggeſtione divini Spiritus infallibili; nec creditur Eccleſiæ argumentanti & probanti, ſed docenti & definienti ex aſſiſtentia ſancti Spiritus infallibili.

7. Denique in genere, ex hac generali regula ſequitur, illud omne eſſe de fide catholica, quod nobis de fide credendum catholica ſeu univerſa proponit Eccleſia; ideſt Romanus Pontifex ex Cathedra loquens: ratio eſt, quia nihil de fide credendum univerſalis proponit Eccleſia, niſi ſit in Dei verbo ſcripto vel tradito revelatum.

Ex eodem generali criterio ſive regula in particulari ſecernuntur plura & alia, & cognoſcuntur eſſe, vel non eſſe de fide catholica, ſic v. g. cognoſcitur

Sed de fide catholica eſſe, v. g.

Hominem juſtificari per juſtitiam inhærentem.

1. De fide catholica eſſe, ***hominem juſtificari per juſtitiam inhærentem***, quia hoc eſt expreſsè ab univerſali definitum Eccleſia in Conc. Trident. ſeſſ. 6. can. 11. dicente: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit.*

Sed quamvis verum ſit, & communis ſit Theologorum ſententia, non eſſe tamen de fide catholica, hanc juſtitiam qua juſtificamur, ut forma inhærente, eſſe habitum ſeu qualitatem; ratio eſt, quia id nec à Tridentino, nec ab ullo alio univerſali definitum Concilio. Quamquam ſecùs aſſerere temeritate non vacaret, cùm ſententia quæ formam hanc inhærentem vult eſſe habitum, ſit omnium vulgò Theologorum, & eo nomine à Concilio Viennenſi commendetur, quod & ipſam ut probabiliorem elegit.

2. De

Corpus Christi esse realiter præsens in Eucharistia.

2. De fide catholica pariter esse, *Corpus Christi esse verè, realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia*, quia id expressè definitum & propositum ab universali Ecclesia in Conc. Trident. sess. 13. can. 1. de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, dicente: *Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum Anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodò esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Sed non esse de fide, sed falsum quòd sit ibi sedens, jacens, rectum, æquale aut inæquale alteri corpori, vel loco, aut sibiipsi in cœlo sedenti, aut esse ita grande, longum, latum sicut in cruce, vel esse in speciebus tanquam in loco: & ratio est, 1. Quia istud nullibi ab universali definitum vel propositum Ecclesia. 2. Quia ex ipsomet Trident. Conc. ibidem cap. 1. Corpus Christi est quidem ibi præsens, *sed sacramentaliter tantùm, & non juxta modum existendi naturalem*, quem habet in cœlo. Atqui esse sedens, jacens, rectum, æquale, inæquale, longum, latum, & alii similes essendi modi non conveniunt corpori, nisi juxta naturalem existendi modum, & non juxta modum existendi sacramentalem: ergo Christi Corpori convenire nequeunt in Eucharistia sacramentaliter existenti.

Dari seu verè existere Purgatorium.

3. De fide catholica esse, quidquid in contrarium reclament Hæretici, *dari, seu existere Purgatorium, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari*, quia hoc expressè definitum, & omnibus ad credendum propositum ab universali Ecclesia in Trid. Conc. sess. 25. decreto de Purgatorio, dicente: *Cùm Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant.*

Sed non esse de fide, Purgatorii ignem, verum, proprium, & ejusdem speciei cum nostro elementari ignem esse, aut quo in loco sit, vel quanto tempore duret, quia de his nihil usquam ab Ecclesia definitum universali; imò in Concilio Florentino Græci apertè sunt professi, se non ponere ignem in Purgatorio, & tamen in definitione in ultima sessione facta, definitur, Purgatorium esse, ignis nulla mentione facta. Est tamen sententia probabilissima, ibi ignem esse, inquit Bellarm. lib. 2. de Purgatorio. 1. Propter communem scholasticorum assensum, qui non potest nisi temerè contemni. 2. Propter auctoritatem sancti Gregorii lib. 4. Dialogorum, illum ignem esse corporeum asserentis cum S. Augustino lib. 21. de civitate Dei c. 10. 3. Quia in Scriptura sacra impiorum pœna passim *ignis* vocari solet, & juxta S. Augustini, & Theologorum omnium vulgatam regulam, propriè sumendæ sunt Scripturæ sacræ, quando nullum sequitur absurdum.

Bonum & utile esse, Sanctos invocare.

4. De fide catholica esse, velint, nolint Hæretici, *bonum & utile esse, Sanctos unà cum Christo in cœlo regnantes invocare*, quia illud pariter ab universali definitum Ecclesia in Trid. Conc. sess. 25. decreto de invocatione & veneratione Sanctorum, dicente: *Mandat sancta Synodus omnibus docendi munus sustinentibus, ut de Sanctorum intercessione & invocatione fideles*

tes diligenter instruant; docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos verò, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt vel ipsos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare; impiè sentire.

Sed non esse de fide catholica, Sanctos in cœlo regnantes hominum in terris existentium audire preces, quamvis certum sit & verum, idque sequatur necessariò ex aliquo de fide, nimirum ex eo quòd bonum sit & utile, eos invocare; & ideò non est de fide catholica saltem formaliter & expresse, quia id nullibi definit expresse, nec de fide credendum Catholica proponit Ecclesia; imò nec in Trident. Concilio, licèt non ignoraverint Tridentini Patres, id tunc temporis à Protestantibus negari: ex quo Concilii Tridentini silentio colligitur, censuisse Concilii Patres, non de fide esse, quamvis certum & verum, Sanctos in cœlo regnantes nostras audire preces, illas ipsis revelante Deo.

5. De fide catholica esse, *sacras Imagines Christi, Deiparæ Virginis, aliorumque Sanctorum esse honorandas & venerandas*, quia hoc ita statuit & proponit Ecclesia in Trid. Conc. sess. 25. de invocatione, & veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus dicens: *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.... Quòd si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Honorandas, ac venerãdas esse sacras Imagines.

Sed non esse de fide catholica, illas adorandas esse, nisi adorationis nomine latiùs sumpto, pro cultu quodam honorario & religioso, qui latria sit & adoratione propriè sumpta minor & inferior, cùm id nullibi sit ab universali definitum vel propositum Ecclesia, nullaque fiat adorationis mentio in Nicæno Concilio secundo, nec in Trident. imò non solùm non est de fide catholica, sed falsum omnino, & à catholico sensu alienum, si intelligatur de adoratione latriæ absoluta, qualem vulgò populus intelligit, cùm hæc soli debeatur Deo, & blasphemum esset illam ulli reddere imagini. Quando autem dicimur adorare crucem, intelligendi sumus de adoratione relativa, ita ut sensus sit, nos adorare crucem propter Christum, seu per illam quam osculamur, & coram qua caput aperimus, & procumbimus, Christum adoramus, ut loquitur Trid. Similiter & dum Sanctorum imagines adorare dicimur, de adoratione relativa, non latriæ,

sed honoraria quadam adoratione, latria longè inferiori, nec sistente in ipsa imagine, sed ad Sanctum, cujus est imago, transeunte.

Venerandas pariter esse Sanctorum Reliquias.

6. De fide catholica pariter esse, *venerandas esse Sanctorum reliquias*, quia id expressè Catholica proponit Ecclesia, dum in Trident. sess. 25. ibid. decreto de invoc. & vener. & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus, ait: *Mandat sancta Synodus Episcopis & cæteris .... ut de reliquiarum Sanctorum honore fideles instruant, docentes eos, sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti*, 1. ad Cor. c. 3. v. 17. *ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstentur; ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Sed non esse econtrà de fide catholica, *illas esse adorandas*; 1. Quia nullibi, tanquam de fide, id credendum proponit Ecclesia. 2. Quia ex Vasquesio 3. p. disp. 113. c. 1. *Eodem prorsus modo de reliquiis atque de imaginibus universim dicendum est, eas videlicet secundùm se honorari non posse, sed solùm conjunctas cogitatione cum eo, cujus reliquiæ sunt, eum in ipsis apprehendendo, sicut imagines sine exemplari nullo modo licet venerari.* Idque multis probatur, sed præsertim quia res inanimatæ, quales sunt reliquiæ, secundùm se non sunt capaces contumeliæ, nec consequenter honoris. Ergo sicut non est de fide catholica, imagines esse adorandas, modo jam explicato, ita nec reliquias.

Sic, non esse de fide catholica, illas, vel illas reliquias esse illius, vel illius Sancti, cujus esse dicuntur, & cujus tanquam reliquiæ veræ proponuntur colendæ; ratio pariter est. 1. Quia id nullibi proponit Ecclesia ut de fide tenendum. 2. Quia hujusmodi factum est factum particulare, nullam connexionem habens cum fide, in quo cùm universalis errare possit Ecclesia, à fortiori & particulares Ecclesiæ, dum has vel illas, ut talis vel talis Sancti, colendas proponunt, & exhibent reliquias.

Hæc, & alia similia plura facilè poterit inferre quisque, ex hac generali catholicæ fidei discernendæ regula; contra quam, sic cum adversariis

Occurritur Adversariis.

Objicies fortè, & dices: ad hoc ut quid sit de fide divina, satis est quòd sit in Dei verbo scripto vel tradito revelatum. Ergo non est necesse quòd sit per Ecclesiam propositum; imò Ecclesia non potest facere de fide, quod non est de fide. Resp. dist. ant. ut sit de fide divina *quoad se* simpliciter & absolutè. Conc. Ut sit de fide divina, *quoad nos*, & catholica, omnes sub pœna hæreseos ad credendum obligante. N. ant. Ratio dist. est quia, ut quid sit de fide catholica, omnes sub pœna hæreseos ad credendum obligante, debet omnibus certò & infallibiliter constare, quòd sit in Dei verbo scripto vel tradito revelatum; non constat autem, nisi sit ab Ecclesia universali propositum. Ergo ut sit de fide catholica omnes sub pœna hæreseos obligante, debet esse ab universali propositum Ecclesia, non quòd Ecclesia faciat illud esse de fide quoad se, sed solùm quoad nos & explicitè, quatenus illud nobis ut revelatum proponit, & de fide esse declarat; idque ita verum esse tenet sanctus Augustinus, ut contra Epistolam fundamenti c. 5. apertè dicat: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Ita verum cum S. Augustino tenemus & nos Catholici omnes, ut ideò Euangeliis sanctorum *Matthæi, Joannis, Lucæ &*

Mar-

Marci credamus, & non credamus econtrà Euangeliis ſanctorum *Petri*, *Andreæ*, *Bartholomæi*, & *Thomæ*, quia ad hoc nos commovet, illa proponentis, & iſta rejicientis Euangelia, Eccleſiæ matris auctoritas; imò ideò 14. Pauli ut canonicas, & non alias ejuſdem ad *Senecam* recipimus Epiſtolas, quia nobis illas, & non iſtas Eccleſiæ proponit auctoritas.

Inſtabis. Qui veritatem negaret aliquam in Scriptura, vel Traditione revelatam, eo ipſo hæreticus eſſet. Ergo eo ipſo quo quid eſt in Scriptura divina vel Traditione revelatum, eſt de fide catholica, ſub pœna hæreſeos omnes ad credendum obligante, abſque eo quòd ſit per Eccleſiam propoſitum. Ergo, &c. Reſp. diſt. ant. Si talis veritas eſſet expreſſa in Scriptura, vel ex manifeſta Traditione conſtaret. Conc. Si obſcurè tantùm in Scriptura, vel in Traditione jaceret. Neg. ant. Ratio eſt, quia ſi non ſit expreſſa, ſed implicitè tantùm & obſcurè jaceat, non certò conſtat quòd ſit in Scriptura vel Traditione contenta & revelata; nec conſequenter eſt de fide catholica, omnes ad credendum obligante; & hæreticus nondum eſſet, qui illam negaret, quia non reſiſteret Eccleſiæ judicio, qua in reſiſtentia ſita eſt ratio hæreſis, dicente S. Aug. l. 4. de Bapt. contra Donatum: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Si verò ſit expreſſa in Scriptura, vel in Traditione manifeſta, eſt ſufficienter per Eccleſiam propoſita, cùm Scripturam, & Traditionem nobis proponat Eccleſia; ac proinde hæreticus foret, illam quiſquis negaret; quia reſiſteret Eccleſiæ judicio, ſeu quia *haberet electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. q. 11. art. 2.

Urgebis. Hæreticus ergo eſt, non qui reſiſtit verbo Dei revelato, ſed qui reſiſtit Eccleſiæ judicio. Reſp. neg. conſeq. Ideò enim hæreticus eſt, qui reſiſtit Eccleſiæ judicio, quia reſiſtens Eccleſiæ judicio reſiſtit Dei verbo toties Eccleſiam commendanti, & dicenti, Matth. c. 18. v. 17. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

ARTICULUS V.

Quid ſit hæretica, vel erronea, aut alia quælibet fidei nociva doctrina.

CUm non deſint pſeudo-Prophetæ, *qui loquuntur de ſuo*, & dicunt perſæpè, *Hæc ait Dominus, cùm tamen non dixerit*, nec deſinat inimicus homo ſuperſeminare zizania in agro Domini, & non ſufficiat Theologiæ Candidato, ut purum fidei catholicæ triticum ſecernere valeat à meræ ſcholaſticæ doctrinæ paleis, vel ab aliis quibuſcumque perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed debeat inſuper ſupercreſcentia quæcumque poſſe diſcernere zizania, & fidei catholicæ directè vel indirectè nocivam quamcumque prævidere, ac pullulantem præfocare doctrinam; ſeu, ut cum Trid. loquar ſeſſ. 3. c. 8. *quoniam non eſt ſatis veritatem dicere, niſi detegantur & refellantur errores*; ideò hoc ut aliquando facilè poſſit implere munus, & intactum fidei depoſitum cuſtodire, quæcumque venenata fideique nociva repellendo dogmata, alteram quaſi tradendo regulam ex ſuperiori deductam,

CONCLUSIO.

Doctrina fidei nociva, est ea quam ut fidei nocivam notat & rejicit Ecclesia.

Dico, *illud omne rejiciendum esse, ut fidei nocivum, quod ut fidei nocivum Catholica notat, & rejicit Ecclesia.*

Pr. hac unica ratione. Non minùs infallibilis est Ecclesia in discernenda non sana, & fidei nociva, quàm in agnoscenda sana & fidei consona doctrina. Ergo si recipiendum sit ut fidei catholicæ dogma à Deo revelatum, quidquid proponitur ab Ecclesia ut revelatum à Deo, rejiciendum pariter est ut impurum & fidei catholicæ nocivum, quidquid ut fidei nocivum Catholica notat & rejicit Ecclesia; idque ita verum, ut S. Aug. (qui contra Epistolam fundamenti c. 5. dixit, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas*) similiter lib. 2. contra Cresconium Grammaticum c. 32. apertè dicat: *Non accipio quod de rebaptizandis Hæreticis & Schismaticis sentit beatus Cyprianus, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem suum fudit.* Ergo notanda est ut fidei catholicæ nociva illa omnis doctrina, quam ut nocivam notat & reprobat Ecclesia, quæque diversa esse potest, soletque diverso modo, pro diverso, cum fide, oppositionis gradu, qualificari, & vulgò à Conciliis, Summisque Pontificibus dici *hæretica, vel erronea, hæresi proxima, vel sapiens hæresim, vel sapiens errorem, suspecta hæresis, vel suspecta erroris, offensiva pietatis, vel temeraria, scandalosa, vel schismatica, malè sonans, vel simplicium seductiva, injuriosa, impia, judaica, pagana, vel athea*, quæ omnes ut facilè vitari possint & præcaveri, has hîc juvat breviter, & per exempla, explicare singulas.

Qualis est

Hæretica.

Hæretica propositio, sive doctrina, dicitur ea omnis, quæ manifestè, formaliter & directè opponitur fidei doctrinæ, seu doctrinæ à Deo revelatæ & per Ecclesiam definitæ; sic hæretica formaliter & directè censenda esset propositio ista, qua quis diceret cum Ario, *Christus Dei Filius non est Patri consubstantialis*, quia hæc formaliter & directè opponitur doctrinæ fidei à Deo revelatæ, & in Nicæno Concilio I. & deinceps in pluribus Conciliis aliis, per Ecclesiam declaratæ. Sic si quis cum Macedonio diceret, *Spiritus sanctus est minor Patre & Filio, & non Deus*, hæc pariter propositio hæretica esset, quia formaliter & directè opposita fidei doctrinæ à Deo revelatæ, & in Constantinopolitano Concilio I. contra Macedonium per Ecclesiam declaratæ. Sic si quis cum Nestorio, *duas in Christo personas assereret*, hæc assertio similiter hæretica foret, quia formaliter & directè opposita doctrinæ fidei à Deo revelatæ, & in Ephesino Concilio contra Nestorium decisæ. Sic denique si quis cum Eutyche, *duas in Christo naturas negaret*, hæreticus esset, & ejus hæretica negatio, quia opposita fidei doctrinæ à Deo revelatæ, & in Chalcedonensi Concilio contra Eutychen & Dioscorum definitæ: hæretica enim doctrina, hæretica dicitur ab *hæresi* sive electione, quia est proprio judicio electa, & universalis Ecclesiæ judicio opposita, in qua oppositione præsertim sita est ratio hæresis, & sine qua nullus propriè hæreticus censendus, cùm hæresis nihil sit aliud quàm error in fide cum pertinacia junctus, seu error circa fidem, proprio judicio, contra Ecclesiæ catholicæ judicium electus.

Unde *S. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatum c. 16.* supponens hominem esse aliquem qui idem de Christo sentiat, quod *Photinus*, & existimet

ipsam

ipsam esse catholicam fidem, ait: *Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Unde pariter est quòd S. Thomas 2. 2. q. 12. art. 2. ad 3. asserat, clarissimos Ecclesiæ DD. aliquando sententiis inter se pugnasse, & contraria de rebus fidei tenuisse dogmata, nec tamen hæreticos fuisse, quia res, de quibus disputabant, nondum erant per Ecclesiam definitæ; sicque illi non habebant *electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ*, quales fuere sancti *Hieronymus* & *Augustinus*, de Legalibus Mosaicis, post Christi mortem, altercantes.

Erronea est quæcumque opponitur veritati, seu doctrinæ, juxta unanimem SS. Patrum, vel Ecclesiæ Doctorum consensum, revelatæ, sed nondum per Ecclesiam definitæ; seu quæ opponitur doctrinæ, quæ licèt non sit per Ecclesiam definita, nec formaliter & expresè revelata, infertur tamen communiter à Theologis, per discursum, ex revelatis, unde & conclusio theologica dicitur; sicque est virtualiter revelata, & proximè accedens ad fidem, quia proximum est, ut per Ecclesiam definiatur, nihilque deest illi, ut fiat de fide, præter definitionem Ecclesiæ; ac proinde quæcumque illi opponitur, proximè accedit ad hæresim. Unde est quòd propositio seu doctrina *erronea*, & *hæresi proxima* coincidunt, & confunduntur, cùm utraque sit opposita doctrinæ ad fidem accedenti, seu doctrinæ virtualiter revelatæ, hoc est, ex revelatis illatæ, seu conclusioni theologicæ. Sic erronea est, ac proinde hæresi proxima, ista v. g. *Christus non est risibilis*, quia opponitur alteri virtualiter revelatæ, seu à Theologis per discursum ex revelatis illatæ; nimirum isti, *Christus est risibilis*, quæ infertur ex ista revelata, *Christus est homo*: ex eo enim quòd *Christus sit homo*, rectè concluditur & infertur, *quòd sit risibilis*. Erronea.

Sapiens hæresim, seu suspecta hæreseos, est ea, quæ licèt aliquo sensu tolerari possit, tamen ex circumstantia personæ, loci, vel temporis adjunctam habet gravem aliquam suspicionem, apparentiam, vel saporem hæreseos, qualis est ista ab Ariano prolata, *Christus est creatura*. Hæc enim licèt prolata à Catholico catholica sit, à viro tamen Ariano prolata Arianam sapit hæresim; prolata à Catholico catholica est, quia intellecta de humana Christi natura; prolata ab Ariano Arianam sapit hæresim, quia gravis est suspicio ne intelligatur de Christi supposito. Sic & ista, *Fides justificat*, in ore Pauli catholica, in ore Lutheri tenentis, fidem sine charitate justificare, est sapiens hæresim. Sapiens hæresim.

Sapiens errorem, vel suspecta erroris, est similiter ea, quæ ex circumstantia personæ loquentis, loci, vel temporis, gravem adjunctam habet suspicionem, apparentiam vel saporem erroris; sive, ut explicant alii, est ea, quæ cum erronea similitudinem habet aliquam: ut v. g. si quis assereret propositionem aliquam, qua asserta, videretur istam erroneam asserere, *Christus non est risibilis*: sive negaret aliquam, qua negata, videretur istam negare conclusionem theologicam, *Christus est risibilis*. Sapiens errorem.

Temeraria dicitur illa, quæ sine gravi fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum sententiam; seu, ut explicant alii, quæ nullo auctore fide digno, nulla probabili nixa ratione, extra communem Theologorum sensum vagatur: ut si quis assereret, *finale mundi judicium post centum vel ducentos annos immediatè futurum*; vel si quis, *beatam Virginem in cœlum, etiam quoad corpus assumptam*, negaret. Temeraria.

Scandalosa.

Scandalosa est ea, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando ad peccata, vel avertendo à virtutum exercitio; ut si quis data opera diceret, *plura sequi incommoda ex jejuniis ecclesiasticis, ex votis, ex peregrinationibus, ex confessione sacramentali*: unde homines redderentur segniores ad jejunandum, ad vovendum, peregrinandum, & confitendum.

Offensiva pietatis.

Offensiva pietatis, seu piarum aurium offensiva est, quæcumque pias offendit aures; qualis esset ea, quæ indecorum aliquid de Deo, vel de Sanctis, licèt non falsum, proferret; ut si quis actiones humanas Christi cæteris communes hominibus, vel ejus membra turpibus & obscœnis explicaret vocibus; vel si quis v. g. diceret, *Magdalena meretrix, Petre perjure*, orate pro me: Illæ enim, aliæque similes propositiones, pias offendunt aures, & timoratas lædunt conscientias.

Malè sonans.

Malè sonans dicitur ea, quæ sensum habet fidei congruum, verba autem incongrua; vel, ut explicant alii, quæ ita duos habet sensus, unum fidei congruum, alterum non congruum, ut sæpè sumatur ab audientibus in malam partem, seu juxta sensum non fidei congruum: ut si quis diceret, *Pater in divinis est fons divinitatis*. Hæc enim propositio congruum & catholicum habet sensum, si ita intelligatur, ut ejus sit sensus, quòd Pater in divinis communicat aliis personis divinis, Filio videlicet, & Spiritui sancto, divinitatem. Sed incongrua videtur habere verba, nec hodie usurpanda, quia esse fontem, est esse principium; Pater autem in divinis non est principium divinitatis, quæ omni principio & fine caret. Unde licèt S. Dionysius Areopagita his olim fuerit vocibus usus, eoque loquendi modo, tempore, quo nondum limaverat Ecclesia certos sibi proprios loquendi modos, quibus ab Hæreticis differret; non iisdem tamen hodie uti licitum nobis, nec dicendum absolutè, quòd *Pater sit fons divinitatis*, nisi intelligatur, quòd sit fons communicans divinitatem aliis personis, non gignens divinitatem.

Unde similiter malè sonans diceretur ista, qua quis diceret, *In divinis Pater est causa Filii*, quia hæc propositio sensum habet fidei congruum, si causa latè sumatur pro principio à quo quid procedit, quomodocumque procedat; incongruum verò si causa strictè sumatur, & prout definitur, id ad cujus esse aliud sequitur, seu id de cujus ratione est, ut producat aliud à se diversum, quia licèt in divinis Filius procedat à Patre, non tamen sequitur à Patre, quasi eo minor, vel dependens ab ipso, nec est aliud quid diversum à Patre; apud Græcos tamen hæc propositio non malè sonat, licèt malè sonet apud Latinos, quia Græci nomine causæ intelligunt, quod Latini nomine principii. Unde est quòd S. Thomas Opusc. 1. contra Græcorum errores c. 1. postquam ostendit plures Patres Græcos, ut Athanasium, Basilium & Theodoretum vocasse Patrem causam Filii, *causa Filii Pater est*, subdit statim & ait: *Apud Latinos autem non est consuetum, quòd Pater dicatur causa Filii, vel Spiritus sancti, sed solùm principium vel auctor....* & infrà: *Nec tamen intelligendum est, quòd Sancti prædicti, qui nomine causæ & causati utuntur in divinis personis, intendant diversitatem naturæ inducere, aut Filium esse creaturam, sed per hoc volunt ostendere solam originem personarum, sicut nos nomine principii.*

Sic pariter apud nos Latinos, si quis diceret, quòd *Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres substantiæ*, hæc propositio esset *malè sonans* & non toleranda, quæ tamen apud Græcos non esset *malè sonans*, sed catholica,

lica, ut ibid. Opusc. 1. docet S. Thom. dicens, *Multa quæ benè sonant in lingua græca, in latina fortassis benè non sonant, propter quod eamdem fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur & Græci. Dicitur enim apud Græcos rectè & catholicè, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non rectè sonat, si quis dicat quòd sunt tres substantiæ, licèt hypostasis sit idem apud Græcos, quod substantia apud Latinos secundùm proprietatem vocabuli: nam apud Latinos substantia usitatiùs pro essentia accipi solet, quam tam nos, quàm Græci unam in divinis confitemur, propter quod, sicut Græci dicunt tres hypostases, nos dicimus tres personas.* S. Thom. Opusc. 1. con. err. Græc. in Exord.

Et licèt persona definiatur à Boethio rationalis naturæ individua substantia, non sequitur, quòd nos admittendo in Deo tres personas, tres admittamus in Deo substantias, quia ut ait idem S. Thom. 1. q. 2. art. 1. ad 1. *Substantia non ponitur in definitione personæ secundùm quod significat essentiam, sed secundùm quod significat suppositum, quod patet ex hoc, quod additur individua; ad significandum autem substantiam sic dictam habent Græci nomen hypostasis; unde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases; nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiæ propter nominis æquivocationem.*

Simplicium seductiva est, quæcumque sub specie pietatis, vel boni prætextu, errorem tegens, apta est simplices fidelium mentes seducere; qualis dici potest celebris illa, qua Ariani seduxere Catholicos olim, dum in Ariminensi Concilio, eos ut inducerent ad subscribendum perfidæ fidei formulæ, sub prætextu futuræ pacis Ecclesiæ, dixere, Filium Dei ὁμοιόσιον esse Patri, id est similem in substantia Patri, & non creaturam similem aliis. Putarunt statim bona fide Catholici, Arianos fateri tandem Filium Dei ὁμοούσιον esse Patri, id est consubstantialem Patri, & non creaturam absolutè. Ariani econtrà sub hac voce ὁμοιόσιον suam tegentes hæresim, Filium non consubstantialem, sed similem in substantia, & verè creaturam esse, sed non aliis similem creaturis intelligebant. Quo Arianorum offendiculo seducti sunt orthodoxi Ariminensis Concilii Patres, & cum illis deceptus *totus orbis se Arianum esse miratus est.* Simplicium seductiva.

Schismatica est, quæcumque viam pandit & aperit ad seditionem, divisionem, vel scissionem corporis Christi mystici, scilicet Ecclesiæ, seu quæ turbat Ecclesiæ pacem, unionem, vel ordinem, fideles ab unitate, à pace, vel à subordinatione, & ab obedientia debita retrahens, qualis in Anglia fuit olim Henrici VIII. majoris Britanniæ Regis; fatalis & infausta declaratio illa, qua, *se in Anglicanæ Ecclesiæ caput agnosci jussit*, & ad Romanum Pontificem, licèt verum, legitimum, ac visibile universalis Ecclesiæ caput, omnem deinceps, quocumque prætextu, recursum inhibuit; hæc enim fuit prima mali labes, & diri schismatis origo, in quo, & ex quo in hæresim lapsos, obstinatos adhuc, extra Ecclesiam, errare cernimus Anglos, Scotos, Hibernos, & iis adhærentes alios. Schismatica.

Injuriosa dicitur ea, quæ facit injuriam alicui vel personæ, vel statui: dixi personæ, vel statui; nam si sit in Deum, est blasphema: sic si quis v. g. de Religioso Ordine aliquo diceret, *eo in Ordine, nullus ordo, & nulla prorsus regularis observantia viget, sed libera cuique permissa vivendi ratio*, ille sine dubio injuriosè loqui de illo Ordine censendus esset, quia injuriam ei sic loquens irrogaret maximam. Injuriosa.

Impia verò pariter, & *blasphema* dicitur, quæcumque est injuriosa Deo, Impia.

vel Deiparæ, vel Sanctis, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo nævos, sive defectus. Sic si quis videns bonos malis opprimi, & malos bonis affluere omnibus, *Deum injustum vocaret*, hic ut impius & blasphemus puniendus foret. Sic blasphemi erant Pharisæi, dum de Christo dicebant: *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum*, Matth. c. 12. v. 24. Sic injurius & blasphemus erat in sanctos Apostolos hæreticus ille nomine *Quintinus*, natione Picardus, dum *Paulum* vas fractum, *Petrum* Christi abnegatorem, *Joannem* juvenem stolidum, & *Matthæum* fœneratorem esse dicebat.

Sic & impius esset adhuc hodie quisquis Sanctos in cœlo regnantes, non esse invocandos assereret, cùm Concilium Trident. sess. 25. expresѕè dicat, eos *impiè sentire*, qui Sanctos in cœlo cum Christo regnantes invocandos esse negant.

Judaica. *Judaica* dici debet ea omnis, quæ de Christo sentit cum Judæis, qualis esset illa, quæ Christum seu Messiam nondum venisse, sed venturum assereret, vel supponeret; qualis esset illa, qua quis hodie legis Mosaicæ ritus ad salutem necessariò servandos esse doceret, vel diceret cum Cerintho & de Judæa descendentibus aliis, Act. c. 15. v. 1. *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari*; qualis pariter esset illa, qua quis sacras novi Testamenti rejiceret Scripturas, vel impias ac fabulosas Talmudis prædicaret vel laudaret ineptias.

Pagana. *Pagana* censetur ea quæcumque, quæ cum Gentilibus & Paganis Deos admittit plures, seu quæ falsa cum Paganis approbat Numina, qualis Tulliana illa, *Dii te perdant, fugitive*; sicut & ista Papinii dicentis, *Primus in orbe Deos fecit timor*; vel ista Virgilii canentis, *Dii prohibete minas, dii talem avertite casum*; qualis esset & qualibet alia, quæ Paganicum ritum induceret, vel doceret aliquem, ut v. g. ea qua quis diceret, *pro frugibus terræ prosperè venturis celebranda esse Paganalia*, hoc est, antiqua illa Paganorum festa à Servio Tullio sexto Romanorum Rege instituta, & singulis annis, semente peracta, in pagis mense Januario fieri consueta, in quibus *Cereri* & *Telluri*, pro frugibus terræ prosperè futuris, certa ferebant munera Pagani; qualis pariter foret ea, qua quis de Ægyptiis *porros* & *cepas* ut Deos colentibus olim, seriò diceret hodie, quod de illis facetè Juvenalis cecinit dicens:

Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu:
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Athea. *Athea* econtrà dicitur omnis ea, quæ cum Atheis, Deum esse nullum asserit, vel insinuat, vel supponit, qualis est apud Psalmistam celebris illa insipientis, & dicentis in corde suo, *Non est Deus*, qualis & qualibet alia, qua quis Religionem negaret omnem: eo ipso enim, quod quis Religionem negat & rejicit omnem, Deum pariter negare censendus est, quia eo ipso, quo quis Deum agnoscit aliquem, sive verum, sive falsum, eum veneratur & colit ut Deum, & consequenter Religionem habet aliquam, sive veram, sive falsam, cùm Religio sit virtus illa quæ ad Deum colendum inclinat, seu quæ debitum exhibet cultum Deo rerum omnium principio; vel si Religionem habet nullam, nullum pariter Deum habere censendus, qualis fuit Amsterodami subortus, nostris ferè diebus, & sæculo deci-

decimo feptimo, mifer ille Cartefianæ fectæ Philofophus, vir natione Judæus, *Spinofa* nomine dictus, qui Judaica Religione calcata, fpretifque Rabbinorum monitis, Librum five Tractatum Theologico-Politicum fcripfit unum, in quo eò unicè tendebat, ut Religiones aboleret omnes, liberum cuique vivendi modum permitteret, & purum atheifmum infinuaret, quem poftea manifeftè docuit, & effudit fuis in operibus pofthumis, publico generalium Hollandiæ Comitiorum decreto profcriptis, & multiplici deinceps auctorum catholicorum refutatione damnatis.

Una denique & eadem propofitio interdum talis effe poteft, ut non uno tantùm, fed multiplici oppofitionis modo fit fidei nociva, ac proinde multiplici inurenda nota, qualis effet v. g. fi quis fidelis diceret hodie, quod olim de Chrifto blafphemantes dixere Pharifæi, Matth. cap. 12. verf. 24. *Hic non ejicit dæmones nifi in Beelzebub principe dæmoniorum*: Hæc enim propofitio nedum effet *falfa*, fed etiam *Temeraria*, *Scandalofa*, *Schifmatica*, *Impia*, *Blafphema* & *Hæretica*. *Falfa* effet, quia opponeretur veritati, ut patet; *Temeraria* quia fine ullo fundamento contradiceret communi Theologorum Doctrinæ; *Scandalofa*, quia retrahens à Chrifto, daret occafionem ruinæ fpiritualis; *Schifmatica*, quia dans locum recedendi à Chrifto, daret locum recedendi, & fcindendi fe à vero & legitimo capite; *Impia*, quia dæmones ejiciendi poteftatem Chrifto negaret, & eum cum dæmone focietatem habere monftraret; *Blafphema*, quia Chriftum principis dæmoniorum cultorem, eoque inferiorem oftenderet; *Hæretica* denique effet, ut per fe patet, quia directè fidei catholicæ oppofita effet, cùm exprefsè dicat Chriftus ibid. Matth. c. 12. v. 28. fe non in Beelzebub, fed in fpiritu & virtute Dei ejicere dæmonia.

Has ergo omnes, & fimiles, ut fidei directè vel indirectè nocivas, quia rejicit & reprobat Ecclefia doctrinas, rejiciat pariter, & reprobet quifque Theologiæ & fanioris doctrinæ Candidatus, ficque hoc tuto ubique nixus præfato criterio, five regula, *inoffenfo pede* dubia refolvet & percurret omnia.

Objicies. Eo ipfo quo doctrina aliqua opponitur verbo Dei fcripto vel tradito, opponitur fidei. Ergo ex fola Scriptura vel Traditione, fine ullo alio Ecclefiæ judicio, criterio, five regula, cognofci poteft quæcumque oppofita & fidei nociva doctrina. Refp. perm. ant. neg. confeq. Ratio eft, quia licèt ex Scriptura & Traditione, feu ex oppofitione doctrinæ alicujus cum Scriptura vel Traditione cognofcatur doctrina fidei nociva; tamen quia non certò & infallibiliter conftat nobis de hujufmodi doctrinæ oppofitione vel confonantia cum Scriptura vel Traditione, nifi per Ecclefiæ judicium, quandoquidem obfcura eft fæpè Scriptura, & non fatis manifefta Traditio, & aliunde Ecclefiæ fit, juxta Tridentinum, *judicare de vero fenfu & interpretatione Scripturarum fanctarum*, ipfaque fit Ecclefia, quæ creditum fibi à Spiritu fancto divinæ Traditionis depofitum cuftodit. Ideò infuper requiritur Ecclefiæ auctoritas & judicium, quo ipfa declaret, quæ fit fidei nociva, quæve rejicienda doctrina, ac proinde vera, utilis, & neceffaria hæc præfata affignata regula, videlicet, *illud omne effe rejiciendum ut fidei nocivum, quod ut fidei nocivum Catholica rejicit Ecclefia.*

Occurritur objectioni.

Trid. feff. 4. dec. de edit. & ufu fac. lib.

ARTICULUS VI.

Quid sit doctrina purè theologica.

Doctrina purè theologica.

CUm nomine doctrinæ purè theologicæ, nihil aliud hìc intelligatur à nobis, quàm conclusio purè theologica, seu doctrina per discursum ex revelatis illata, & plura ex revelato Dei verbo, pro explicandis, propugnandisque fidei nostræ mysteriis, concludant passim Theologi, pluraque vicissim ex eodem Dei verbo ad eadem impugnanda fidei nostræ mysteria, perperàm & mala fide concludant & inferant Hæretici; ideò ut vera & propriè dicta Theologica doctrina, sive conclusio purè theologica, secernatur à falsa,

CONCLUSIO.

Dico, *doctrinam sive conclusionem purè theologicam verè & propriè dictam, esse doctrinam, sive conclusionem ex revelatis à Deo, & fide divina creditis, per discursum, eductam*; & sic

Est doctrina ex revelatis & fide divina creditis illata.

Pr. hac unica, sed aperta ratione. Doctrina seu conclusio purè theologica verè & propriè dicta, non potest esse alia quàm conclusio Theologiæ verè & propriè dictæ. Atqui conclusio Theologiæ verè & propriè dictæ non est alia quàm conclusio ex revelatis à Deo, & fide divina creditis, per discursum, educta. Ergo nec conclusio purè theologica verè & propriè dicta. Probatur minor. Theologia nostra propriè dicta nihil est aliud, ut patet ex dictis, quàm scientia ex revelatis à Deo, & fide divina creditis, discursiva sive conclusiva; per hoc enim distinguitur à fide, aliisque purè naturalibus habitibus, Theologia nostra. Ergo conclusio theologica verè & propriè dicta non est aliud, quàm conclusio ex revelatis & fide divina creditis, per discursum, educta, hoc est ex duabus præmissis de fide, vel saltem ex una de fide, & altera naturali & certa; quod sufficit ut conclusio censeatur ex revelatis deducta, ut in his duobus hìc subjectis patet exemplis:

Omnis homo est liber;	*Omnis homo est risibilis;*
Sed Christus est homo.	*Sed Christus est homo.*
Ergo Christus est liber.	*Ergo Christus est risibilis.*

Utraque illa conclusio theologica est, theologicus uterque syllogismus, quamvis in primo tantùm, ex duabus de fide præmissis procedat conclusio, in altero verò ex una tantùm de fide, & altera naturali & certa. Ergo ut conclusio sit propriè theologica, satis est, quòd sit ex una de fide præmissa, & altera naturali & certa: dixi certa; nam si ex una de fide, & altera tantùm probabili esset deducta, non esset propriè & in rigore theologica, ut hoc in exemplo patet:

Omnis hostia ritè consecrata continet realiter & verè sacrum Christi Corpus:
Atqui hæc hostia per illum Sacerdotem ostensa & elevata, est ritè consecrata.
Ergo hæc hostia realiter & verè continet sacrum Christi Corpus.

Illa

Illa enim conclusio procedit ex majori, quæ est de fide, & ex minori, quæ est tantùm probabilis, cùm probabile tantùm sit illum Sacerdotem, talem hostiam ritè consecrasse, & incertum num defuerit in aliquo ad ritè consecrandum requisito. Ergo cùm conclusio sequatur debiliorem partem, conclusio ista non alia quàm probabilis esse potest; ac proinde non certa, non scientifica, nec consequenter theologica, quæ certa esse debet, cùm Theologia propriè dicta certò semper concludat. Unde sequitur

1. Conclusionem illam omnem, quæcumque procedit vel ex præmissis, sola alicujus, vel aliquorum, & non omnium sanctorum Ecclesiæ Patrum & Doctorum auctoritate fultis, vel assertis à peritis in jure sive Cæsareo, sive Pontificio viris, vel ex historia, aut ex naturali ratione desumptis, theologicam dici non posse conclusionem, quia videlicet ex revelatis à Deo non procedit.

2. Sequitur, apud Hæreticos, Infidelesque quoscumque cæteros quantumvis peritos & doctos, conclusionem propriè theologicam inveniri posse nullam, quamvis perperàm ex revelatis, seu ex Scriptura deductam; quia non potest esse ex revelatis, fide divina, per ipsos creditis, cùm ipsi fide careant, sintque fidei nostræ hostes infensi. Unde sicut apud ipsos nulla fides divina, ita & nulla in fide fundata propriè dicta Theologia, & consequenter theologica conclusio nulla. Unde nulla remanet in hæreticis verè theologica doctrina.

3. Sequitur, à damnatis quibuscumque viris, quantumvis olim in Theologia peritis ac exercitatis, conclusionem theologicam propriè dictam haberi posse nullam, cùm in illis non remaneat fides infusa, nec ullus supernaturalis habitus. Ergo nec in ipsa fide fulta, & ex præmissis fide infusa creditis, discursiva seu conclusiva Theologia. Ergo nec theologica conclusio. Conclusio enim theologica sine habitu Theologiæ haberi nequit, nec Theologiæ habitus sine fide, à qua essentialiter dependet. Nulla pariter in damnatis verè theologica conclusio.

4. Sequitur, conclusionem theologicam, qua talem, quantumvis certam, non esse tamen certam certitudine fidei, seu non esse tantæ certitudinis, quantæ est propositio, quæ est de fide. Ratio est, quia propositio quæ est de fide, est formaliter & immediatè revelata; conclusio verò theologica, qua talis, est virtualiter tantùm & mediatè revelata, seu ex revelatis per discursum educta. Atqui propositio formaliter & immediatè revelata est certior, quàm ea quæ est virtualiter & mediatè tantùm revelata, cùm propositioni formaliter & immediatè revelatæ assentiamur propter immediatam revelationem, quæ infallibilis est; propositioni verò virtualiter tantùm revelatæ assentiamur propter virtualem revelationem, quæ involvit essentialiter discursum, quo cognoscitur connexio conclusionis cum præmissis, qui discursus cùm sit humanus, falli potest. Ergo propositio quæ est de fide, est majoris certitudinis, quàm quælibet, qua talis, theologica conclusio. Quæ numquam ita certa est, sicut doctrina fidei.

5. Sequitur, conclusionem theologicam ex duabus præmissis, quarum una est de fide, altera naturalis, deductam, esse minoris certitudinis, quàm sit illa, quæ est ex duabus de fide præmissis. Ratio est, quia eò certior est conclusio, quò ex certioribus deducitur principiis, cum quibus connexionem habet, & à quibus suam desumit certitudinem. Atqui conclusio ex duabus de fide præmissis deducta, est ex certioribus præmissis, ut patet, cùm sit ex duabus certis certitudine fidei; ea verò, quæ est ex una de fide, & altera naturali,

sit

fit ex una tantùm præmissâ certa certitudine fidei, ut patet. Ergo, &c.

Et semper certior quacumque inferiori alia non theologica Doctrina.

6. Sequitur, conclusionem quamcumque verè theologicam, etiam ex una tantùm de fide, & altera naturali deductam, certiorem esse quacumque non theologica alia. Ratio est, quia procedit ex una de fide præmissa, non theologica verò ex nulla de fide; seu quia est conclusio propriè theologica, & ex omnium consensu conclusio propriè theologica, est virtualiter revelata; non theologica verò, nullo modo est revelata; sed conclusio virtualiter revelata, est certior ea, quæ nullo modo est revelata. Ergo & theologica illa conclusio certior est alia quacumque non theologica.

Occurritur adversariis objicientibus, instantibus, & urgentibus.

Objicies 1. Solent communiter Theologi, ex sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum auctoritatibus argumentari & concludere; ergo non omnis theologica conclusio, est ex revelatis deducta. Resp. dist. ant. Solent argumentari probabiliter, & conclusiones educere probabiles. Conc. ant. Argumentari certò & necessariò, ac proinde conclusiones educere theologicas. Neg. ant. cum sancto Thoma 1. q. 1. art. 8. ad 2. dicente, quòd Theologia utitur Scripturæ auctoritatibus, *propriè & ex necessitate argumentando: Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed tantùm probabiliter; innititur enim fides nostra revelationi factæ Apostolis & Prophetis, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi factæ aliis Doctoribus, si quæ fuit aliis Doctoribus facta*. Ergo cùm conclusio theologica sit à Theologia, & Theologia nostra nitatur fidei divinæ, & fides divina soli nitatur revelationi, Prophetis vel Apostolis, aut aliis Scriptoribus sacris factæ, sequitur quòd conclusio verè & propriè theologica, ea sola est, quæ procedit ex revelatis à Deo Prophetis vel Apostolis, aut aliis Scriptoribus sacris. Ergo ex alio quocumque deducta conclusio propriè theologica non est; ergo nec ex sanctorum Patrum vel Ecclesiæ Doctorum auctoritate deducta conclusio.

Objicies 2. Propositio ista, *Christus habet duas voluntates*, est certa certitudine fidei, & est conclusio theologica, ex una naturali, & altera de fide, sic deducta:

> *Suppositum habens duas naturas, divinam unam, & humanam alteram, habet duas voluntates;*
> *Sed Christus est tale suppositum duas habens naturas, divinam unam, & humanam alteram.*
> *Ergo Christus duas habet voluntates.*

In 6. Synodo œcum. Act. 17

Ergo conclusio theologica est certa certitudine fidei. Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia non ideò certa est certitudine fidei propositio illa, *Christus duas habet voluntates*, quia est conclusio theologica; sed quia est aliunde in sexta œcumenica Synodo per Ecclesiam definita.

Instabis. Propositio illa, *Christus est risibilis*, est certa certitudine fidei; hæreticus enim esset qui illam negaret: & tamen hæc non est ideò certa certitudine fidei, quia jam aliunde per Ecclesiam definita; sed quia est conclusio theologica, sic ex una naturali, & altera de fide deducta:

Omnis

Omnis homo est risibilis;
Sed Christus est homo.
Ergo Christus est risibilis.

Ergo conclusio theologica est certa certitudine fidei, quia conclusio theologica. Resp. neg. ant. Ad cujus probationem dico, non ideò hæreticum fore illum, quisquis hanc propositionem negaret, quia illam præcisè negaret; sed quia negando illam, *Christus est risibilis*, præsumeretur negare istam alteram, *Christus est homo*, quæ de fide est, & ex qua naturaliter sequitur.

Urgebis. Qui negaret propositionem istam, *Christus mortuus est pro me*; vel istam, *Christus mortuus est pro illo homine, vel illo*, esset hæreticus nedum præsumptivè, sed etiam formaliter; hæc enim propositio habet certitudinem fidei, cùm Paulus ad Galatas c. 2. v. 20. de Christo Domino loquatur tanquam pro se mortuo, dicens: *Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me*. Atqui illa propositio, *Christus mortuus est pro me*, est conclusio purè theologica, ex altera ista de fide, *Christus mortuus est pro omnibus*, sic deducta:

Christus mortuus est pro omnibus hominibus.
Ergo mortuus est pro me.

Ergo pro illo & illo, & pro alio quocumque homine. Ergo hæreticus esset formaliter, qui negaret conclusionem theologicam præcisè, qua talem. Ergo. Resp. conc. maj. nego min. cum *Yzamberto*; nimirum hanc propositionem, *Christus mortuus est pro me*, esse tantùm & purè conclusionem theologicam. Ratio est, quia eam de fide esse, patet ex eo, quòd id, quod per illam significatur, est à Deo immediatè revelatum, si non quoad eadem verba, saltem quoad sensum; nam Christum esse mortuum pro omnibus & singulis hominibus, est idem quoad sensum, ac Christum esse mortuum pro illo & illo, pro me & pro alio quocumque homine, nullo excluso. Atqui revelatum est à Deo, Christum esse mortuum pro omnibus hominibus, ut passim in Scriptura docetur: ergo & revelatum est, quoad sensum, quòd Christus sit mortuus pro me, pro illo & illo, & pro alio quocumque homine. *Ad Heb. c. 2. v. 20. ad Tit. c. 2. v. 11. 12. 13. 14.*

Addes. Illa propositio est purè conclusio theologica, & non revelata, quæ infertur per discursum ex altera revelata. Atqui illa præfata, *Christus mortuus est pro me*, infertur per discursum ex altera illa revelata, *Christus mortuus est pro omnibus hominibus*. Ergo est conclusio purè theologica.

Resp. dist. maj. Est conclusio purè theologica, si inferatur ex altera revelata; si inferatur ratione connexionis, & per nudam illationem. Conc. Si inferatur ex altera ratione significationis, & per nudam quasi explicationem, sive declarationem: neg. maj. & sub eadem dist. neg. min. & conseq. Ratio & explicatio dist. est, quia nimirum hæc præfata propositio infertur ex altera revelata, non ratione connexionis, sed ratione significationis, non per nudam illationem, sed per nudam quasi explicationem; potest enim aliqua propositio inferri ex altera dupliciter, vel ratione connexionis quam habet cum illa, & per puram illationem, vel ratione significationis, & per nudam quasi explicationem.

Ra-

Ratione quidem *connexionis*, infertur una propositio ex altera, quatenus ejus significatum habet connexionem cum significato alterius. Sic ista: *Christus est risibilis*, infertur ex ista, *Christus est homo*, ratione connexionis, quia significatum illius habet connexionem naturalem cum significato istius alterius.

Ratione verò *significationis*, una propositio infertur ex altera, quatenus illa altera idem virtualiter significat, quod ista, quæ infertur ex ea, seu quatenus significatum istius virtualiter & implicitè continetur in significato alterius. Sic ista: *Christus mortuus est pro me*, infertur & deducitur ratione significationis ex ista altera de fide, *Christus mortuus est pro omnibus hominibus*, quatenus significatum ejus continetur virtualiter & implicitè in significato istius alterius; nam propositio, quæ dicit & significat Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, virtualiter & implicitè dicit ac significat mortuum esse pro me, pro illo, pro isto, & pro alio quocumque homine.

Unde deductio istius propositionis, *Christus mortuus est pro me*, facta ex altera ista: *Christus mortuus est pro omnibus*, ratione significationis, est potiùs nuda explicatio, sive declaratio, quàm illatio discursiva propriè dicta; ac proinde hæc propositio sic deducta, est potiùs propositio de fide, quàm theologica conclusio. Unde hac distinctione posita, facilè intelliguntur sancti Patres dum dicunt, non minùs esse credenda quæ inferuntur ex sacris litteris, quàm quæ in illis habentur expressa; dicendo nimirum, id esse verum de his, quæ inferuntur ex sacris litteris *ratione suæ significationis*, non verò de his, quæ ratione connexionis tantùm inferuntur ex illis.

ARTICULUS VII.

Utrùm omne dogma catholicum, sit fidei dogma.

Quia catholici dogmatis nomen multipliciter potest usurpari, ideò

CONCLUSIO.

Dogma catholicum triplex.

Dico, *dogma catholicum genericè & latè sumptum triplex esse posse, videlicet imperatum, liberum, & toleratum, & ex his, solum imperatum esse fidei dogma*; & sic

Pr. 1. Dogma catholicum genericè & latè sumptum, nihil est aliud quàm doctrina Ecclesiæ Catholicæ, sive doctrina, quæ licitè, & citra censuram, in Catholica docetur Ecclesia. Atqui illa doctrina, quæ in Catholica sic docetur Ecclesia, est talis, ut sit vel *imperata*, vel *libera*, vel *tolerata*: ergo & dogma catholicum est tale, ut sit vel imperatum, vel liberum, vel toleratum.

Minor sic probatur. Doctrina quæ in Catholica docetur Ecclesia, vel est talis, ut sit cunctis proposita fidelibus cum obligatione credendi, qualis est omnis doctrina seu dogma fidei, & tunc dicitur imperata; vel talis, ut libera ac plena sit cuique facultas, illam tenendi, vel non tenendi, quæ-

qualis eſt quæcumque alia doctrina, quæ non eſt de fide, nec fidei nociva, & tunc vocatur doctrina libera; vel denique eſt talis, ut ſit adhuc cuique fideli tolerata facultas, illam tenendi, vel non tenendi, quia nondum ſatis notoriè fidei nocivam, vel hæreticam, qualis eſt illa quæcumque doctrina, quæ à multis licèt impugnata & rejecta, nondum tamen eſt Eccleſiæ judicio damnata, & hæc dicitur tolerata. Ergo doctrina quæ licitè, & citra cenſuram, in Catholica docetur Eccleſia, eſt talis, ut ſit vel *imperata*, vel *libera*, vel *tolerata*.

Ergo & dogma catholicum genericè & latè ſumptum, eſt conſequenter tale, ut ſit vel imperatum, vel liberum, vel toleratum. Dixi dogma catholicum latè ſumptum; nam dogma catholicum propriè & ſtrictè ſumptum, ſeu quodcumque fidei dogma, eſt dogma imperatum.

Pr. 2. Multiplici exemplorum inductione dari hujuſmodi triplex catholici dogmatis genus, videlicet imperatum, liberum & toleratum; & in primis de dogmate catholico imperato; ſic

Pr. Dogma catholicum imperatum, ſive dogma catholicum propriè dictum, nihil eſt aliud quàm fidei dogma, omnibus cum obligatione credendi propoſitum. Atqui multiplex datur hujuſmodi fidei dogma, omnibus cum obligatione credendi propoſitum; qualia v. g. ſunt iſta **Imperatum.**

1. Quòd *Deus ſit unus in eſſentia, ſolus & non multiplex*, contra Polytheiſtas.
2. Quòd *ſit trinus in perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto*, contra Sabellianos.
3. Quòd *Chriſtus Dominus ſit Dei Patris æterni Filius & conſubſtantialis*, contra Arianos.
4. Quòd *Spiritus ſanctus ſit pariter Deus, & cum Patre & Filio coadorandus*, contra Macedonium.
5. Quòd *duæ ſint in Chriſto voluntates, divina ſcilicet & humana*, contra Monothelitas.

Qualia denique ſunt & reliqua omnia fidei catholicæ dogmata, quæ nobis cum obligatione credendi Catholica proponit Eccleſia, quæve quiſquis negaret, ſtatim hæreticus foret habendus. Ergo multiplex datur dogma catholicum imperatum, ſive dogma catholicum propriè dictum; idque negare poteſt catholicus nemo: quòd etiam detur & dogma catholicum liberum; ſic

Pr. Dogma catholicum liberum, eſt quæcumque doctrina, quæ eſt talis, ut neque ſit de fide, neque fidei nociva, & de qua tenenda vel non tenenda, eſt libera cuique in Eccleſia facultas. Atqui multiplex datur hujuſmodi doctrina, de qua tenenda vel non tenenda, eſt libera cuique in Eccleſia facultas; qualis eſt v. g. doctrina, **Liberum.**

1. *De poſſibilitate vel impoſſibilitate mundi, ab æterno.*
2. *De futuro, vel non futuro Chriſti adventu, ſi Adam non peccaſſet.*
3. *De æterna hominum prædeſtinatione ante vel poſt ipſorum præviſa merita.*
4. *De admittenda, vel neganda prædeterminatione phyſica, aut per ſeipſam efficaci gratia.*
5. *De aſſerenda vel neganda ſcientia Dei media.*
6. *De admittenda vel non admittenda diſtinctione Scotica formali, vel Thomiſtica virtuali, inter attributa divina.*

Qualis denique eſt quæcumque ſimilis alia doctrina, quam tenendi, vel non tenendi, libera eſt cuique in Eccleſia facultas. Ergo multiplex datur

tur

tur dogma catholicum liberum; quòd etiam detur & dogma catholicum toleratum; sic

Toleratum. Pr. Dogma catholicum toleratum nihil est aliud quàm doctrina illa, quæ talis est, ut non sit de fide, neque satis notoriè contra fidem, & hæretica, quia nondum ab Ecclesia damnata ut hæretica, sed tolerata. Atqui multiplex esse potest hujusmodi doctrina, quæ non sit de fide, nec satis notoriè contra fidem, & hæretica, quia nondum ab Ecclesia damnata, sed tolerata:

Qualis 1. dici potuit olim ante Damasi Romani Pontificis tempora, doctrina *de millenario Christi in terris regno, post resurrectionem & judicium extremum futuro*, quam Papias omnium primus invexisse creditur, & quam tenuisse dicuntur sancti *Justinus* Martyr, & *Irenæus*: quin tamen in hoc fuisse dicantur hæretici, quia nimirum hæc opinio sive doctrina tunc nondum erat satis notoriè contra fidem, quia nondum ab Ecclesia damnata ut hæretica, sed tolerata.

Qualis 2. fuit olim *Monothelitarum* doctrina *de una in Christo voluntate*, eo tempore quo Honorius Romanus Pontifex, hujus nominis primus, celebres illas scripsit ad *Sergium* Monothelitam Epistolas, quibus pro bono pacis, unius, vel geminæ voluntatis silentium imperabat; hæc enim doctrina eo tempore, quo datæ illæ ad *Sergium* litteræ, nondum satis notoriè contra fidem, nondum satis apertè hæretica, quia nondum ab Ecclesia damnata, sed sub judice lis pendebat adhuc: ac proinde pendente lite, tolerata erat adhuc utriusque partis doctrina, donec deinde, quadraginta circiter post annos, fuere in sexta Synodo damnatæ, & combustæ præfatæ Honorii ad *Sergium* litteræ, quia jam finita causa, fidei nocere visæ fuere.

Qualis 3. fuit doctrina *de non valido Hæreticorum baptismate*, tempore S. Cypriani, pro qua tam acriter pugnavit olim in Africa *Cyprianus*, & contra quam tam generosè restitit è Romana sede *Stephanus*, vir uterque magnus, uterque pius & sanctus, neuter tamen censuræ calculo dignus; quia tunc nondum hæc, ut hæretica, damnata erat, Ecclesiæ judicio, doctrina.

Qualis 4. fuit SS. Hieronymi & Augustini temporibus doctrina asserens, *animas nostras ex traduce fieri*, hoc est, non à Deo creari; sed animam ex anima, sicut corpus ex corpore, à generante causari, & cum semine traduci ac propagari, quam doctrinam tunc catholici tenebant multi; imò *maxima pars Occidentalium*, ut scribit Marcellino respondens Hieronymus; nec tamen in hoc erant hæretici, quia doctrinam illam hæreticam esse, nondum Ecclesiæ judicio constabat, & licitum adhuc erat, hac de quæstione disputare, ut expresè notat S. Augustinus, ea de re interrogatus, & scribens ad Optatum, ac dicens: *De qua re antequam aliquid admoneam, sinceritatem tuam scire volo, in tam multis opusculis meis, nunquam me fuisse ausum de hac quæstione definitam proferre sententiam.... quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est hac Epistola exprimere, nec tam necessarium, ut hoc omisso, non possit de hac quæstione, quod satis est, disputari.*

Hier. Epist. ad Marcellin.

Aug. Epist. ad Opt.

Qualis 5. fuit & olim doctrina *de dilata justorum visione beatifica ad extremum usque judicii diem*, quam Joannem XXII. tenuisse ferunt nonnulli; hæreticum tamen in hoc fuisse Summum illum Pontificem asserit nemo,

mo, quia nullibi damnata erat adhuc ab Ecclesia, nec proscripta, sed tolerata doctrina, licèt posteà meritò fuerit 1. à Benedicto XII. Joannis XXII. successore; 2. à Florentina Synodo; & tandem à Concilio Tridentino, ut hæretica damnata, *Sess.* 25. *decret. de invoc. ven. & Reliq. SS.* quo expressè declaratum est, eos *impiè sentire*, qui, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, negant: vel eos pro hominibus non orare, contendunt.

In extrav. Ben. Deus, in decr. un. Arm.

Sess. 25. decr. de invoc. & ven. SS.

Qualis denique dici posset adhuc hodie quæcumque doctrina alia, nondum Ecclesiæ judicio damnata, sed tolerata. Ergo ex iis, aliis omissis, sufficienter patet, multiplex esse posse dogma catholicum toleratum; ergo & triplex consequenter esse dogma catholicum latè & genericè consideratum, videlicet *imperatum*, *liberum*, & *toleratum*. Ac proinde manifestè patet, non omne absolutè dogma catholicum, esse fidei dogma; sed solùm dogma catholicum propriè dictum, seu imperatum.

Objicies. Ex communi loquendi usu & sensu, id solùm catholicum dogma dicitur, quod est fidei catholicæ dogma: ergo quidquid de fide catholica non est, nullatenus catholicum dici debet. Resp. dist. ant. Id solùm catholicum dici debet quod est fidei catholicæ dogma, catholicum strictè & propriè dictum; Conc. Catholicum latè & minùs propriè dictum; Nego ant. Plura enim & alia dogmata tenent in Ecclesia Catholica Catholici Doctores quamplurimi, quæ catholica sunt, sed catholica non propriè & strictè dicta, quia non fidei dogmata, sed catholica latè & minùs propriè dicta, seu non *imperata*, sed *libera*, vel *tolerata*, quæ neque sunt de fide catholica, neque contra fidem, ut allata manifestè probant exempla, quæque alii tenent, alii negant, utrique tamen Catholici; à nullo autem negarentur catholico viro, si dogmata catholica propriè & strictè sumpta, seu fidei catholicæ dogmata essent, cùm ex *Vincentio* Lirinensi in suo Commonitorio 1. c. 3. *id propriè catholicum sit, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Cavendum tamen à lata hac, & minùs propria significatione, quòd alia magis propria adeò in Ecclesia invaluerit, ut ferè unica esse videatur.

Ex iis solùm imperatum, est dogma fidei.

Occurritur objectioni.

ARTICULUS VIII.

An id omne, quod est de fide, seu fidei dogma, sit articulus fidei.

CUm non minùs decipi persæpè soleant Tyrones non pauci, audito dogmatis fidei vocabulo, arbitrantes nimirum, id omne quod est de fide, seu fidei dogma, esse articulum fidei, neutiquam distinguentes inter dogma fidei & articulum fidei; ideò sicut suprà quæsitum est, an id omne quod est dogma catholicum, sit dogma fidei, hìc jam quæritur & investigatur, an id omne quod est dogma fidei, sit articulus fidei? Quod clariùs ut resolvatur, priùs videndum est, & examinandum, quid propriè sit articulus fidei: nam licèt conveniant omnes in hoc, quòd articulus fidei generatim sumptus, nihil est aliud, quàm veritas fidei aliqua à Deo revelata, non conveniunt tamen in modo sese explicandi, & definiendi quid propriè, seu quæ fidei veritas sit articulus fidei.

Quid sit articulus fidei.

Sunt enim aliqui, qui considerant fidei veritates, seu veritates revelatas omnes simul & collectivè, prout constituunt unum corpus, quod dicitur corpus revelatorum, sive corpus credendorum; & dicunt, quòd sicut in corpore naturali, aliæ sunt partes principales & substantiales atque majores, quæ dicuntur membra sive artus, vel articuli, quia continent, colligant & arctant cæteras minùs principales atque minores; ita & in corpore credendorum aliæ sunt partes, seu fidei veritates principales, & quasi substantiales atque majores, quæ per se pertinent ad fidem, suntque de sperandarum substantia rerum, quæ dicuntur corporis credendorum, membra sive artus, hoc est, fidei articuli, tum quia cæteras minùs principales atque minores continent, colligant & arctant, tum quia (cùm sint ad salutem scitu necessaria) obligant & arctant nos ad credendum; unde est quòd articulus fidei definiatur à Richardo Victorino, *indivisibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum.*

S. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 6. ad 3.

Sed quia, ut ait S. Thomas, *illa definitio datur de articulo magis secundùm quandam etymologiam nominis, prout habet derivationem Latinam, quàm secundùm ejus veram significationem, prout à Græco derivatur, unde non est magni ponderis*; ideò articulus fidei aliter definitur ab aliis, cum Yzamberto, post S. Thomam, dicendo nempe, quòd articulus fidei, *est principalis fidei veritas, omnibus ad explicitè credendum proposita, & distinctam continens difficultatem.* Ratio istorum est, quia cùm, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 6. in c. de ratione objecti fidei sit, ut sit quid obscurum & inevidens, ac proinde ad videndum difficile, sequitur, quòd ubi sunt diversa fidei objecta, quæ diversas ad videndum difficultates, seu dubitandi rationes offerunt, illa diversos constituunt fidei articulos; & econtrà ubi sunt diversa fidei objecta, quæ non plures, sed unam & eamdem difficultatem offerunt, non plures constituunt, sed ad eundem revocari debent fidei articulum. Sic v. g. ista tria, *passio, mors,* & *sepultura* Christi, quia non tres difficultates offerunt, sed unam tantùm, cùm constet, quòd Christi passione jam cognita & credita, facilè cognoscantur & credantur ejusdem *mors* ac *sepultura*; ideò hæc tria fidei nostræ objecta non tres constituunt, sed ad unum & eumdem revocantur fidei articulum; & quia econtrà *Resurrectio* Christi specialem ac distinctam difficultatem offert, ideò specialem ac distinctum constituit fidei articulum. Verba S. Thomæ sunt ista 2. 2. q. 1. art. 6. in c. *Est autem objectum fidei, aliquid non visum circa divina, ut suprà dictum est: & ideò ubi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi est specialis articulus: ubi autem multa secundùm eamdem rationem sunt cognita, vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi; sicut aliam difficultatem habet ad videndum, quòd Deus sit passus, & aliam quòd mortuus resurrexerit, & ideò distinguitur articulus Resurrectionis ab articulo Passionis; sed quòd sit passus, mortuus & sepultus, unam & eamdem difficultatem habent, ita quòd uno suscepto, non est difficile alia suscipere, & propter hoc omnia hæc pertinent ad unum articulum.*

Alii denique, ut expeditiùs loquantur & clariùs, quin recedant à S. Thoma, dicunt, articulum fidei sumi posse dupliciter, strictè, sive propriè, & latè, sive impropriè; & ratio est, quia cùm articulus fidei, ut sic generatim sumptus, sit veritas fidei, & veritas fidei possit esse talis, ut sit de fide secundùm se, seu per se; vel non sit de fide secundùm se, sed solùm per accidens, & in ordine ad alia; si sit de fide secundùm se, ut istæ, *Deus est trinus & unus, Filius Dei est incarnatus,* est articulus fidei propriè

di-

dictus; si verò non sit de fide secundùm se, sed solùm per accidens, & in ordine ad alia, ut istæ quibus dicitur, quòd *Abraham duos filios habuit, quòd ad tactum ossium Elisei suscitatus est mortuus*, est articulus fidei impropriè & latè sumptus.

Illa autem sunt de fide secundùm se, quæ videnda speramus in patria, juxta illud Pauli dicentis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*; & illa quæ videnda speramus in patria, sunt tres personæ Omnipotentis, & mysterium Incarnationis Christi, juxta illud Joannis: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Illa verò non sunt de fide secundùm se, sed solùm per accidens, & in ordine ad alia, quæ sunt proposita ut credenda ad manifestationem prædictorum, hoc est, ad manifestationem divinæ Majestatis, vel Incarnationis Christi: quibus ita positis,

Paul. ad Heb. c. 11. v. 1.

Ioan. c. 17. v. 3.

CONCLUSIO.

Dico, *non omnia fidei dogmata, seu non omnes fidei veritates, sed solas principales & primarias, esse articulos fidei propriè dictos; cæteras verò minùs principales & secundarias, impropriè tantùm & reductivè, quatenus reduci possunt ad aliquem ex articulis fidei propriè dictis, sicut & ipsi articuli fidei propriè dicti reducuntur ad duos primarios alios, tanquam ad duo generalia principia, in quibus implicitè continentur, scilicet illos, unum quo credimus Deum esse, alterum quo credimus, illum habere providentiam omnium creaturarum maximè rationalium*, & sic.

Non omnis fidei veritas est articulus fidei.

S. Th. 2. 2. q. 1. ar. 6. ad 1.

Pr. prima pars; 1. quia ex S. Thoma, illæ solæ veritates fidei debent dici articuli fidei propriè, quæ sunt de his fidei veritatibus, seu de his credibilibus, de quibus est fides secundùm se, sive quæ sunt de fide secundùm se; non verò illæ, quæ non sunt de fide secundùm se, sed solùm in ordine ad alia, cùm S. Thomas sic expresè dicat: *Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundùm se.... & secundùm ista distinguuntur articuli fidei..... Aliqua verò sunt credibilia, de quibus non est fides secundùm se, sed solùm in ordine ad alia..... & secundùm talia non oportet articulos distinguere.* Atqui illæ fidei veritates, quæ sunt de fide secundùm se, seu illa credibilia de quibus est fides secundùm se, sunt fidei veritates principales & primariæ, cùm ex eodem S. Thom. ibid. *Fides sit principaliter expresè de his quæ videnda speramus in patria*, juxta illud Pauli ad Heb. c. 11. v. 1. dicentis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*; & ea quæ videnda speramus in patria, *sint tres personæ omnipotentis Dei, & mysterium Incarnationis Christi*, quæ sunt fidei nostræ veritates principales & primariæ. Ergo non omnes fidei veritates, sed solæ principales & primariæ, sunt propriè articuli fidei, aliæ verò non, nisi impropriè & reductivè.

2. Quia articulus fidei propriè dictus, & communiter sumptus, est veritas fidei principalis aliqua, omnibus ad salutem scitu necessaria, & nobis ad explicitè credendum proposita. Atqui multæ sunt, tum in Scriptura, tum in Traditione, fidei veritates, quæ non sunt fidei principales veritates, nec omnibus ad salutem scitu explicitè necessaria, nec nobis ut tales ad explicitè credendum propositæ, quales dici possunt inter alias, v. g. 1. Quòd Christus nascens, fuerit pannis involutus. 2. Quòd fuerit in præsepio positus. 3. Quòd fuerit octavo die circumcisus. 4. Quòd fuerit à Magis adoratus. 5. Quòd Magi apertis thesauris suis ei aurum, thus, &

Luc. c. 2. v. 7. & v. 21. Matth. c. 2. v. 11. & 12.

myrrham obtulerint. 6. Quòd in patriam suam per aliam viam reversi sint: hæ enim omnes & aliæ similes multæ, sunt fidei veritates, quia in Scriptura revelatæ; sed non sunt principales, nec scitu ad salutem necessariæ, nec nobis ad explicitè necessariò credendum propositæ. Ergo multæ sunt fidei veritates quæ non sunt articuli fidei propriè dicti, sed tantùm impropriè & reductivè, quatenus nulla est fidei veritas, quæ non reduci possit ad aliquem fidei articulum propriè dictum; ut sic

Pr. 2. pars. 1. quia sicut in corpore naturali, licèt omnes corporis partes non sint, nec dicantur propriè membra sive artus, sed solùm majores & principales, nulla tamen est etiam minima corporis pars, quæ non contineatur implicitè in aliquo membro sive artu, quæque non reducatur ad illum; ita in corpore credendorum sive veritatum fidei revelatarum, licèt non omnes, sed principales, & primariæ, sint & dicantur propriè membra, seu artus, sive articuli, nulla tamen est, etiam minima, quæ non implicitè contineatur in aliqua principali sive primaria, seu in aliquo fidei articulo, quæque non possit ad aliquem ex iis reduci; ideò enim articuli, sive artus dicuntur, quia cæteras minores & minùs principales continent, ligant & arctant; ergo, &c.

Licèt fidei veritates omnes, reducantur ad articulos fidei.

2. Quia articuli fidei, in Symbolo Apostolorum comprehensi, sunt primaria Catholicæ doctrinæ capita, seu generalia fidei nostræ principia & fundamenta; ergo sicut cujuslibet scientiæ naturalis veritates fundantur & virtute continentur in talis scientiæ principiis, & ad illa reducuntur, ita & fidei nostræ veritates omnes fundantur & continentur virtualiter & implicitè in fidei articulis illis, ita ut nulla sit, quæ non reducatur ad aliquem ex illis.

3. Quia inductione nonnullarum manifestè patet: nam licèt in Symboli Apostolorum articulis, nulla fiat explicita mentio, de necessitate Sacramentorum, de obligatione servandi decalogi, de bonorum operum necessitate, de animæ immortalitate, de Scripturis divinis, quæ scilicet sint, vel non sint verè divinæ, vel apocryphæ, & aliæ multæ; ex iis tamen nulla est, cujus mentio non contineatur implicitè & reductivè in Symboli articulis, & quæ non reducatur ad aliquem ex illis, nam v. g.

Sacramentorum implicita mentio reducitur ad articulum, quo credimus *Christum Jesum*, seu Salvatorem: nam eo ipso, quo credimus explicitè Christum esse Salvatorem nostrum, censemur implicitè credere omnes modos particulares, quibus nos ad salutem perducere decrevit; unde, cùm Sacramenta sint media à Christo Jesu ad sanctificationem & salutem nostram instituta, sequitur quòd dum credimus explicitè Christum Jesum, censemur implicitè credere Sacramenta, & sic Sacramentorum implicita mentio reducitur ad istum articulum; imò & ad articulum, quo credimus *remissionem peccatorum*, cùm Sacramenta sint ad primam vel secundam gratiam conferendam instituta, ac proinde ad remissionem peccatorum media.

Mentio implicita obligationis servandi decalogi, reduci potest ad illum articulum, quo *credimus in Deum*, tendendo in eum, ut finem nostrum ultimum, per observationem mandatorum ejus, quia ex S. Augustino in Joan. *Credere in Deum, est credendo Deum amare, & credendo in ipsum ire, eique incorporari, non per quamlibet fidem, sed per eam, quæ justificat impium*. Imò & ad articulum, quo credimus *vitam æternam*, sicut & ne-

S. August. Tract. 29. in Ioan.

necessitas bonorum operum, cùm vita æterna, sit bonorum operum, & observationis mandatorum merces, imò & immortalitas animæ ad eumdem vitæ æternæ articulum reducitur, cùm vita æterna immortalitatem animæ denotet & supponat.

Veritas autem fidei, qua credimus, has Scripturas esse divinas, & non illas, reducitur ad illum articulum, quo credimus *sanctam Ecclesiam*, cùm Ecclesiæ sit definire, quæ sint Scripturæ verè divinæ, vel apocryphæ, sicut & alias quascumque fidei veritates declarare, & nobis ad credendum proponere; unde ad istum articulum reduci possunt cæteræ quæcumque fidei veritates, in Scriptura vel Traditione revelatæ, & in Symboli articulis non expressæ; ergo nulla est fidei veritas, quæ si non sit principalis & articulus fidei, non reducatur ad aliquem fidei articulum in Symbolo contentum, sicut nullus est fidei articulus Symboli, qui non reducatur ad duos primarios istos, sive ad ista duo generalissima principia, quorum uno credimus, *Deum esse*; altero, *Deum habere rerum omnium maximè rationalium providentiam*, sive curam, & de quibus intelligendus *Paulus*, dum ad Hebræos c. 11. v. 6. ostendens neminem posse sine fide placere Deo, addit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et sic

Pr. 3. pars. Nam ad illud quasi generalissimum principium, sive articulum primarium, quo credimus *Deum esse*, reduci possunt omnes fidei veritates, sive articuli, quæ ad divinæ essentiæ unitatem, ad personarum trinitatem, & ad propria Dei attributa pertinent: Ad alterum verò, quo credimus illum *provisorem rerum omnium esse*, reduci possunt cæteræ fidei veritates aliæ, sive articuli; quæ ad creationem, conservationem, redemptionem, justificationem & glorificationem spectant; ergo nullus est Symboli fidei articulus, qui quoad substantiam non contineatur implicitè, virtualiter & eminenter in aliquo ex duobus illis generalissimis principiis, sive primariis fidei nostræ articulis, à quocumque fideli, & quocumque in statu, & tempore creditis, quorum uno credimus Deum esse; & altero, illum esse rerum omnium provisorem; ergo omnes fidei articuli reducuntur ad duos istos quasi generalissimos ac primarios.

Sicut articuli fidei ad duos primarios istos, quorũ uno, credimus Deum esse; altero, illum esse rerum omnium provisorem.

Objicies in primam partem. Nulla est fidei veritas, quam quisque fidelis non teneatur credere sub pœna hæreseos; ergo nulla est fidei veritas, quæ non sit articulus fidei propriè dictus. Resp. conc. ant. neg. conseq. Quia ut fidei veritas aliqua dicatur articulus fidei propriè dictus, non satis est, quòd fidelis quisque teneatur illam credere sub pœna hæreseos, sed requiritur insuper, ut sit veritas fidei principalis explicitè credenda, quæque specialem ac distinctam aliquam contineat difficultatem in credendo, nec possit reduci ad fidei articulum aliquem; quod non convenit, ut patet, omnibus & singulis fidei veritatibus, quæ sunt, vel in Scriptura, vel in Traditione revelatæ, quas tamen omnes tenetur fidelis quisque credere, sub pœna hæreseos, cùm sint de fide, utpote quia in Scriptura vel Traditione revelatæ, tenetur, inquam, credere eas, non quidem explicitè, sed implicitè, quatenus tenetur credere quidquid est in Scriptura, vel in Traditione revelatum, & ut tale per Ecclesiam propositum.

Occurritur objectioni.

Instabis. Multæ sunt in Scriptura veritates revelatæ, quæ videntur non

esse de fide, cùm nec pertineant ad Religionem, nec ad Christi doctrinam, quales sunt v. g. istæ, quòd *trecentorum cubitorum longitudo, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo* fuerit arcæ Noe, ut habetur in Genesi; quòd sex hydriæ lapideæ in nuptiis Canæ positæ, fuerint *capientes singulæ metretas binas vel ternas*, ut habetur in Joannis Euangelio; quòd in obsidione Samariæ, tanta fuerit olim ciborum penuria, ut *quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis venundaretur*, ut legitur in quarto Regum libro, & aliæ similes innumeræ; ergo non tenetur quisque fidelis credere omnes veritates in Scriptura revelatas. Resp. neg. ant. ad cujus probationem dico, cum *Tzamberto*, illas præfatas & similes alias veritates considerari posse, vel secundùm se, vel quatenus sunt in Scriptura: primo modo spectatæ, non pertinent ad fidem, nec ad Religionem; secundo modo consideratæ, pertinent ad fidem & ad publicam Ecclesiæ utilitatem, quatenus pertinent ad Scripturæ sacræ integritatem, & ad declarandam ac testandam auctoritatem, & veritatem sacrorum Scriptorum, per quos ad nos usque pervenit illa divinæ Scripturæ revelatio, quales fuere Prophetæ, Apostoli, vel alii Scriptores sacri. Resp. 2. dist. ant. Multæ sunt in Scriptura veritates revelatæ, quæ videntur non esse de fide; non esse de fide directè: conc. Indirectè: neg. ant. & conseq. Ratio est, quia ex S. Th. 1. 2. q. 32. art. 4. in c. *ad fidem pertinere* potest aliquid duplici modo, videlicet directè, vel indirectè; ea ad fidem directè pertinere dicuntur, *quæ nobis sunt principaliter divinitùs tradita, ut Deum esse trinum & unum, Filium Dei esse incarnatum, & hujusmodi....: indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei; sicut, si quis diceret Samuelem non fuiße filium Elcanæ; ex hoc enim sequitur, Scripturam divinam esse falsam*: & idem dicendum de veritatibus præfatis & aliis similibus in Scriptura revelatis, quæ licèt secundùm se non videantur ad fidem, nec ad Religionem pertinere, tamen quatenus sunt in Scriptura revelatæ, sunt indirectè de fide; quia ex his negatis, eo ipso quo sunt in Scriptura divina, sequitur Scripturam divinam esse falsam, quod est contrarium fidei.

Genes. c. 6. v. 15. — *Ioan. c. 2. v. 6.* — *4. Reg. c. 6. v. 15.* — Alia sunt de fide directè, alia indirectè. — *S. Th. 1. 2. q. 32. ar. 4. in c.*

ARTICULUS IX.

Dum controvertitur de Catholico dogmate aliquo, quis supremus esse debeat controversiæ judex.

MAgnum est, ac celebre dissidium, quo Catholici, & recentiores nostri temporis hæretici disputant inter se, & acriter litigant, de competenti, ac legitimo controversiarum, circa Fidem & Religionem, emergentium judice. Conveniunt quidem omnes, admittendum esse harum controversiarum judicem aliquem, sed in designando, quis ille esse debeat, non conveniunt: Lutherani enim & Calvinistæ solam Scripturam, normam & judicem esse volunt, & ex ea sola omnes fidei controversias decidi posse, contendunt.

Suencfeldiani econtra Euangelica de secta viri, sed Antilutherani, cum suo duce *Gaspare Suencfeldio*, non Scripturam, sed spiritum privatum, seu privatam Spiritus sancti revelationem, ut judicem audiendum esse docent:

cent: Suencfeldius enim ille, teste *Hosio, cùm videret Lutheranos, & Sacramentarios, & Anabaptistas, & omnes non hujus modò tempestatis, verùm etiam priscorum sæculorum hæreticos, è Scripturis errores suos confirmare.... excogitavit & ipse novam hæresim, ac Scripturarum nixus præsidio, Scripturis auctoritatem omnem abrogare conatus est, sic enim loquitur cum suis: Non oportet quemquam Legis, aut Scripturæ esse peritum; sed à Deo doctum: nam etsi millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen non nisi Scriptura peritus evades, & nunquam à Deo doctus. Vanus est labor qui Scripturæ impenditur: Scriptura enim creatura est, non convenit Christiano nimium Scripturæ addictum esse. Deum audire oportet: hujus voces de cælo expectandæ sunt, ut erudiant. Beatus vir, inquit David, quem tu erudieris, Domine: æquè nos docet hodie, atque olim Patriarchas & Prophetas: visionibus & somniis attendendum: illis enim loquitur nobis Deus. Vox Dei rectè docet, Scriptura non est verbum Dei, sed mortua tantùm littera, & inter alias creaturas reputanda, non putes te ex Scripturis doctum: è cælis illud expectandum erit, non è libris, Spiritus sanctus è supernis delabitur citra omne medium, non per externum auditum, & vocalem prædicationem, seu Scripturarum lectionem.* Unde supponit Phanaticus ille, quemlibet privatum hominem à Spiritu sancto immediatè doceri per revelationem privatam, & privatam illam revelationem, seu privatum illum spiritum revelantem & immediatè docentem, & non Scripturam, ut doctorem, & judicem controversiarum, audiendum esse contendit.

Hosius lib. 1. de hæres. nost. temp. apud l'raeol.

Psal. 93. v. 13.

Catholici contra utrosque distinguunt inter judicem & normam, judicem vocant eum, qui sententiam inter litigantes profert, normam verò sive regulam, dicunt, juxta quam fertur à judice sententia; eaque distinctione posita, tenent communiter omnes, nec Scripturam, nec spiritum privatum, sed solam Ecclesiam, esse judicem; normam verò, juxta quam judicat Ecclesia, esse, non solam Scripturam, sed Scripturam & Traditionem; quod licèt satis constare videatur ex suprà dictis, ubi eam dumtaxat doctrinam, Catholicam esse diximus, quam ut Catholicam proposuerit Ecclesia, tamen ut fusiùs pateat & clariùs,

CONCLUSIO.

Dico, *nec Scripturam, nec spiritum privatum, sed solam Ecclesiam, idest Romanum Pontificem, sive in Conciliis, sive extra, quoties ex Cathedra loquitur, esse supremum ac legitimum judicem controversiarum, circa Fidem & Religionem emergentium*; sicque

Pr. 1. pars de Scriptura sic: 1. Scriptura sacra spectari potest, vel quoad litteram, vel quoad sensum; atqui Scriptura neque quoad litteram, neque quoad sensum spectata, potest esse judex controversiarum, circa Fidem & Religionem emergentium; ergo nullo modo. Pr. minor quoad utramque partem,

Controversiarum circa Religionem emergentium judex, non est Scriptura.

1. Scriptura sacra, quoad litteram spectata, non potest esse controversiarum, circa Fidem & Religionem emergentium, judex, si Scriptura litteraliter sumpta sæpè multos occidat, seu plures in errorem inducat & hæresim; atqui sic est, ut plures occidat, constatque ex illo Pauli 2. ad Cor. c. 3. v. 6. dicentis, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, & exemplo multorum, quos sola Scripturæ littera variis temporibus occidit, & in hæresim induxit: sic enim

Quia Scriptura quoad litteram sæpè occidit. 2. ad Cor. c. 3. v. 6.

Sabellianos occidit, & Trinitatem in divinis negare fecit, quatenus hi relicto genuino Scripturæ sensu, & ad litteram explicantes illud Christi Joan. c. 10. v. 20. dicentis, *Ego & Pater unum sumus*, inferebant, Patrem & Filium, ac consequenter Spiritum sanctum esse unum quoad personam, cùm tamen, juxta genuinum Christi sensum & Ecclesiæ mentem, Christus his verbis significet, se unum esse cum Patre quoad essentiam, & non quoad personam.

Arianos occidit Scripturæ littera, & in detestabilem illam induxit hæresim, qua Christum, non Deum, sed Deo minorem & inferiorem esse docebant, quia ad litteram, genuino relicto sensu, explicabant illud Christi, apud Joan. cap. 14. v. 28. dicentis, *Pater major me est*, & putabant illud absolutè dictum, cùm tamen juxta SS. Patrum & Ecclesiæ mentem, Christus ibi de se loquatur ut homine præcisè, velitque dicere tantùm, se minorem esse Patre, quoad humanitatem, non quoad divinitatem.

Macedonianos pariter occidit Scripturæ littera sola, & ad Spiritus sancti divinitatem negandam induxit, dum ad litteram explicantes illud Pauli 1. ad Cor. c. 2. v. 10. dicentis, *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, inde sic discurrebant: qui scrutatur, quærit; qui quærit, dubitat; qui dubitat, ignorat; qui ignorat, Deus non est; ergo Spiritus sanctus Deus non est: & in hoc errabant ipsi, cùm germanus Apostoli sensus sit, quòd Spiritus sanctus dicatur omnia scrutari, quatenus omnia etiam cordium secretiora videat, penetret & comprehendat, ac proinde quòd sit Deus, de quo dicitur 1. Paralip. cap. 28. vers. 9. *Omnium corda scrutatur Deus*; Psalm. 7. vers. 10. *Scrutans corda & renes Deus*; & Jerem. capit. 17. versic. 10. *Ego Dominus scrutans corda*.

Manichæos occidit etiam nuda Scripturæ littera, eosque hunc in errorem induxit, quo vetus Testamentum novo contrarium esse credebant, quia ad litteram intelligebant vetus, dum Gen. c. 1. v. 27. dicit, *hominem ad imaginem Dei factum*, & pariter novum, dum Joan. c. 8. v. 44. *hominem ex diabolo esse* docet; & iterùm vetus, dum Gen. c. 2. v. 2. ait, *Deum quievisse die septimo ab omni opere*, & novum, dum Joan. c. 5. v. 17. ait, *Deum usque modò operari*; hæc enim ad litteram intellecta videntur sibi contraria, non autem si secundùm genuinum Scripturæ & Ecclesiæ sensum explicentur: non enim repugnat hominem esse ad imaginem Dei, quoad naturam, & ex diabolo, quoad malitiam; nec Deum quievisse die septimo ab opere creationis mundi, & tamen operari adhuc, in eodem conservando atque gubernando mundo.

Sic innumeros occidit alios, & in varios errores induxit & hæreses nuda Scripturæ littera; ergo Scriptura secundùm litteram non potest esse Fidei & Religionis controversiarum judex.

Et quoad sensũ, quia obscurum sæpè, sæpè delitescit. Luc. c. 18. v. 34. & 2. Petri c. 3. v. 16.

2. Neque etiam quoad sensum considerata, ut sic ostenditur. Scriptura quoad sensum considerata, non potest esse controversiarum Fidei & Religionis judex, si Scripturæ sensus sit obscurus & ambiguus, quia sic ad alium judicem ulteriorem recurrendum esset, qui hunc sensum obscurum & ambiguum explicaret; atqui sic est, quòd genuinus Scripturæ sensus est sæpè obscurus & ambiguus, ut constat

Exemplo duorum discipulorum euntium in Castellum Emmaus, qui non intelligebant Mosem & Prophetas, nisi interpretante Christo, juxta illud

Luc.

Luc. c. 24. v. 27. *Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.*

Exemplo Eunuchi Æthiopum Reginæ, qui interrogatus à Philippo, An Isajam Prophetam, quem legebat, intelligeret? respondit, Act. c. 8. v. 31. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

Exemplo Apostolorum, qui multa ex iis, quæ audiebant à Christo, & quæ nunc scripta sunt in Euangelio, non intelligebant, juxta illud Luc. c. 18. v. 34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.*

Testimonio S. Petri in sua 2. Epist. c. 3. v. 16. dicentis, in Pauli Epistolis *esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* *Epist. Hier. ad Paulin. de om. div. hist. lib.*

Testimonio S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, in Scripturis super alios versatissimi, qui in Epist. ad Paulinum asserit, S. Joannis Apocalypsim ita esse obscuram, ut dicat, eam tot habere sacramenta quot verba.

Testimonio denique constat omnium interpretum: Si enim obscurus non esset, sed clarus, genuinus Scripturæ sensus, non tot opus esset interpretibus & commentariis, nec tot quæstionibus & controversiis ad conveniendum de genuino illo divinæ Scripturæ sensu; ergo cùm obscurus sit etiam Scripturæ sensus, non potest Scriptura, etiam quoad sensum spectata, esse controversiarum circa Fidem & Religionem emergentium judex.

Pr. 2. Variæ sunt circa Fidem & Religionem controversiæ, de quibus nulla fit, vel non sufficiens in Scriptura mentio; ergo in his dirimendis Scriptura non potest esse judex, ut per se patet. Pr. ant.

1. Controversia est inter recentiores hæreticos & Catholicos, an libri *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici* & *Machabæorum*, sint Canonici, vel non? Negant Lutherani & Calvinistæ, affirmant Catholici, & de illa controversia, vel quæstione, nulla in Scriptura mentio.

2. Controversia est de numero Sacramentorum novæ legis; hæretici præfati, duo tantùm esse volunt, Baptismum scilicet & Eucharistiam; Catholici septem esse contendunt, & tamen de hoc, vel illo Sacramentorum numero, nihil ullibi Scriptura pronuntiat vel definit, nec aliunde definitum habent Catholici septenarium Sacramentorum numerum, quàm ex Traditione, & Ecclesiæ decisione.

3. Controversia est inter Lutheranos & Calvinistas, an exorcismus in Baptismo possit adhiberi, vel non? Affirmant *Lutherani*, negant *Calvinistæ*, neutri tamen possunt suam sententiam ex Scriptura probare, cùm de quæstione illa, nulla fiat in Scriptura mentio.

4. Controversia fuit olim, an baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi? Affirmabat *S. Cyprianus* cum nonnullis aliis, negabat *S. Stephanus* Papa cum cæteris, neutri tamen potuere suam litem ex Scriptura decidere, quia de hoc nulla in Scriptura mentio, nec aliunde suam probabat sententiam *Stephanus*, quàm ex Traditione & Ecclesiæ praxi, qua victus cessit tandem *Cyprianus*; ergo multis aliis omissis variæ sunt circa Fidem & Religionem controversiæ, de quibus nulla fit in Scriptura mentio, & consequenter harum controversiarum judex esse nequit Scriptura, imò nec spiritus privatus; ut sic

Nec spiritus privatus, quia repugnans ac reprobatus.

Pr. 2. pars. Quia spiritus ille privatus, sumptus pro revelatione privata, cuilibet fideli à Deo facta, est manifestè reprobatus.

1. A Deo, variis in locis, ut patet 1. in Maria Moysis sorore, & Aaro-

Aarone fratre, qui murmurantes contra Moysen; & putantes sibi æquè ac illi Dominum loqui, per privatam revelationem seu per spiritum illum privatum, dixerunt, Num. c. 12. v. 2. *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter locutus est?....* Quod cùm audiisset Dominus, iratus est, & gravi lepra percussit Mariam sororem Moysis. 2. Patet ex illo Ezech. c. 13. v. 3. Dei jussu dicentis, *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident*; ergo reprobat Deus in Scriptura spiritum illum privatum.

Num. c. 12. v. 2. & Ezech. c. 13. v. 3.

2. Ab Ecclesia etiam reprobatur, ut patet exemplo *Montani & Maximillæ*, qui teste Euseb. lib. 5. hist. Eccl. c. 15. eo ipso quo prophetare, hoc est, suas privatas & prætensas revelationes manifestare, & ventilare cœpere, statim eos pro hæreticis habendos edixit Ecclesia.

3. A naturali denique ratione reprobatur, cùm naturalis ratio dictet, quòd si daretur ille spiritus privatus singulis, vel revelaret singulis verum vel falsum; si falsum, non esset audiendus ut judex, nec à Deo venire censendus; si verum, revelaret singulis; ergo illum sequentes verum dicerent, quidquid dicerent, etiamsi sibi contradicerent singuli; ergo verum dicerent Lutherani, dicentes in Eucharistia esse Christi corpus cum pane; & verum pariter Calvinistæ dicerent, asserentes in Eucharistia non esse Christi corpus, sed panem; ergo contradictoria simul esse vera, revelaret ille spiritus privatus; sed hoc reprobat ipsa naturalis ratio; ergo & illum contradicentem sibi spiritum privatum; ergo Fidei Religionisque Controversiarum judex esse nequit spiritus ille privatus; benè autem Ecclesia: ut sic

Ergo Ecclesia, quia nullus alius.

Pr. 3. pars., 1. Quia ex consensu omnium, etiam adversariorum, necessariò admittendus est aliquis infallibilis controversiarum, circa Fidem & Religionem, emergentium judex, & ille esse non potest alius quàm Scriptura, vel spiritus privatus, vel Ecclesia. Atqui, ut visum est, ille non potest esse Scriptura licèt infallibilis, quia obscura est, nec constat nobis sæpè de illius vero ac genuino sensu; non potest pariter esse spiritus ille privatus cuilibet datus, tum quia, ut visum est, spiritus ille privatus repugnat Deo, Ecclesiæ, & rationi, tum quia sic tot essent judices, quot homines privati, totque sententiæ, quot capita, sicque numquam finiri controversiæ possent; quisquis namque se benè, cæteros malè sentire diceret; ergo ille controversiarum, circa Fidem & Religionem emergentium, judex, alius esse non potest quàm Ecclesia, ut in conclusione explicata.

Constat ex Pauli & Barnabæ ad Apostolos & seniores recursu. *Act. c. 15. v. 2.*

2. Quia hoc manifestè probat Apostolorum factum & exemplum, tempore siquidem Apostolorum, prædicantibus Antiochiæ *Paulo & Barnaba*, orta est gravis de Circumcisione & Legalibus aliis controversia. Asserebant cum *Cerintho* nonnulli, ex Judæis ad Christum conversi, Gentiles per fidem Christi non posse salvari, nisi circumciderentur, cæterasque servarent Legis Mosaicæ cæremonias; negabant *Paulus & Barnabas*, ut habetur Act. c. 15. v. 2. Atqui ad controversiam illam dirimendam, non ad Scripturam tanquam ad communem judicem, nec ad spiritum privatum recurrendum esse, dicunt duo illi *Paulus & Barnabas*, ambo Apostoli & Prophetæ, ambo Doctores, ambo à Spiritu sancto docti, & ad prædicandum Gentilibus electi, sed de communi partium consensu recurrunt ad Ecclesiam, hoc est, ad Apostolos & seniores, ut ipsi hac de re in generali Concilio judicarent, & re ipsa Apostoli conciliariter Jerosolymis con-

congregati, & Spiritu sancto invocato, controversiam dirimendo respondere, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à sanguine, & suffocato, & fornicatione*: Quasi dicerent, visum est nobis, vobis non imponere jugum Circumcisionis aliorumque Legalium, quod grave est; sed solùm, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, à sanguine, à suffocato, & fornicatione, quod grave non est; ergo suo exemplo docuerunt Apostoli, non Scripturam solam, nec spiritum privatum, sed Ecclesiam esse legitimum ac supremum controversiarum judicem.

Act. c. 15. v. 28.

3. Quia hoc clarè demonstrat, etiam post Apostolorum tempora, perennis Ecclesiæ praxis; constat enim post Apostolorum ex hac vita discessum, varias in Ecclesia subortas esse controversias & hæreses, easque, non alio, quàm Ecclesiæ judicio, decisas vel damnatas omnes, & meritò damnatas fuisse, ipsi quoque non diffitentur adversarii: fatentur enim Lutherani, fatentur & Calvinistæ meritò damnatos, & pro hæreticis habendos esse *Novatianos, Sabellianos, Arianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychianos, Monothelitas, Donatistas & Pelagianos*; sed illi non alio, quàm Ecclesiæ judicio, cum suis hæresibus, damnati, ut ex historia notum est Ecclesiastica; ergo Ecclesiam supremum esse harum controversiarum judicem, constat ex ipsa Ecclesiæ praxi, quam ipsi quoque non diffitentur adversarii.

Ex perenni, post Apostolos, Ecclesiæ praxi.

4. Quia hoc expresè docet *S. August. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 22.* dum ex occasione celebris controversiæ contra Donatistas: *An baptismus collatus extra Ecclesiam ab hæreticis, esset validus, nec proinde iterandus?* quod ex Scriptura firmiter probari non posse probat, & hac in lite, sicut in qualibet alia, Ecclesiæ judicio standum esse, fusè demonstrat, ac proinde Ecclesiam supremum controversiarum judicem esse declarat.

Ex S. Augustino probante. *Lib. de un. Eccl. c. 22.*

5. Denique quia hoc expresè decernit Tridentina Synodus Sess. 4. decreto de editione & usu sacrorum librorum, dicens: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit sancta Synodus, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Quo nihil expressius dicere potuit, ut Ecclesiam tanquam solum & supremum controversiarum judicem audiendam esse mandaret; ergo nec Scriptura, nec spiritus ille privatus, sed sola Ecclesia est verus ac supremus controversiarum circa Religionem emergentium judex.

Ex Tridentino declarante. *Sess. 4. det. de edit. & usu sac. lib.*

Objicies 1. in primam partem. In veteri Testamento, Judæi, dum oriebatur controversia aliqua, mittebantur ad Scripturam tanquam ad judicem, juxta illud Isajæ c. 8. v. 20. *Ad legem magis & ad testimonium*; ergo & in novo Testamento, Scriptura est fidei controversiarum judex. Resp. neg. ant. quod non probant hæc Isajæ verba; agitur enim ibi contra eos qui Pythonissas & Ariolos de futuris eventibus consulebant, & remittuntur partim ad Legem, & partim ad testimonium Prophetarum, ita ut sensus verborum Isajæ sit, si vultis certiores fieri de futuris eventibus, non Pythonissas debetis consulere, ut fecit Saul, 1. Reg. c. 28. v. 7. quia hoc Deus per Legem prohibuit, ad quam vos remitto; sed consulite Prophetas Domini, quorum officium est de futu-

Occurritur adversariis ex Scriptura pro Scriptura pugnantibus.

ris

ris prænuntiare, quod nihil penitùs facit ad judicem controversiarum.

Objicies 2. Ad dirimendam controversiam illam, qua negabant olim Judæi, Christum esse Dei Filium, Christus illos ad Scripturam provocat, dicens, Joan. c. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*; ergo suo exemplo indicat Christus, solam Scripturam esse controversiarum, circa Fidem & Religionem emergentium, judicem. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia non ibi Christus Judæos ad Scripturam provocat, ut ad talis controversiæ judicem, sed ut ad fidelem, Judæisque non suspectum suæ doctrinæ ac divinitatis testem, idque patet ex ipsis Christi verbis; non enim dicit Christus: Scrutamini Scripturas, illæ judicant de me; sed sic, *Scrutamini Scripturas, illæ testimonium perhibent de me.* Ibi enim Christus, ut contra Judæos, se Dei Filium & Messiam esse probet, triplici utitur testimonio, scilicet testimonio Joannis, testimonio suorum miraculorum, & testimonio Patris æterni, & cùm nullum ex iis vellent admittere Judæi, contra eos argumentando quasi ex concessis & admissis, quartum adhibet testimonium, scilicet testimonium Scripturarum, quas ipsi admittebant.

Joan. c. 5. v. 39.

Christus contra Judæos testimonio quadruplici se Dei Filium, ac Messiam esse probat.

Testimonio Joannis utitur, dum v. 33. ait, *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati*, scilicet dum dixit, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; quasi dicens, Vos legatos misistis ad Joannem, quasi ad virum, vestra etiam opinione sanctum, & fide dignum, ut sciretis ab eo, an ipse Messias esset? Joannes non se, sed me Messiam esse, respondit, hocque testimonium dedit non amicitiæ, non gratiæ, sed veritati; & testimonium ejus refellere & recusare non potestis, quem pro Messia recipere voluistis, ut explicat Euthymius.

Utitur testimonio suorum miraculorum seu operum, dum ibid. v. 36. ait, *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*

Testimonio Patris æterni utitur, dum ibid. vers. 37. pergit dicens: *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*; nam re ipsa testimonium perhibuit, cùm in meo baptismo cœlitùs intonuit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Matth. c. 3. v. 16.

Scripturarum denique utitur testimonio, dum ibid. v. 39. ait, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*; quasi dicens, Alia rejicitis testimonia licèt efficacissima, saltem Scripturarum testimonium non rejicietis, quas vos admittitis & tantoperè laudatis, has scrutamini, & in his omnibus Christum invenietis, vel in veritate apertum, vel in umbris & signis opertum.

Objicies 3. Dicitur Act. c. 17. v. 11. quòd, cùm Berœæ Dei verbum prædicaret olim *Paulus*, audiebant ipsum Berœenses cum omni aviditate, examinantes omnia quæ dicebantur ab illo, an essent Scripturis conformia; quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent; ergo agnoscebant illi Scripturam, pro Fidei controversiarum judice. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia non ad Scripturam recurrebant illi, ut ad judicem controversiarum Fidei, sed ut ad motivum aliquod suscipiendæ Fidei sibi à Paulo prædicatæ, cùm enim audirent Apostolum

præ-

prædicantem Christi fidem & Euangelium, illudque ex veteris Testamenti Scripturis probaret, ipsi ne leviter crederent, prudenter scrutabantur Scripturas, ut viderent, num testimonia veteris Testamenti de Christo à Paulo prolata, ita se haberent, ut prædicabantur à Paulo; quibus planè cognitis, moti sunt ad credendum in Christum, ut indicant hæc verba immediatè sequentia, *Et multi quidem crediderunt ex eis*; *Act. c. 17. v. 12.* nec inde sequitur, nobis Christianis & ad Christi fidem à multis sæculis receptam & examinatam conversis, licitum esse, dubitare de iis quæ sunt per Apostolos, vel per Ecclesiam, definita, & ea ad Scripturæ trutinam examinare, sicuti licitum erat illis nondum ad Christi fidem conversis; non enim tenebantur adhuc illi credere infallibilitatem Ecclesiæ promissam esse, benè autem nos in fide satis & dudum instructi.

Instabis. Illi videntur statim credidisse in Christum: dicuntur enim ibi, cum omni aviditate suscepisse verbum Dei; ergo non ad Scripturas tanquam ad motivum credendi, sed tanquam ad judicem recurrebant. Resp. neg. ant. Quia, ut ritè notat Yzambertus, verba hæc, *cum omni aviditate*, non significant, illos in Christum avidè credidisse, sed solùm, eos Paulum audiisse, ejusque concionibus de Christo habitis interfuisse cum aviditate.

Objicies 4. in secundam partem. Christus indicat apertè se docere per spiritum privatum, seu per privatam revelationem, singulas suas oves, seu fideles suos, dum ait Joan. c. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me*; idque prædictum videtur ab Isaja c. 54. v. 13. Dei nomine dicente, *Ponam.... universos filios tuos doctos à Domino*; ergo non reprobatus, sed confirmatus potius à Deo sacris in litteris, spiritus ille privatus, illeque solus agnoscendus est ut fidei controversiarum judex.

Occurritur cæteris pro spiritu privato pugnantibus aliis.

Resp. neg. ant. Quia non de spiritu privato, intelligentiam Scripturæ vel dogmatum fidei revelante cuilibet fideli, sed de gratia præveniente & ad credendum alliciente & vocante intelligendi sunt illi textus; nam ad hoc, ut quis credat, duo sunt illi necessaria, internum unum, & externum alterum; internum est gratia præveniens, alliciens, vocans, & quasi suaviter trahens ad credendum; externum est propositio, seu manifestatio credendorum. Primum seu gratiam illam internam & prævenientem indicat Christus, dum ait Joan. cap. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Secundum verò, seu propositionem credendorum indicat Paulus, ad Rom. cap. 10. v. 14. dicens, *Quomodo credent sine prædicante?* De priori ergo, seu de gratia illa præveniente, alliciente, & ad credendum & Christum sequendum interiùs vocante, loquitur Christus, dum ait in objecto textu præfato, *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*; quasi dicens, vocem meam audiunt, & me sequuntur, dum gratiam illam meam prævenientem & vocantem percipiunt, & perceptæ consentiunt, & de facto in me vocantem, fide viva credunt, quod non faciebant Judæi infideles & increduli, quique non erant oves Christi, & quibus dicebat olim Christus, *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt*. *Ioan. c. 10. v. 26.* De eodem priori, seu de eadem præveniente & ad credendum vocante gratia censendus est loqui *Isajas* loco præfato, dum ait, *Ponam.... universos filios tuos doctos à Domino*, doctos scilicet per fidem,

quæ

quæ est donum supernaturale proveniens à Domino, quodque non obtinetur, nisi per gratiam, ut explicat Gamach. Sed neque Christus nec Isajas loqui censendi sunt, his in textibus præfatis, de secundo & externo ad credendum necessario, nimirùm de credendorum propositione seu manifestatione forinsecùs sonante, & exteriùs adveniente ab Ecclesiæ Ministris & Doctoribus, de quibus Paulus ad Ephes. ait, *Ad Ephes. c. 4. v. 11.* *Alios dedit Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

Resp. 2. cum Gamachæo, dici posse, Christianos omnes esse doctos à Domino mediatè vel immediatè, quia Dominus ipse Jesus venit tandem in propria persona, & Euangelium vivæ vocis oraculo prædicavit, variisque miraculis confirmavit, juxta illud ad Heb. c. 1. v. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Deinde fideles, qui Christum in persona docentem audierant, cæteros homines eamdem à Christo receptam docuere doctrinam; sic omnes à Deo saltem mediatè docti dici possunt; quod non excludit, ut patet, externum Doctorem, sed potiùs illum supponit, ut immediatè doceat, & eo mediante Deus erudiat.

Instabis. Dicitur 1. Joan. c. 2. v. 27. *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus ..... & sicut docuit vos, manete in eo.* Ergo ex ipsomet Joanne, non alio indigemus Doctore extrinsecùs sonante & proponente. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia non excludit ibi Joannes instructionem Pastorum & Doctorum Ecclesiæ, alioquin frustrà suæ dedisset Ecclesiæ Christus, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores alios, imò & frustrà hac prolixa Epistola sua fideles doceret & instrueret ipse Joannes, sed excludit solum instructionem illam, quæ est à pseudo-Doctoribus, Apostatis, aliisque falsis Christi fideles seducentibus Apostolis, ut satis apertè notat ibidem Joannes dicens, *1. Joan. c. 2. v. 26.* *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos*; unde intendit ibi dumtaxat dicere Joannes, fideles ipsos quos jam docuerat, per ea sola quæ didicerant, fidem tueri & servare posse, contra quamcumque aliam perversam pseudo-Apostolorum doctrinam, Spiritus sancti auxiliante gratia.

Urgebis. Dicit Deus Jeremiæ cap. 31. vers. 33. & 34. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum.* Ergo per ly *Non docebit ultrà vir proximum suum*, excluditur à Deo nedum pseudo-Doctor, sed etiam quilibet omnis alius externus Ecclesiæ Doctor, tanquam inutilis & superfluus ad erudiendum proximum.

Resp. 1. dist. ant. Non docebit ultrà vir proximum suum: in patria; conc. Hìc in via, de qua est quæstio; neg. ant. & sub eadem dist. conseq. Hic enim Jeremiæ textus non de viatorum statu intelligendus, sed de futuro Christi fidelium statu beatifico, in quo non docebit ultrà vir proximum suum, imò nec quidquam aliud doceri cupient in cœlo Beati, *S. Gregor. Mag. 4. moral. c. 33.* sancto Gregorio magno dicente: *Quid enim est quod nesciant, qui scientem omnia sciunt?* Unde S. Augustinus de spiritu & littera c. 24. hunc locum sic explicat, dicens, quòd in cœlo nemo alium docebit, quia omnes omnia videbunt in Deo; verùm quia Propheta loquitur

de

de gratia novi Teſtamenti, quæ fidelibus in hac vita datur, non in cœlo. Ideò

Reſp. 2. cum aliis, Prophetam, in hoc præfato textu, nec inducere ſpiritum privatum, ut internum Doctorem, nec excludere Doctorem externum; ſed ſenſum ejus eſſe, ut exponunt *S. Chryſoſt. Theoph. OEcumen. in c. 8. ad Hebræos*, imò & *S. Auguſt. de gratia Chriſti c.* 12. Quòd tanta erit facilitas, & gratia legis Euangelicæ, ut non ſit opus magno labore ad diſcenda ad ſalutem neceſſaria, ita ut etiam ipſi pueri ea ſtatim percipiant, quia pauca erunt præcepta, & tanta erit Spiritus ſancti illuſtratio, tamque obvius ejus gratiæ impulſus ad credendum, ſperandum, & amandum, ut externa fidei prædicatio comparata ad illam internam Spiritus ſancti vocationem, parum & quaſi nihil eſſe videatur, quamvis ſemper requiratur, & ad eam dederit Eccleſiæ Deus alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, qui ſcilicet Chriſti fideles exteriùs inſtruerent, & docerent, dum Spiritus ſanctus interiùs vocaret & illuminaret. *Ad Eph. c. 4. v. 11.*

Addes. Chriſtus Joan. cap. 7. verſ. 16. ait, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere; cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit.* Ergo eo ipſo, quo quis vult Dei voluntatem facere, ſeu eo ipſo, quo diligit Deum, docetur à Deo, & cognoſcit credenda omnia; ergo ſine externo alio magiſtro. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. Quia Chriſti ſenſus non eſt, quòd quis per hoc præcisè, quòd vult Dei voluntatem facere, poſſit judicare de doctrina Chriſti, ſed tantùm, quòd ille ſit magis diſpoſitus ad judicandum de ea, quàm alius quicumque, qui non vult illam facere, ſed odio eſt affectus erga Deum, ſive Chriſtum, quales erant Judæi quærentes Chriſtum interficere. Ratio eſt, quia odium hujuſmodi ſive invidia, eſt impedimentum ad rectè, & ex æquo & bono judicandum, cùm taliter quiſque judicet, qualiter eſt affectus; ſed per hoc, licèt magis ſit diſpoſitus ſaltem negativè ad judicandum de doctrina Chriſti, non ſequitur quòd per ſolum præcisè deſiderium ſeu affectum, Dei voluntatem implendi, poſſit judicare de ea, ſecluſis requiſitis aliis.

Objicies 5. in tertiam partem. Ut Eccleſia poſſet eſſe fidei controverſiarum judex, deberet eſſe viſibilis, infallibilis, & nota; nam ſi non ſit viſibilis, non poteſt nobiſcum agere, & controverſias noſtras viva voce dirimere; ſi non ſit infallibilis, poterit in dirimendis controverſiis noſtris errare, ac proinde numquam tuti eſſemus in fide; & denique ſi non eſſet nota, ſed incognita, non poſſemus ad eam, ut ad judicem, confugere. Atqui Eccleſia non eſt viſibilis, cùm ſit articulus Fidei, eamque fide credamus; non eſt etiam infallibilis, cùm defecerit poſt primos quingentos annos, & ab eo tempore deinceps ad Lutherum uſque erràverit in fide; non eſt etiam nota & certa, cùm non certò conſtet, an Catholica ſeu Romana, vel Lutheranorum & Calviniſtarum reformata, ſit vera Eccleſia, cùm Catholici Catholicam, ipſi hæretici ſuam defendant, quam reformatam falsò nomine vocant: ergo Eccleſia non poteſt eſſe fidei controverſiarum judex.

Reſp. conc. maj. neg. min. Eccleſia enim, viſibilis, infallibilis, & nota eſt; viſibilis, licèt fide credatur, quia non creditur ſub ea ratione, ſub qua viſibilis eſt, & re ipſa videtur; tria ſiquidem in Eccleſia ſpectari poſſunt, 1. collectio hominum, qui ſunt in ea, 2. regimen ſeu politia, *Viſibilis cùm ſit Eccleſia, quomodo fide creditur?*

qua

qua hæc hominum collectio regitur à Prælatis, 3. fides & charitas, qua hi homines uniuntur inter se. Ecclesia est visibilis, & re ipsa videtur quoad duo priora, sed non est visibilis, nec videtur quoad tertium, hoc est, videtur illa hominum multitudo, quæ est in Ecclesia, & videtur regimen externum, quo regitur, sed non videtur fides & charitas, qua hi homines uniuntur inter se, & hoc sufficit, ut dicatur visibilis Ecclesia, sicut respublica aliqua dicitur visibilis, quia videtur collectio hominum, qui sunt in ea, & politia externa, qua reguntur, licèt non videatur affectus internus, quo inter se uniuntur. Est pariter infallibilis, nec est umquam in fide errasse deprehensa, cùm ex Apostolo Paulo Ecclesia *sit columna & firmamentum veritatis*, & de ea sit à Christo dictum apud Matthæum, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ut fusiùs probabitur infrà lib. 6. Quòd etiam sit nota, sive certò cognita, ut ad illam, tanquam ad judicem, facilis undique possit haberi recursus, patet ex eo quòd veras habeat veræ Christi Ecclesiæ notas, & fusiùs patebit ex dicendis articulo proximè sequenti.

1. ad Tim. c. 3. v. 15. Math. c. 16. v. 18.

ARTICULUS X.

Unde constet, hanc potiùs quàm illam, veram esse Ecclesiam.

CUm ex dictis constet, Ecclesiam esse supremum fidei controversiarum judicem, necesse consequenter est, ut pariter constet nobis, hanc potiùs quàm illam, veram esse Ecclesiam, seu quænam sit vera Christi Ecclesia; de hoc enim est controversia capitalis & maxima inter Catholicos & nostri temporis Lutheranos & Calvinistas hæreticos; Catholici siquidem Romanam, hoc est, Romano Pontifici ut capiti visibili adhærentem Ecclesiam, veram esse Christi Ecclesiam asserunt; Lutherani verò & Calvinistæ suam, quam reformatam falso nomine vocant, obstinatè defendunt; ad quam ergo tutò tanquam ad judicem confugiet Ecclesiam, quisquis erit in Fide vel Religione dubius, si de vera quoque dubius sit, & incertus Ecclesia? quare ut omne tollatur dubium, & de vera Christi constet Ecclesia,

CONCLUSIO.

Dico, *solam Romanam Ecclesiam, seu universum fidelium cœtum Romano Pontifici tanquam legitimo Petri successori, & Christi in terris Vicario adhærentem, esse veram Christi Ecclesiam*; & sic

Sola Romana Ecclesia.

Pr. 1. Illa sola Ecclesia, est vera Christi Ecclesia, quæ sola habet veræ Christi Ecclesiæ notas, sive proprietates; Atqui sola Romana Ecclesia, sumpta pro universo fidelium cœtu, qui adhæret Romano Pontifici tanquam legitimo Petri successori & Christi in terris Vicario, habet veræ Ecclesiæ Christi notas. Ergo &c.

Pr. minor. Inter varias, à variis assignatas, veræ Ecclesiæ Christi notas, insigniores & præcipuæ, (ad quas, Bellarm. teste de not. Eccl. lib. 4. reducuntur cæteræ) sunt quatuor istæ, nimirum quòd sit *una*, quòd sit *sancta*, quòd sit *Catholica*, & quòd sit *Apostolica*, hoc est,

quòd

quòd ſit *una* unitate Fidei, ita ut omnes qui in ea ſunt, unam & eamdem profiteantur Fidem, ut idipſum dicant omnes, ſitque in omnibus illis juxta monitum Pauli ad Eph. cap. 4. verſ. 5. in una & eadem ſpe, ***unus Dominus, una fides, unum baptiſma***; quòd ſit ***ſancta*** ſanctitate doctrinæ, ita ut nihil habeat in doctrina fidei, quod ſit falſum, nihil in doctrina morum, quod ſit malum; ſed omnia ejus documenta, inſtituta, cæremoniæ & Sacramenta ordinentur ad ſanctitatem; quòd ſit ***Catholica***, hoc eſt, univerſalis, ſe extendens ad omnia tempora, loca, & hominum genera, ita ut nullum ſive Scytham ſive Barbarum excludat, cùm dixerit Chriſtus Marci cap. 16. verſ. 15. ***Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*** Quòd denique ſit ***Apoſtolica***, hoc eſt, quòd initium habeat in Apoſtolis, quòd ſequatur Apoſtolorum doctrinam, & retineat adhuc legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem ab Apoſtolis ad nos uſque perductam: & hæ quatuor Eccleſiæ notæ non ſunt ad libitum excogitatæ, ſed è Conſtantinopolitano primo Concilio œcumenico deromptæ, hiſque Nicæni ſeu Conſtantinopolitani Symboli verbis ſic expreſſæ: ***Credo in unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.***

Atqui ſola Romana Eccleſia has habet notas, cùm ſit una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.

Una enim eſt unitate Domini, unitate fidei, & unitate baptiſmi; unitate Domini ſive capitis, cùm omnia ejus membra uniantur ſub uno & eodem viſibili capite Romano Pontifice, eique pareant, ut Paſtori ſupremo & legitimo Chriſti Domini Vicario; unitate baptiſmi, cùm in ea eodem baptiſmo & eodem modo baptizentur omnes; unitate fidei, cùm in ea unam & eamdem fidei doctrinam ubique & ſemper fideles profiteantur omnes, quod de nulla alia dici poteſt Hæreticorum ſecta, & præſertim de Lutheranorum & Calviniſtarum reformata, cujus ſectarii ita in ſuæ fidei doctrina varii ſunt, ut de his dicere conſueviſſet olim Saxoniæ Dux, ***Neſcio quid hoc anno credant, quidve anno proximè futuro credituri ſint vicini mei Vvitembergenſes.*** (Eſt una.)

Sancta eſt, cùm neminem admittat niſi priùs baptiſmo ablutum & ſanctificatum, cùm nihil habeat in doctrina Fidei quod ſit falſum, nihil in doctrina Morum quod ſit malum, & omnia ejus documenta, inſtituta, ritus & Sacramenta ordinentur ad ſanctificandum, cùmque in ea quiſque ſanctus eſſe poſſit, ſemperque aliqui ſint, & extra eam nemo ſanctus eſſe valeat, nec proinde in ulla alia hæreticorum ſecta, à Romana Eccleſia, ſejuncta, cùm expreſsè dicat S. Auguſt. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. ***Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum; nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem.*** (Eſt Sancta.)

Catholica inſuper eſt, ſeu univerſalis, Eccleſia Romana, eaque ſola, tum ratione locorum, cùm ſit per Orbem univerſum diffuſa; tum ratione temporum, cùm numquam deſierit, nec deſitura ſit; tum ratione perſonarum, cùm neminem excludat, ſed omnes ſive Barbaros, ſive Græcos, ſive Gentiles, ſive Judæos invitet & vocet; tum denique ratione fidei, cùm univerſam ſequatur & doceat Chriſti fidem, quod nulli convenit hæreticorum ſectæ, quæ omnes pro arbitrio vel mutilant vel limitant Chriſti fidem: unde nulla ex iis Catholica, nec audet Sectarius ullus Catholici nomen uſurpare, dicente S. Aug. lib. contra Epiſt. fundamenti c. 4. ***Vix au-*** (Eſt Catholica.)

audere hæreticos, id nomen usurpare: nam si fortè à paganis interrogentur; ubi ad Catholicam conveniatur, nemo Basilicam suam vel domum audet ostendere.

Est Apostolica.

Apostolica denique est, sive in Apostolis initium habens Ecclesia Romana, & nulla alia hæreticorum secta, tum quia hæc sola constanter & non interruptè doctrinam sequitur Apostolicam, seu ab Apostolis traditam, tum quia in ea viget adhuc legitima Episcoporum successio, ab Apostolis ad nos usque, sine interruptione, transmissa, quod in nulla alia invenitur hæreticorum secta: unde ad Sectarios quoscunque hæreticos, etiam recentiores, Lutheranos videlicet & Calvinistas, meritò dici potest, quod olim ad Donatistas ajebat August. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in illo ordine Patrum, quis cui successit*; vel quod Optatus Milevitanus ad Parmenianistas: *Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*; quod cùm non possint quotquot extra Romanam errant, licet nobis illud adversus Luciferianos à S. Cypriano de Romana dictum usurpare; *In ea Ecclesia est nobis permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque in diem hanc successivè durat & semper durabit*; & in qua, inter motiva alia, se teneri, fatetur August. contra Epist. fundamenti, ipsa Sacerdotum successione, *Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli..... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

Ergo hæc sola est vera Christi Ecclesia.

Ex Symb. Nicæno, seu Const.

Ergo sola Romana Ecclesia, seu universus fidelium cœtus, Romano Pontifici tanquam legitimo Petri successori & Christi in terris Vicario adhærens, est vera Christi Ecclesia, etiam hodie, velint nolint Lutheranæ ac Calvinistæ sectæ viri, fingentes Romanam Ecclesiam post quingentos primos annos defecisse, ac proinde veram esse desiisse Christi Ecclesiam, contra quos, veram adhuc esse & semper futuram,

Pr. 2. Cùm Ecclesia Christi sit à Christo supra Petrum fundata juxta illud Matth. c. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; illa sola est vera Christi Ecclesia, quæ adhæret Petro Christi Vicario, Petrique successori Romano Pontifici; Atqui sola Romana Ecclesia adhæret & semper adhæsit Petro Christi Vicario, Petrique successori Romano Pontifici, & nulla alia adhæret ei, præter Romanam; ergo sola Romana Ecclesia, & nulla alia, est vera Christi Ecclesia; ergo nec ipsa Lutheranorum & Calvinistarum falsi nominis reformata, quæ palam & ex professo Romanum Pontificem impugnat, contra cujus sectarios sic quasi ex concessis,

Pr. 3. Fatentur nobiscum tam Lutheranæ quàm Calvinianæ sectæ viri, esse fidei articulum, dari Christi Ecclesiam, quæ sit sancta & catholica, juxta illud Symboli Apost. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*; Atqui quod est fidei articulus, est semper verum, & numquam falsum; ergo à Christo ad nostra usque tempora semper verum fuit dari Christi Ecclesiam aliquam, quæ sancta & catholica sit, ac proinde numquam defecit; nam si defecisset post quingentos annos, ut ipsi fingunt, tunc falsus fuisset ille fidei articulus, quo credimus dari sanctam Ecclesiam Catholicam; Atqui illa Ecclesia Christi, quæ à Christo institutore ad nostra usque tempora sine interruptione perseveravit, non est alia quàm Romana; ergo sola Romana est vera Christi Ecclesia.

Pr. subsumptum. Si quæ esset alia, vel ea esset Judaica, vel Mahumetana, vel Lutheranorum & Calvinistarum falsi nominis reformata, vel deni-

denique Romana: hæ enim solæ sunt, de quibus quæstio posset esse; Atqui non potest esse Judaica, cùm hæc sit per Christum abrogata, non etiam Mahumetana, cùm illa sit sexcentis annis & ultrà, Christi morte recentior, nec potest esse à fortiori Lutheranorum ac Calvinistarum falsi nominis reformata, cùm ista nongentis annis & ultrà sit recentior Mahumetana; ergo hæc Christi visibilis Ecclesia quæ perseverat adhuc, non potest esse alia quàm Romana; aut si quæ sit alia, dicant, quo appelletur nomine, quas mundi partes occupet, quo sub capite duret, quos Pastores habeat, qui populi, qui Principes illam sequantur & audiant; id sanè non dicent, nec dicere possunt, quotquot sunt, qui extra Romanam Ecclesiam obstinatè vagantur hæretici.

Pr. 4. Cùm Christi Ecclesia sit sancta, & ad sanctificandos homines ordinata, nullus hominum cœtus sive secta nulla potest dici vera Christi Ecclesia, si ejus doctrina non sit sancta, immaculata, & ad convertendos ac sanctificandos homines apta; Atqui doctrina falsi nominis reformatæ Lutheranorum & Calvinistarum sectæ, non est sancta, nec ad convertendos & sanctificandos homines apta, sed potiùs impia, blasphema, & ad fideles pervertendos idonea; ergo, &c.

Pr. minor. Hujus reformatæ sectæ doctrina, hæc est. Inter alia multa docetur in ea, à Calvino & Calvini sectariis,

1. *Deum esse auctorem peccati.*
2. *Deum ab æterno certos homines ad damnationem prædestinasse sine ulla ipsorum culpa.*
3. *Christum non esse mortuum pro omnibus.*
4. *Christi corpus non esse præsens in Eucharistia.*
5. *Filios fidelium salvari sine baptismo.*

Perversa Ecclesię falsi nominis reformatæ doctrina.

Insuper à Luthero & Calvino docetur,

6. *Hominem liberum non habere arbitrium.*
7. *Dei mandata impossibilia esse.*
8. *Bona opera nullius esse meriti.*
9. *Solamque sufficere fidem.*

Atqui hæc doctrina non est sancta, ut patet, sed impia, blasphema, & ad pervertendos perdendosque fideles idonea; illa enim admissa doctrina, dicere fidelis quisque poterit, si liberum arbitrium non habeat homo, cur solicitus sim, ut bona agam, vel perplexus ne peccem? si impossibilia Dei mandata, inutilis mihi de illorum observatione conatus; si sine operibus sola sufficit fides, superflua ergo mihi cætera; sicque nullus sanctitati locus, sed patens, imò patentissima perditioni janua, & liberè peccandi occasio fideli cuique data, quod & ipsi diffiteri non audent reformati, ait enim Lutherus Concione 2. Dominicæ primæ Adventus, *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior*. Ergo hæc reformata Lutheranorum & Calvinistarum secta non potest esse vera Christi Ecclesia; ergo vera Christi Ecclesia, vel est Judaica, vel Mahumetana, vel Romana; non est Judaica, nec Mahumetana, ut ipsi non diffitentur falsi nominis reformati; ergo sola Romana, hoc est, universus fidelium cœtus Romano Pontifici, ut legitimo Christi Vicario firmiter adhærens, est vera Christi Ecclesia, ad quam ut redeant ipsi desertores reformati, multa movere debent, & inter alia, præsertim ista,

Quòd hæc Catholica Romana Ecclesia sit omnium antiquissima.

Quòd majores nostri, qui ante Lutherum & Calvinum fuere, in eâ nutriti, educati & mortui sint.

Quòd sanctissimi ac doctissimi viri, numero propè infiniti, illam alii sui sanguinis effusione, alii suis scriptis propugnaverint.

Quòd in ea sola perseveret legitima, & numquam interrupta Episcoporum & Sacerdotum successio, à temporibus Apostolorum, ad nos usque transmissa.

Quòd in ea sola vigeat miraculorum virtus, & fiant adhuc quotidie variis in locis miracula multa.

Quòd denique hæc sola, suorum filiorum ministerio, infinitos ferè Gentiles adhuc hodie in India, Sina, Japonia, & aliis in locis, ad Christi fidem convertat; quod absque speciali Dei juvamine, fieri non posse certum est, nec fieret haud dubiè in Ecclesia Romana, si Romana, vera non esset Christi Ecclesia.

Eos insuper movere debent & cætera credibilitatis motiva, quibus utimur contra Gentiles atque Paganos, quoties nobis apud eos probandum incumbit, Romanam Ecclesiam, veram Christi Ecclesiam esse, in eaque Religionem vigere veram, de quibus infrà art. seq.

Occurritur tam Lutheranis quàm aliis Romanæ Ecclesiæ adversariis.

Objicies 1. Illa est vera Christi Ecclesia, in qua Petrus primus Christi Vicarius primò sedit; Atqui Ecclesia, in qua Petrus primò sedit, est Antiochena, non Romana; ergo Antiochena, non Romana, est vera Christi Ecclesia. Resp. dist. maj. Si ita in ea primò sederit, ut perseveraverit, & aliò sedem suam non transtulerit; conc. maj. Si ita primò sederit in ea, ut in ea non permanserit, sed aliò sedem suam transtulerit; neg. maj. & sub eadem distinctione neg. min. & conseq. Quia Petrus ita primò sedit in Ecclesia Antiochena, ut in ea non permanserit nisi per septem annos, quibus expletis sedem suam, & cum sede auctoritatem sibi à Christo datam transtulit Romam, ubi Romanam fundavit Ecclesiam, in qua ultimò sedit, & per obitum, sedem reliquit & auctoritatem, & *Linus* qui ei primò successit, in sede Romana successit & in auctoritate universam regendi Ecclesiam, sicut & *Lino* dum successit *Cletus*, Cleto *Clemens*, Clementi *Anacletus*, ac quisquis Anacleti successor sequens usque ad Clementem XI. feliciter sedentem hodie.

Instabis. Sedes Petri non semper remansit Romæ, sed fuit aliquando Avenionem translata, ubi septem successivè sedere Petri successores Pontifices, videlicet *Clemens V. Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V.* & *Gregorius XI.* ergo tunc vera Christi Ecclesia, non erat Romana, sed Avenionensis Ecclesia. Resp. neg. ant. Quia licèt septem præfati Avenione residerent Pontifices, ibi tamen residebant ut Romani Pontifices, eoque nomine tantùm ut *Petri* successores & Christi Vicarii legitimi, universam regebant Ecclesiam, & numquam Avenionem translata fuit sedes Petri, sed semper Romæ fixa remansit, ac proinde numquam alia fuit Petri sedes, numquam alia vera Christi Ecclesia, quàm Romana.

Objicies 2. Ecclesia Gallicana est vera Christi Ecclesia, unde & Galliarum Rex, Christianissimus insigni cognomine dictus; Hispaniensis pariter Ecclesia, est vera Christi Ecclesia & Catholica, unde & Hispaniarum Rex, Catholicus solet speciali cognomine dici; ergo illæ & plures aliæ, præ-

præter Romanam, sunt veræ Christi Ecclesiæ. Resp. Gallicanam, Hispanicam, & plures alias, esse quidem veras Christi Ecclesias, sed particulares, quæ pertinent ad Romanam, tanquam partes illius, ad Romanam inquam sumptam, ut sumi debet, pro universali Ecclesia, seu pro universo fidelium cœtu, qui adhæret Romano Pontifici tanquam Petri successori, & Christi Vicario legitimo; nam si Romana Ecclesia sumatur pro diœcesi Romana, vel pro Occidentis Patriarchatu, fateor Gallicanam, Hispanicam, & plures alias esse veras Christi Ecclesias præter Romanam; sed de Romana sic sumpta pro particulari Romana, non est hìc quæstio, sed de Romana sumpta pro universali Ecclesia quæ adhæret Romano Pontifici, cujus partes sunt, omnes aliæ particulares quotquot sunt, quæ adhærent Romano Pontifici.

Objicies 3. Ecclesia Christi est sancta: sed Ecclesia Romana non est sancta, cùm contineat bonos & malos, pios & impios, perversos & sanctos; ergo Romana non est vera Ecclesia Christi. Resp. conc. maj. neg. min. Primò, quia non ideò Christi Ecclesia dicitur *sancta*, quòd omnes, qui in ea sunt, sint sancti, sed solùm per Synecdochen, quatenus præcipua Ecclesiæ pars complectens justos, est sancta, sicut civitas aliqua dicitur dives, non quòd in ea nulli sint pauperes, sed quia præcipua ejus pars, præcipui nimirum cives ejus, sunt divites. 2. Quia ideò dicitur sancta Ecclesia, non quòd solos contineat sanctos, sed quòd professio ejus sit sancta, quòd omnia ejus Fidei Morumque documenta, præcepta, sacramenta, cæremoniæ, & instituta sint sancta, & ad sanctitatem ordinata; quæ omnia Romanæ ritè conveniunt Ecclesiæ, licèt in ea multi reperiantur mali.

Instabis. Ex Apostolo Paulo ad Ephesios scribente, Ecclesia Christi non habet maculam neque rugam; ergo cùm in Romana Ecclesia sint mali, seu peccati labe maculati, non potest illi convenire, quòd sit Ecclesia Christi. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia ex S. August. 2. Retract. cap. 8. dum Ecclesia dicitur esse sine macula & ruga, hoc debet ita intelligi, non quòd talis sit in hac vita, sed quòd talis futura sit in cœlo, idque lib. contra Donatistas post collat. cap. 7. expresse docet, dicens: *Quæcumque testimonia divinarum Scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænuntiatur Ecclesia, non qualis nunc est, illis testimoniis prænuntiatur, sed qualis post istam mortalitatem, in vita æterna futura est.* *Ad Ephes. c. 5. v. 27.*

Objicies 4. Ecclesia Romana non est ubique per omnes mundi partes actu diffusa, cùm fides ejus non sit ubique recepta; ergo non est Catholica, nec proinde vera Christi Ecclesia. Resp. perm. ant. neg. conseq. 1. Quia ad hoc, ut dicatur Catholica seu universalis, non est necesse, ut fides ejus eodem tempore & simul sit ubique, & ab omnibus recepta; sed satis est quòd tractu temporis, & successivè ante mundi finem reperiatur fuisse ubique recepta, seu quòd ad omnes mundi Provincias, aliquando & successivè reperiatur pervenisse, & re ipsa jam occupat, vel occupavit omnes mundi Provincias fides Ecclesiæ Romanæ. 2. Quia non ideò solùm Catholica dici debet Ecclesia, quia est per totum orbem diffusa, sed etiam quia ubicumque diffusa est, ibi universam Christi fidem profitetur & prædicat, ut re ipsa eam ubique profitetur & prædicat Ecclesia Romana.

Objicies 5. cum Lutheranis & Calvinistis, Romanam Ecclesiam fuisse

quidem olim, primis quingentis annis, veram Christi Ecclesiam, sed postea temporis successu, propter crimina Romani Pontificis, defecisse, penitùsque toto orbe periisse, sed tandem tempore Lutheri à Luthero suscitatam ac reformatam revixisse, in ea Europæ parte quæ Luthero adhærebat; ergo non Romana Ecclesia, sed illa Lutheri reformata, est vera Christi Ecclesia.

Resp. 1. Hæc omnia à Lutheranis & Calvinistis per calumniam & falsò dici, cùmque idem ferè mentiantur, quod tempore S. Aug. Donatistæ mentiebantur olim, fingentes, totam ubique defecisse Ecclesiam, propter crimina *Cæciliani* Episcopi, & in ea sola remansisse Africæ parte, quæ adhærebat *Donato*, ut testatur August. lib. de Hæres. cap. 69. ideò ut isti, iisdem perfodiantur armis, quibus Donatistas perfodit Augustinus; sic contra eos dici potest, quod contra Donatistas dicebat Augustinus, Ecclesiam cum Christo loquentem inducens: *Quid est quòd perditi me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non sum: annuntia mihi exiguitatem dierum meorum quamdiu ero in isto sæculo, annuntia mihi propter illos qui dicunt, Fuit & jam non est, apostatavit & periit Ecclesia de omnibus gentibus, & annuntiavit Christus, scilicet, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: ubi advertant tam Lutherani simul & Calvinistæ, quàm Donatistæ, si annuntiat Ecclesiæ Christus, se permansurum cum illa omnibus diebus, usque ad finem mundi, ergo non quingentis tantùm annis; si omnibus diebus, ergo numquam deseruit eam, permittendo ut periret, ac proinde illam aliquando periisse, penitùs falsum est, & mera in Ecclesiam Lutheri calumnia.

S. August. conc. 2. in Psalm. 101. cont. Donatistas.

Resp. 2. sic arguendo contrà. Vel post primos quingentos annos, tota per orbem diffusa erravit & defecit Ecclesia, vel non; si tota erravit & defecit, ergo errarunt in fide, cum ea, ei adhærentes Christiani omnes, ac proinde nulla tunc remansit in terris fides; si nulla remansit in terris fides, unde eam reformator accepit Lutherus? si verò non tota erravit nec defecit, cur eam errasse, & defecisse tam calumniosè fingunt? cur ab ea quasi errante & deficiente recedunt, quam errare non posse, quam deficere non posse, quam infallibilem esse, divina toties Scriptura clamat, dicens 1. ad Tim. cap. 3. v. 15. quòd sit *columna & firmamentum veritatis*, Matth. cap. 16. v. 18. quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; & ibid. cap. 28. vers. ultimo, quòd Christus sit cum ea semper mansurus, idque Apostolis expressè promiserit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, quasi dicens, prius desinet mundus, quàm mea desinat in Ecclesia præsentia, per opem scilicet, directionem & assistentiam, imò & per realem in Eucharistia mei Corporis & Sanguinis existentiam.

Math. c. 28. v. 20.

Resp. 3. sic ex concessis arguendo contra eosdem. Fatentur ipsi, & concedunt, esse articulum fidei, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sit sancta & catholica, & in hoc sensu explicant illud, quod profitemur in Symbolo dicentes, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*; ergo cùm articuli fidei sint semper veri, & nunquam falsi, semper verum fuit dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & catholica sit; ergo falsum est illam aliquando desiisse seu defecisse, nam si fuisset tempus aliquod in quo desiisset, & nulla fuisset Ecclesia, tunc non fuisset dicere licitum, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*.

A R-

ARTICULUS XI.

Num fiat circulus vitiosus, dum commendatur Ecclesia per Scripturam, & vicissim Scriptura per Ecclesiam.

QUia Calvinistæ perperam & ineptè reponunt, circulum committi vitiosum à nobis Catholicis, dum Ecclesiam infallibilem esse probamus per Scripturam, & Scripturam vicissim divinam esse demonstramus per Ecclesiam, dicendo nimirum nos Ecclesiam infallibilem esse, ideò credere, quia hoc Scriptura docet; & vicissim nos Scripturam divinam esse, ideò tenere, quia hoc catholica declarat Ecclesia, quæ probatio, ut inquiunt, est manifestè circularis ac vitiosa, ac proinde vitiosus in probando circulus, quod quàm falsum sit, ut pateat,

CONCLUSIO.

Dico, *vitiosum circulum committi nullum, dum probatur Ecclesia per Scripturam, & Scriptura vicissim per Ecclesiam, contra Lutheranos, Calvinistas, & quoscumque alios Scripturam admittentes hæreticos*; & sic ostenditur

1. Quia, ut communiter docent Philosophi, tunc committitur circulus vitiosus, quando hoc probatur per illud, & vicissim illud per hoc, apud eum, qui neutrum concedit; non verò si alterutrum ex iis duobus admittat: v. g. si quis negaret *Platonem* & *Aristotelem* unquam extitisse, circulum vitiosum committerem, si apud eum, *Platonem* extitisse probarem ex *Aristotele*, & vicissim *Aristotelem* extitisse probarem ex *Platone*, quia ipse, apud quem probo, neutrum concedit, sed utrumque negat, vel de utroque dubitat, ac proinde circularis illa probatio mea, vitiosa esset ac nulla, cùm probatio fieri debeat à notis ad ignota, à certis ad incerta, vel à concessis ad non concessa; si verò ille alterutrum concedat, v. g. si *Aristotelem* extitisse concedat, & *Platonem* extitisse neget, recta erit & non vitiosa circulatio, probatio mea, si ei *Platonem* extitisse probem ex *Aristotele*, quia tunc procedit probatio mea, à noto, certo & concesso *Aristotele*, ad ignotum, incertum & non concessum *Platonem*.

Scriptura & Ecclesia se mutuò commendant, sine circulo vitioso.

Atqui Catholici omnes sic procedimus, dum Ecclesiæ infallibilitatem per Scripturam, & vicissim Scripturam per Ecclesiam probamus, contra Lutheranos, Calvinistas & alios quoscumque Scripturam admittentes hæreticos, cùm procedamus à Scriptura concessa ad Ecclesiam non concessam, sed negatam vel dubiam, & dicimus sic; Scriptura, quam vos admittitis, ò Calvinistæ, dicit Ecclesiam esse infallibilem; ergo reverà infallibilis est; ergo consequenter verè divina est Scriptura illa, quam ut divinam nobis proponit hæc infallibilis Ecclesia; ergo recta probatio hæc, & nullus in ea vitiosus circulus, & nemo dicet unquam vitiosam esse probationem, quæ procedit ex concessis ad non concessa, cùm ille probandi modus sit, nedum apud Philosophos, sed etiam in Scripturis & SS. Patribus usitatus; illo enim probandi modo usus est Christus, ut convinceret *Pharisæos*: admittebant Pharisæi

Moysen, & negabant Christum, ex Moyse illos de se ipso Christo convicit Christus, dicens Joan. cap. 5. v. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille scripsit.* Simili probandi modo *Manichæos* convicit olim *Augustinus*. Christi Euangelium admittebant *Manichæi*, & *Moysis* Legem negabant & *Prophetas*; ex Euangelio, de Lege convicit illos August. in libris contra Faustum Manichæum, & lib. 1. de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 1. Simili modo *Calvinistas* convincunt Catholici, admittunt enim Calvinistæ Scripturam, & Ecclesiæ infallibilitatem negant; ex Scriptura, de Ecclesiæ infallibilitate, convincunt illos Catholici.

2. Quia sicut apud Philosophos, nullum est inconveniens neque vitium, quòd causæ sint sibi invicem causæ sub diversa ratione, & in vario genere causæ, ita nec ullum est circulationis vitium, probare unum per alterum, & vicissim hoc per illud, sub diversa ratione & in vario genere causæ, ut in hoc contingit casu; probant enim Catholici Ecclesiam infallibilem esse per Scripturam, & Scripturam vicissim per infallibilem Ecclesiam, sub diversa ratione, & in vario genere causæ; Ecclesiam siquidem probant per Scripturam tanquam per certam fidei regulam, sed inanimatam & mutam; Scripturam verò probant per Ecclesiam tanquam per fidei regulam, sed vivam & animatam, & per modum judicis, viva voce loquentem, proponentem & judicantem; seu Scriptura revelata sive revelatio Scripturæ, est causa cur credamus Ecclesiæ, & Ecclesia judicans de Scriptura, sive judicium Ecclesiæ, est conditio, sine qua non credimus Scripturæ.

3. Quia sicut nullus vitiosus fit circulus, quòd duo testes in ferendis coram judice testimoniis, se mutuò juvent & confirment, ita ut priori credatur propter posteriorem, & vicissim posteriori propter priorem; sicut pariter nullum est circulationis vitium, quòd duo Prophetæ à Deo missi se mutuò commendent, & uni credamus propter alterum, sicut Christus commendat Joannem, & Joannes vicissim commendat Christum; ita nec vitium est, quòd probetur Ecclesia per Scripturam, & vicissim Scriptura per Ecclesiam, & quòd illi credatur propter istam, & isti vicissim propter illam; se habent enim Scriptura divina & Ecclesia sicut duo celebres à Deo missi Prophetæ, qui mutuum de se testimonium perhibent, & verum est testimonium ipsorum, quia non tam ab ipsis, quàm à Deo inspirante delatum; sed fortè

Sicut duo Prophetæ, qui mutuũ de se testimoniũ perhibent.

Dices. Unde constat de divinæ Scripturæ, & Ecclesiæ missione, ut possint dici quasi duo Prophetæ à Deo missi, & testimonium utriusque verum dici, & veluti divinum credi, seu quòd idem est, unde constat hanc Scripturam esse divinam, & Ecclesiam hanc veram esse Christi Ecclesiam? de hoc enim est quæstio.

Resp. Hoc ex triplici capite constare. 1. Ex ipsomet de se sibi mutuò dato, Scripturæ & Ecclesiæ testimonio. 2. Ex ipsa Traditione testante & confirmante; & 3. Ex variis, id suadentibus, credibilitatis motivis.

1. Constat ex ipso, de se, sibi mutuò dato Scripturæ & Ecclesiæ testimonio, quod cùm sit divina revelatione fundatum, non potest non esse divinum, ac proinde certum & infallibile, nec alio indigens testimonio ulteriori, ut commendetur & credatur; sicut enim lux solis non

in-

indiget luce alia, ut manifestetur & percipiatur, quia se ipsam primò, & alia deinde manifestat; ita nec divinum testimonium alio indiget testimonio, ut commendetur & credatur, quia seipsum primò, & deinde alia commendat, cùm ex S. Thom. quæst. 14. de veritate art. 8. ad 2. *Divinum testimonium sit primò & principaliter de se ipso, & consequenter de aliis*; & Christus apertè dicat, Joan. capit. 8. versic. 18. *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso*: ergo ad commendandum mutuum Scripturæ sacræ & Ecclesiæ testimonium, ut divinum & à Deo missum, non requiritur ulteriùs testimonium aliud, sed sufficit ipsa seipsum commendantis divini testimonii natura.

2. Constat ex ipsa perenni Traditione teste, testeque irrefragabili, & ab ipsis quoque volentibus nolentibus audiendo Lutheranis, Calvinistis, & aliis Scripturam admittentibus hæreticis, qui omnes eo ipso, quo Scripturam admittunt, Traditionem consequenter admittant necesse est, cùm Traditionem commendet Scriptura, dicente Paulo ad Thessalonicenses, *State, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; constat inquam ex ipsa testante & confirmante Traditione, cùm ab Apostolis ad nostra usque tempora perennis, & numquam interrupta PP. traditio Scripturam illam ut divinam, & Ecclesiam Romanam ut veram Christi Ecclesiam semper tenuerit & agnoverit.

2. Ad Thess. c. 2. v. 15.

3. Denique constat ex variis id suadentibus credibilitatis motivis, nedum contra Lutheranos, Calvinistas & alios Scripturam admittentes hæreticos, sed etiam contra Paganos, & infideles Scripturam non admittentes alios; ex iis enim credibilitatis motivis, contra hos omnes etiam Paganos, potest quisque sic discurrere & dicere:

Illud meritò & prudenter creditur, ad quod credendum nos ea movent & inducunt motiva, quæ tot, talia sunt & tanta, ut moraliter loquendo, & ex prudentum arbitrio, non possint esse nisi à Deo; Atqui motiva quæ nos movent & inducunt ad credendum Scripturam, quam nobis proponit Ecclesia, divinam esse, & Ecclesiam consequenter, quam commendat Scriptura, veram Dei seu Christi Ecclesiam esse, sunt tot, talia & tanta, ut moraliter loquendo, & ex prudentum arbitrio, non possint esse nisi à Deo; ergo meritò & prudenter creditur Scripturam nobis ab Ecclesia propositam, verè divinam esse, & à Deo missam, & Ecclesiam consequenter nobis à Scriptura commendatam, veram Christi Ecclesiam esse. Pr. minor. Varia inter motiva quæ nos inducunt ad credendum illam Scripturam, quam nobis proponit Ecclesia, esse divinam, & illam Ecclesiam, quam nobis Scriptura commendat, & quam sequimur, veram esse Christi Ecclesiam, & in ea sola consequenter veram Religionem esse, sunt præsertim ista; videlicet,

Designantur præcipua credibilitatis motiva.

1. Ipsa hujus Scripturæ puritas ac sanctitas, quæ talis est, ac tanta, ut nihil doceat nisi sanctum, & nihil patiatur, aut permittat vitiosum.

2. Mirabilis ille modus, quo per orbem universum illius est annuntiata fides, per rudes nimirum, pauperes, & inermes piscatores Apostolos.

3. Sanguis tot Martyrum ubique gentium, pro illius prædicatione, vel defensione fusus.

4. In-

4. Innumerabilis & propè infinita testium turba, illam divinam & à Deo missam esse, clamantium.

5. Unanimis tot Populorum, Provinciarum, & Nationum, illam ut divinam acceptantium & sequentium, assensus.

6. Stupenda tot Gentilium, Philosophorum, Doctorum, Magnatum, Principum, Regum, & Imperatorum, per illam ad Christum conversio.

7. Tot denique, aliis omissis, & tanta miracula, pro illius confirmatione, ubique gentium visa.

Atqui hæc omnia, & similia alia, quæ prætermitto, talia sunt, tot & tanta, ut moraliter loquendo, & ex prudentum arbitrio, non possint esse, nisi à Deo; ergo motiva, quæ nos inducunt ad credendum, hanc præfatam Scripturam esse divinam, & præfatam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, & veram consequenter in ea sola Religionem esse, talia sunt, tot & tanta, ut moraliter loquendo, & ex prudentum arbitrio, non possint esse nisi à Deo; ergo meritò & prudenter creditur, illam Scripturam, quam nobis proponit Ecclesia, verè divinam esse, & à Deo missam, & consequenter, meritò & prudenter creditur, Ecclesiam illam quam nobis hæc divina commendat Scriptura, veram Christi Ecclesiam esse, ac proinde in ea sola veram Christi Religionem esse. Alioquin, cùm hæc motiva, quæ nos ad hoc credendum inducunt, sint talia & tanta, ut moraliter loquendo non possint esse nisi à Deo; si non divina esset, si non à Deo missa hæc Scriptura nobis per Ecclesiam proposita, si non vera esset Christi Ecclesia, illa Ecclesia nobis per Scripturam commendata, si non veritas, sed error esset illius Ecclesiæ nostræ religio, meritò cum *Richardo Victorino* exclamare Catholici possemus omnes, *Domine, si error est quem credimus, à te ipso decepti sumus*. Quod nefas est cogitare de ipso Christo Domino, qui ut habetur in Apocalypsi, *Est, amen, testis fidelis & verus*, hoc est, ipsa veritas summè vera, quæ nec falli potest nec fallere, cùm sit ipsa summa per essentiam bonitas, quæ *vult omnes homines salvos fieri*, & ad agnitionem veritatis venire, ipsaque infinita Patris æterni sapientia, quæ nos sic ad fidem movet, inducit & attrahit, *attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter*.

Apocalyp. c. 3. v. 14.

De vitioso adversariorum circulo.

Quæres fortè, cùm ex dictis constet, nullum vitiosum à nobis Catholicis committi circulum, dum Ecclesiam infallibilem esse probamus per Scripturam, & Scripturam vicissim verè divinam esse defendimus per infallibilem Ecclesiam; an idem pariter dici possit de adversariis, Ecclesiam ut judicem controversiarum rejicientibus, & spiritum privatum admittentibus hæreticis?

Resp. Non idem ac de nobis, de illis dici posse spiritum privatum admittentibus adversariis: nam illi, ut suum illum probent, & defendant spiritum privatum, verè gyrant & errant in circulo vitioso, quem nobis toties tam ineptè & perperam exprobrant, & opponunt, ut sic breviter & cursim ostenditur.

Vitiosum committūt circulum adversarii, dum spiritū privatū ex Scriptura, & Scripturā vicissim ex spiritu privato probant.

Ille verè gyrat in circulo vitioso, qui probat hoc per illud, & illud vicissim per hoc, apud illum, qui neutrum ex his duobus admittit, sed utrum-

utrumque, scilicet, hoc & illud rejicit & negat; Atqui adversarii spiritum privatum admittentes hæretici probant hoc per illud, & illud vicissim per hoc, dum suum illum defendunt & probant spiritum privatum, idque apud nos catholicos, qui neutrum ex his admittimus, sed utrumque, scilicet, hoc & illud negamus; ergo adversarii illi, nostri scilicet temporis spiritum privatum admittentes hæretici, gyrant in circulo vitioso, seu vitiosum committunt circulum, dum suum illum spiritum privatum probant ac defendunt.

Pr. minor. Si quæratur ab aliquo ex illis, v. g. à *Paræo*, à *Suencfeldio*, vel ab aliquo alio illum spiritum privatum admittente viro, & sic dicatur illi: Unde probas te habere spiritum tuum privatum? statim respondebit, Hoc habeo ex illo Scripturæ textu, ubi *Joan. cap.* 10. *versic.* 27. Christus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt*; & si quæratur ab illo: Unde probas & scis, illum Scripturæ textum probare tuum spiritum privatum, seu de tuo spiritu privato intelligendum esse? illicò respondebit, Hoc habeo, & probo ex meo spiritu privato, hoc ita mihi dictante. Atqui hoc utrumque negant & rejiciunt Catholici, ergo probat hoc per illud, & illud vicissim per hoc, apud eos, qui neutrum admittunt, sed utrumque negant & rejiciunt, nimirum dari illum spiritum privatum, & præfatum Scripturæ textum de illo spiritu privato intelligendum esse; ergo ille suum spiritum privatum dum probat & defendit, gyrat & errat in circulo vitioso, seu vitiosum committit circulum, imò errat, & errabit sicut ovis quæ periit, quandiu non Ecclesiam, sed spiritum illum privatum sequetur errantem.

Dices fortè, vel pro te dicet forsan spiritus privati defensor aliquis, Ovis Christi, quæ audit, & sequitur vocem Christi Pastoris sui, non errat, nec errare potest; Atqui ego sum ovis Christi, & audio ac sequor vocem Christi Pastoris mei, dum audio & sequor spiritum meum privatum; ergo ego nec erro, nec errare possum, dum audio, & sequor meum spiritum privatum. Resp. conc. maj. neg. min. nimirum te Christi ovem esse; & hoc dum nego, quomodo, & unde probabis, tu quisquis sis, sive de Lutheri, sive de Calvini secta vir? ex tuo haud dubiè spiritu privato; & tuum illud spiritum privatum, toties repulsum & negatum, unde probabis? ex eo fortè quòd sis ovis Christi & audiens vocem Christi, sed de hoc est quæstio, & hoc dum respondes, in novo gyras & erras circulo vitioso, erras inquam non ut ovis Christi, qualem te perperam & falsò dicis, sed potius ut hœdus extra ovile Christi discurrens & vagans: nam ille qui est fidelis & vera Christi ovis, vocem Christi audit & sequitur, juxta illud Christi apud *Joan. capit.* 10. *versic.* 27. dicentis, *Oves meæ vocem meam audiunt*; Atqui tu non audis nec sequeris vocem Christi, cùm non audias nec sequaris veram Christi Ecclesiam, de qua Christus ait: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, cùm nec audias, sed spernas legitimos Ecclesiæ Christi Pastores, licèt scias & audias de illis dixisse Christum, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*; ergo tu nec es, nec dici potes vera Christi ovis, sed potiùs errans & vagus extra Christi ovile discurrens hœdus, vel singularis & teter Christi vineam depascens aper.

Math. c. 18. *v.* 17.

Luc. c. 10. *v.* 16.

His

His ergo ita præmissis quasi præambulis Theologiæ positivæ quæstiunculis, jam cùm in solo Dei verbo sive scripto sive tradito, nobis per Ecclesiam proposito, unde sua depromit argumenta, tota sistat positiva Theologia, & Dei verbum nobis non proponat Ecclesia, nisi Conciliorum œcumenicorum, vel Summi Pontificis ex cathedra loquentis ore, sanctisque consultis Ecclesiæ Patribus; indeque fiat, ut ad ipsa Conciliorum statuta, Summorum Pontificum decreta, & sanctorum Ecclesiæ Patrum dicta, imò & ad opposita malignantium Hæreticorum errata volvenda, se extendat consequenter ipsa positiva Theologia: Ideò ut hìc brevis & generalis, cuique benevolo Theologiæ Candidato perutilis & necessaria Scripturæ sacræ, Traditionis divinæ, Conciliorum œcumenicorum, sanctorum Patrum, Papalium constitutionum, necnon oppositarum malignantium Hæreticorum hæresum habeatur idea, sex ibi sequentes adjiciuntur Libri.

METHODICUS AD POSITIVAM THEOLOGIAM APPARATUS.

LIBER SECUNDUS.

De Scriptura divina.

CUM ex fidei principiis diſcurrendo procedat, tam poſitiva, quàm ſcholaſtica Theologia, & fidei principia ſint, in Scriptura, vel Traditione, revelata; quid, & quæ ſit Scriptura divina, quid, & quæ Traditio ſacra, in primis noſcas oportet, quiſquis ſis benevole Theologiæ Candidate; quare brevem utriuſque tibi, hoc in Apparatu, picturus ideam, Scripturam primùm attingam hoc in ſecundo Libro, de Traditione poſteà dicturus in tertio, monens interim, ut dum divinæ attendis Scripturæ lectioni, ne mireris, velim, ſi odit eam mundus, qui cæcus eſt à nativitate, ponens amarum in dulce, & dulce in amarum; à veritate auditum avertens, ad fabulas autem ſe convertens; diligens vanitatem, & quærens mendacium; multitudinem ſcientiæ ſcire deſiderans, & extollens ſe adverſus ſcientiam Dei; ſtultus & tardus corde ad credendum verba, quæ locutus eſt Dominus, quæ ſpiritus & vita ſunt.

At tu, ſi quæ ſurſum ſunt quæras; ſi de numero beatorum, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, fieri cupias; ſi quæ deſurſum eſt deſcendens

dens

dens à Patre luminum scientiam veritatis quæras, sæcularem illam, ancillamque mundi scientiam ejice, & filium ejus. Qui placet Deo effugiet eam; quid enim paleis ad triticum, dicit Dominus, aut quæ comparatio Scripturæ continentis præcepta & doctrinam hominum secundùm elementa mundi, ad illam quam nobis enarravit unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris? illam enim constituerunt homines infirmitatem habentes, qui nonnunquam indoctas fabulas assecuti, sequuntur spiritum suum, & nihil vident; ista verò, quia de cœlo venit, super omnes est, quæque nunquam humana voluntate allata est, sed quam Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Illa solùm de mundo loquitur, & mundus eam audit; ista scrutatur omnia etiam profunda Dei, & beati qui audiunt illam. Illa inflat, ista ædificat. De illa dicitur, *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*; de ista dici potest, *Vani sunt homines in quibus non subest scientia Dei*. Illa coacervat sibi discipulos prurientes auribus, nihil, nisi nova & curiosa sectantes, quorum oculus non satiatur visu, nec auris auditu; suos econtrà sectatores docet ista, devitare profanas vocum novitates, contentos scire Dei mandatum, quod audierunt ab initio, ut se invicem diligant. Illa immiscet se quæstionibus infinitis, quæ sunt inutiles & vanæ, & generant lites; ista præcipit sectari pacem, & docet Dei servum non litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Illa denique dum antiquatur & senescit, prope interitum est, & quasi hodie est, & cras in clibanum mittitur; ista verò, quia verbum Domini, manet in æternum.

Non recedat ergo volumen istius de ore tuo; illud si ligaveris in corde tuo, omnium artifex docebit te sapientia, & illuminatus à montibus æternis, super omnes docentes te intelliges, quoniam erunt tenebræ tuæ sicut meridies; erit enim verbum Dei lucerna pedibus tuis, ad dirigendos eos in viam pacis, & scientiam salutis; sicque instructus ad omne opus bonum, opus facies Euangelistæ, ministerium tuum implebis, docebis iniquos vias Domini, & impii ad eum convertuntur. Ut sit ergo hæc divina Scriptura, hæc lex Domini immaculata convertens animas, die ac nocte meditatio tua, & sint dulcia faucibus tuis eloquia ejus. Hìc tibi rudis, illius, & generalis, sed utilis & succo plena depingitur idea, in qua breviter & methodicè, non omnia quidem ad Scripturæ notitiam spectantia narrantur; sed generalia dumtaxat nonnulla tibi scitu pernecessaria cursim & lucidè prælibanda notantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Scriptura divina, & unde ejus nomina varia.

Licèt de divina Scriptura dicturis statim vulgò quæratur ab aliis, an sit, sive existat aliqua Scriptura verè divina, mihi tamen hìc priùs videtur inquirendum à nobis, quid quæratur, sive quid sit ipsa divina, quæ quæritur, Scriptura. Unde ut id breviter resolvatur, & in primis

CON-

CONCLUSIO.

Dico, *divinam Scripturam propriè loquendo, nihil esse aliud, quàm scriptum Dei verbum.*

Quæ conclusio ita certa est, ut probatio superfluat omnis, cùm nemo sit qui neget, sed supponant communiter omnes, nomine Scripturæ divinæ, Dei verbum intelligi, non Verbum Dei increatum, quod semel ab æterno locutus est, & continuò loquitur adhuc hodie Deus; sed verbum Dei creatum, quod juxta Paulum ad Hebræos cap. 1. vers. 1. *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*: hoc est, per Filium, & Filius per Apostolos; non verbum Dei creatum simpliciter, sed verbum Dei scriptum, ut sic à divina distinguatur Traditione, quæ est Dei verbum non scriptum. Unde est quòd hoc Dei verbum scriptum, divina Scriptura dicatur, (per quam loquitur adhuc hodie homini Deus) sive divinæ litteræ, hominibus à Deo per Prophetas, Apostolos, vel alios Scriptores sacros missæ; & rectè

Scriptura divina nihil est aliud, quàm scriptum Dei verbum.

1. Quia sic de scripto Dei verbo loquuntur sancti Ecclesiæ Patres, præsertim SS. Chrysostomus, Augustinus, & Gregorius Magnus: *Chrysostomus* quidem, dum homilia 2. in Genesim ait: *Humani generis Conditor ab initio per seipsum hominibus loquebatur, quemadmodum homines audire possibile est; sic enim ad Adam venit, Cain increpavit, cum Noe locutus; sic cum Abraham hospitatus est. At ubi in magnam malitiam omnis hominum natura prolapsa est, neque se totum ab humano genere avertit opifex universi; sed quia sua familiaritate indigni fuerant, suam erga illos amicitiam renovare volens, quasi longè absentibus litteras mittit conciliaturus sibi humanum genus.* Et iterùm Serm..... de jejuniis, & Genes. lectione: *Primam quidem Epistolam ad homines per Moysen direxit Deus; quid ergo hæc Epistola contineat videamus. In principio, inquit, fecit Deus Cælum & Terram, &c.* & infrà, *Audi quomodo eis aliam Epistolam per Prophetam mittat, in qua de supernis virtutibus docet, & dicit: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis: laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus..... de illis Epistolis quas per Paulum Apostolum mittit Deus, quid opus est dicere?*

Cùm per Scripturam loquatur homini Deus. *Ex S. Chrysost. hom. 2. in Gen. S. Aug. conc. 2. in Psal. 90. & S. Greg. l. 4. Epist. 84. ad Theod.*

Augustinus verò dum concione 2. in Psalm. 90. pariter ait: *De illa civitate, unde peregrinamur, hæ litteræ nobis venerunt. Ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.* Et *S. Greg. Mag.* lib. 4. Epist. 84. dum Theodorum, licèt medicum, reprehendens, quòd negligenter sacram Scripturam lectitaret, sic ait: *Imperator cæli, Dominus Angelorum & hominum, pro vita tua tibi Epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim sancta Scriptura, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?*

2. Quia id confirmatur à simili: Sicut enim verbum Regis scriptum solet regia scriptura dici, & regiæ litteræ nuncupari; ita non mirum, si *Dei verbum* scriptum soleat *Scriptura divina*, *divinæ litteræ* vocari.

Dices. Si nihil aliud sit Scriptura divina, quàm Dei Creatoris ad creaturam Epistola; cur ergo non sic vulgò vocatur? sed varia solet alia sortiri nomina, & dici modò *Verbum Dei*, modò *Testamentum Dei*, modò *Lex divina*, modò *Scriptura sacra*, modò *Scriptura sancta*, modò *Scriptura divina*, modò *Biblia*, modò simpliciter *Scriptura*, etiam à Christo dicente, *Scrutamini Scripturas*.

Divinæ Scripturæ nomina varia.

Resp.

Resp. quòd quamvis hæc divina Creatoris ad creaturam Epiſtola, ob varias ſui proprietates, prærogativas & excellentias, variis ſoleat inſigniri nominibus aliis, & dici modò *Verbum Dei*, quia prodit à Deo *olim Patribus in Prophetis, & noviſſimè diebus iſtis in Filio, loquente nobis*. Modò *Teſtamentum Dei*, quia ſingularem erga homines voluntatem, & mentem teſtatur, & explicat. Modò *Lex divina*, quia Dei Legem tam veterem, quàm novam, illam Judæis, iſtam Chriſtianis, poſitam enarrat. Modò *Scriptura ſacra*, quia de rebus ſacris & divinis locutura, à Deo, & per Scriptores ſacros data. Modò *Scriptura divina*, quia *per Spiritum Dei inſpirata, & per eos qui Spiritu Dei locuti ſunt adminiſtrata*, inquit Hugo Victorinus. Modò *Scriptura ſancta*, quia nihil niſi ſanctum, & ad hominum ſanctificationem, & Dei gloriam ordinatum habet. Modò *Biblia*, id eſt Libri, à voce græca *Βιβλίον*, antiquitùs & latinè ſonante papyrum, plantam Ægyptiacam, ex qua chartæ conficiebantur olim, & ex chartis hodie libri, ideòque hodie librum ſignificante; & quia divinæ Scripturæ libri, cæteros Scriptorum omnium libros, dignitate longè ſuperant, ideò ſimpliciter, & ſine addito, *Biblia* nuncupari ſolent.

Ad Hebræos, c. 1. v. 2.

His, inquam, & aliis quamvis ſoleat inſigniri nominibus Scriptura divina, vulgò tamen, ſimpliciter, & quaſi per antonomaſiam *Scriptura* nuncupatur, etiam à Chriſto, variis in locis, ut Matth. cap. 21. verſ. 42. dum ait: *Nunquam legiſtis in Scripturis?* Et cap. 22. verſ. 29. *Erratis neſcientes Scripturas*. Et cap. 24. verſ. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Et Joan. cap. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas*. Nec immeritò Scriptura Dei vocatur Scriptura ſimpliciter; utpote quia ſola aliarum omnium Scripturarum regula, ſola Scripturæ nomine digna, ſola veritatis Scriptura, cui nulla comparabilis alia, dicente Propheta Pſalm. 118. verſ. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*. In qua, ut non minùs piè, quàm eruditè notat Hugo Victorinus homil. 1. cap. 1. *Quidquid docetur veritas, quidquid præcipitur bonitas, quidquid promittitur felicitas*. Et de qua longè antè ſanctus Auguſtinus dixerat ſuis in libris de doctrina chriſtiana: *Quidquid homo extrà didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi utile eſt, ibi invenitur.*

S. Auguſt. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 42.

ARTICULUS II.

Quomodo ſcribat creaturæ Creator, homini Deus.

CUm ex S. Gregorio nihil ſit aliud Scriptura divina, quàm Epiſtola quædam Creatoris ad creaturam, nec unquam ſit abſens à ſua creatura Creator, licet inviſibilis, & lucem habitans inacceſſibilem; inde oritur ratio dubitandi, & quærendi, qua via, & quo modo ſcribat creaturæ Creator, terræ cœlum, homini Deus. Ad cujus reſolutionem

CONCLUSIO.

Dico, *etſi non longè ſit ab unoquoque noſtrum, etſi in ipſo vivamus, moveamur & ſumus, multifariàm tamen, multiſque modis loqui & ſcribere creaturæ Creatorem, terræ cœlum, homini Deum.*

Pr.

Pr. sola inductione, & simplici modorum explicatione sic ostenditur: duplici præsertim via solet scribere homini Deus; *via* scilicet *naturæ*, & *via prophetiæ*, seu per naturam, vel per prophetiam, juxta illud Tertulliani lib. de resurrectione carnis: *Præmisit Deus naturam magistram, submissurus & prophetiam, quò faciliùs credas prophetiæ discipulus naturæ.* Duplici via scribit homini Deus.

Via naturæ,

Seu per naturam, hoc est, per universas universæ naturæ creaturas, scripsit naturalem illam Scripturam, seu patentissimum, & ubique diffusum naturæ librum, in quo, Apost. teste ad Rom. cap. 1. vers. 20. *Invisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* In quo, juxta S. Prosperum lib. 2. de vocatione Gentium: *In magnis cælorum tabulis, in paginis elementorum, ac voluminibus temporum*, loquitur & scribit homini Deus. In quo, nedum litteræ, syllabæ, voces, sed vocales loquuntur creaturæ omnes. In quo, juxta Prophetam Psalm. 95. vers. 1. *Cantate Domino omnis terra.* In quo, Psalm. 92. vers. 4. ad Dei laudem *elevant flumina vocem suam.* In quo, Psalm. 18. vers. 1. & alibi, *Cæli enarrant gloriam Dei, opera manuum ejus annuntiat firmamentum, dies diei eructat verbum, nox nocti indicat scientiam, & benedicunt omnia opera Domini Domino*, unanimi voce clamantia, & suo modo dicentia: *Ipse fecit nos.* Hic est ille liber, de quo S. Antonius Anachoretarum Pater, rogatus à gentili Philosopho, quomodo in eremo, sine libris, ageret, appositè respondit apud Socratem lib. 4. Hist. Eccl. cap. 13. *Meus liber, ò Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, in qua, quoticscumque sic animo meo visum, legere possum quæ Deus dicit.* Via naturæ.

Via prophetiæ,

Seu per prophetiam, hoc est, per Prophetas, vel per Apostolos, aut alios Scriptores sacros, triplici modo solet homini scribere Deus; nimirum 1. per seipsum scribens; 2. non per seipsum scribens, sed dictans; & 3. denique non per seipsum scribens, neque dictans, sed alteri scribenda committens, & scripta confirmans & approbans; & congruè: Cùm enim, ut visum est, Scriptura Dei nihil sit aliud, quàm *Epistola* quædam omnipotentis Dei ad suam creaturam, seu, ut loquitur S. Augustinus, quàm *quædam de illa civitate, unde peregrinamur, à Deo ad nos missæ litteræ*, soleantque regiæ litteræ à Rege, hoc triplici prodire modo ita & Scriptura Dei, seu divinæ litteræ, à Deo, hoc triplici modo scribente manare. Et re ipsa hoc triplici modo tam in veteri, quàm in novo Testamento scripsit homini Deus. Nam Via prophetiæ. *S. August. conc. 2. in Psalm. 90.*

Primo modo,

Hoc est, per seipsum & digito proprio scripsit in duabus tabulis Decalogum in veteri Testamento, juxta illud Exodi cap. 31. vers. 18. *Dedit Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.*

In novo Testamento pariter scripsit per seipsum Christus Dominus legem suam, non in tabulis lapideis, sed in corde Ecclesiæ, non attramento & ma- 1. Per seipsum scribẽdo digito proprio.

materiali calamo, sed digito Dei, ut ipsemet testatur ore Pauli ad Hebræos cap. 8. vers. 10. dicens: *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*. Constatque ex illo ejusdem Pauli 2. ad Cor. cap. 3. vers. 2. dicentis: *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta, non attramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Et hæc Scriptura ea est, quam primis Ecclesiæ fidelibus promisit Christus Dominus dicens, Joan. cap. 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis; ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Nihilque est aliud hæc Scriptura divina, in corde Ecclesiæ digito Dei scripta, quàm communis Ecclesiæ consensus, & concors omnium Christianorum doctrina per continuas successiones ad nos usque recepta.

Secundo modo.

2. Non per seipsũ scribendo, sed dictando.

Hoc est, non per seipsum scribendo, sed suis amanuensibus sacris dictando, scripsit totam veterem Scripturam Legis & Prophetarum, juxta illud Davidis Psalm. 44. vers. 2. dicentis: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, nimirum Spiritus sancti; & illud 2. Reg. cap. 23. vers. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*; & illud denique S. Petri Epist. 2. cap. 1. vers. 21. dicentis, Non nisi *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*.

Hoc modo pariter, in novo Testamento, hoc est, non per seipsum scribens, sed suis Apostolis, & Euangelistis tanquam amanuensibus dictans, scripsit Euangelium, similiter & canonicas Epistolas, juxta illud Pauli 2. ad Tim. cap. 3. vers. 16. dicentis, *Omnis Scriptura divinitùs inspirata*; & illud 2. Petri jam suprà laudati: Non nisi *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*; & denique illud Apocalypsis cap. 21. vers. 5. Joanni dictum à Domino: *Scribe, quia verba hæc fidelissima sunt & vera*.

Tertio modo.

Nec scribendo, nec dictando, sed alteri committẽdo, & postea confirmando. Matth. c. 23. v. 2.

Hoc est, non scribendo, nec dictando, sed alteri committendo, & deinde confirmando, scripsit in veteri Testamento, dum Summos Pontifices in Cathedra sedentes Mosaica commisit ad scribendum, & ex parte sui loquendum per decreta, & statuta varia, quæ deinde suo quasi sigillo confirmavit, & approbavit, ut indicant hæc Deuteronomii verba cap. 19. vers. 12. *Qui noluerit Sacerdotis imperio obedire, ex decreto Judicis moriatur*; & iterùm voce Christi Domini dicentis: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite*.

Luc. c. 10. v. 16. Matth. c. 18. v. 17.

Hoc denique modo, nec per seipsum scribens, nec per seipsum dictans, sed alteri committens, scripsit homini Christus in novo Testamento, dum suos in terris vicarios Summos Pontifices, ipsaque œcumenica Concilia ad scribendum, & ex parte sui loquendum commisit per canones, & decreta varia, quæ deinde suo quasi sigillo confirmavit dicens, *Qui vos audit, me audit*; & iterùm, *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*.

Ex iis ergo constat, hoc triplici modo in utroque Testamento scripsisse ho-

homini Deum. De Scriptura tamen divina 1. & 2. modo, hoc est, à Deo vel scribente, vel dictante profecta, quæque propriè & vulgò divina solet Scriptura dici, hìc solùm est quæstio, & de illa sola, intelligenda volumus quæcumque de divina Scriptura dicemus.

Dices. Cogitationes Dei non sunt sicut cogitationes hominum, juxta illud Isajæ cap. 55. vers. 8. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Ergo cùm Scriptura nihil sit aliud quàm scripta mentis cogitationum expressio, Scriptura Dei non est sicut scriptura hominum. Ergo perperam dicitur quòd sicut, hoc triplici modo, à Rege regia, ita à Deo divina prodire soleat Scriptura.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia etsi cogitationes Dei non sint nostris similes, tamen accommodatè ad nostras sæpè loquitur & scribit homini Deus: sic v. g. dum Exodi cap. 33. vers. 11. Spiritus sanctus ait, quòd *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem*; & Numerorum cap. 12. vers. 8. *Ore ad os.* Hoc enim ita dicit, non quòd ita esset, sed quia ita esse putabat, & cogitabat vulgus, ut expresè, ac manifestè docet Angelicus Ecclesiæ Doctor S. Thomas, in sua Theologica Summa, dicens: *Scriptura sic loquens, loquitur secundùm opinionem populi, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cùm per subjectam creaturam, id est per Angelum & nubem ei loqueretur & appareret.* Sic dum 3. Regum cap. 22. vers. 12. ore Michææ Prophetæ, Regi Acham, de bello contra Assyrios cum suis pseudo-Prophetis cogitanti, dixit ironicè: *Vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis*; hoc dixit, non quòd illum prosperè pugnaturum putaret ac prævideret, sed ut juxta illius, falsorumque Prophetarum ejus ita sperantium & cogitantium mentem, ironicè & accommodatè rogatus responderet. Sic & parabolis utitur sæpè, imò & fabulis interdum, & apologis, ut se humano loquendi & cogitandi modo accommodet. Sic & *multifariam, multisque modis*, & viis scripsit homini Deus, ut sic accommodatè, ad varium hominum scribendi morem, scriberet.

S. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2.

ARTICULUS III.

An detur, sive existat aliqua Scriptura verè divina.

Sicut soli insipientes, dicentes in corde suo, *Non est Deus*, Dei Creatoris sui existentiam negant; sic & soli impii ac perditæ vitæ viri, in desiderio cordis sui clamantes, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, divinam omnem spernunt Scripturam, renuunt ac negant, perperam rati, se nullius adstringi Scripturæ legibus, eo abutentes Pauli textu 2. ad Cor. cap. 3. vers. 6. dicentis: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Contra quos, aliosve quoscumque

Psalm. 13. v. 1. *Iob c. 21. v. 14.*

CONCLUSIO.

Dari Scripturam verè divinam ostenditur.

Dico, *dari reipsa Scripturam verè divinam, talemque esse nostram, propheticam videlicet & apostolicam, nobis ab Ecclesia propositam.*

Pr. sic 1. ratione congruentiæ. Cùm Deus rerum omnium, tam gratiæ, quàm naturæ auctor, sit ab omnibus colendus & serviendus; nec scire valeat naturaliter homo, qua ratione, quo ritu, quibus actibus velit Deus ab homine coli, præsertim cùm non loquatur Deus hominibus hodie per seipsum, sicut loquebatur ab initio, ut visum est ex *S. Chrysostomo* suprà laudato; debuit Deus hominibus revelare, & signo aliquo certo manifestare suæ voluntatis placita, præsertim cùm ad hoc multa sint supra naturam credenda mysteria, multa supra naturæ vires præstanda. Ergo hoc manifestavit hominibus Deus, vel per internum & privatum spiritum unicuique, vel per sanctos aliquos Prophetas, vel Apostolos, aut alios ad hoc specialiter delegatos, qui omnibus Dei voluntatem annuntiarunt: Atqui non per spiritum privatum, cùm spiritus ille privatus non sit certus, sed varius, sibique sæpè contrarius, unum inspirans uni, & oppositum alteri; cùmque multi sint ita rudes & imperiti homines, ut nihil sibi à Spiritu sancto afflari sentiant & revelari: Ergo per sanctos aliquos Prophetas, vel Apostolos, aut alios ad hoc specialiter delegatos, nec sibi invicem contrarios, sed uniformiter loquentes, suam hominibus voluntatem, suasque leges & præcepta manifestavit, & transmisit Deus: quæ omnia non est credibile ita neglexisse homines, ut de his nihil scripto mandari curaverint, præsertim cùm multa aliunde sapientum Dicta, ab iis tanta cura inveniantur scripta; sed hoc est, quod Dei verbum scriptum, seu divinam Scripturam dicimus. Ergo non est credibile quòd non detur, & re ipsa existat illa Scriptura divina.

Pr. 2. Datur re ipsa Scriptura verè divina, si Scriptura prophetica & apostolica nobis per Ecclesiam proposita, sit verè divina. Atqui sic est, quòd prophetica hæc & apostolica Scriptura nobis per Ecclesiam proposita, est verè divina. Ergo datur Scriptura verè divina. Minor hæc multipliciter probari potest.

1. Quia illa Scriptura verè divina est, seu à Deo vel scribente, vel dictante profecta, quæ prædixit multa contingenter futura, quæ evenere eo modo quo fuere prædicta, cùm solus talia possit prædicere Deus, juxta illud Isajæ dicentis: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Atqui Scriptura illa prophetica & apostolica, nobis per Ecclesiam proposita ut divina, multa hujusmodi contingentia prædixit futura, quæ evenere omnia eo modo quo fuere prædicta. Ergo Scriptura illa prophetica & apostolica, nobis per Ecclesiam proposita, verè divina est.

Isajæ c. 41. v. 23.

2. Quia illa Scriptura verè divina est, ad quam acceptandam ut divinam nos varia inducunt motiva, quæ talia sunt, ut moraliter loquendo, non possint esse nisi à Deo. Atqui Scriptura nostra prophetica & apostolica, nobis per Ecclesiam proposita, talis est, ut ad illam ut divinam acceptandam varia nos inducant motiva, quæ talia sunt ac tanta, ut moraliter loquendo, non possint esse nisi à Deo; qualia sunt v. g. inter alia, ut visum est suprà in 1. lib.

Ejus doctrinæ puritas, quæ talis est ac tanta, ut nihil vitiosum patiatur ac permittat umquam, sed ubique vetet ac damnet.

Mo-

Modus ille mirabilis & ſtupendus, quo fuit per orbem annuntiata & propagata, per homines videlicet idiotas, rudes, & inopes.

Sanguis tot Martyrum, pro illius defenſione fuſus.

Innumerabilis propè teſtium numerus, illam divinam eſſe clamantium.

Tot populorum & nationum illam acceptantium unanimis conſenſus.

Innumera ubique Gentium nota, pro illius confirmatione à Deo patrata miracula.

Qualia ſunt & alia hujuſmodi plura. Ergo Scriptura prophetica & apoſtolica noſtra, nobis per Eccleſiam propoſita, verè divina eſt.

3. Quia, vel Deus Scripturam Prophetarum & Apoſtolorum ac Euangeliſtarum nobis ab Eccleſia propoſitam ut divinam, variis miraculis confirmavit, & ſuam eſſe declaravit, vel non. Si primum, ergo verè divina eſt; ſi ſecundum, ergo miraculum eſt maximum, illam divinam eſſe clamans, quòd ſine miraculis, illam ut divinam orbis acceptaverit univerſus, ut expreſsè notat *S. Chryſoſt.* in Gentiles, Apoſtolorum miracula negantes, dicens: ***Hoc ipſum, maximum eſt miraculum, abſque miraculis, orbem terrarum accurrere à duodecim pauperibus & illiteratis hominibus attractum.***

Objicies 1. Nulla indiget Scriptura vel Epiſtola Deus, ſuis ut loquatur creaturis, cùm ſit ſemper & ubique præſens. Ergo ſuperflua penitus eſt omnis Scriptura divina, ac proinde nullam à Deo eſſe patet, cùm Deus nihil fruſtrà faciat, & ſuperfluum operetur, aut ſcribat nihil. Occurritur impiis ac libertinis Scripturam negantibus adverſariis.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio eſt, quia etſi nulla indigeat Scriptura Deus, ea tamen indigent homines, ſi non ſimpliciter & abſolutè, ſaltem ſecundùm quid, ad vitandum erroris periculum, fideique ſervandam unitatem; nam ſi unicuique ſua manifeſtaret placita ſine Scriptura Deus, poſſet quilibet pro arbitrio, quodcumque vellet credendum vel agendum proponere, tanquam ſibi à Deo manifeſtatum, dum alter negaret, nec haberet iſte unde redargueret, corrigeret, vel erudiret; habet autem quo id præſtare poſſet, dum divinam habet Scripturam, quæ juxta Paulum 2. ad Timoth. cap. 3. verſ. 16. ***utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.***

Objicies 2. cum libertinis, ſeu ſpiritualibus, hoc eſt, cum Phanatici generis Hæreticis illis, qui ſe ſpiritum, non litteram ſequi profitentur; & oppones illud Apoſtoli 2. ad Cor. cap. 3. verſ. 16. dicentis: ***Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu; littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.*** Ex quo ſic cum iiſdem concludes: ergo nulla penitus Scriptura datur, ſed ſolùm pro Dei verbo habendum, quod Spiritus ſanctus unicuique privatim in corde loquitur.

Reſp. permiſſo ant. neg. conſeq. ex præfato Pauli textu perperam illatam; nam ibi, juxta ſanctos Eccleſiæ Patres, ***Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum*** & ***Anſelmum***, nihil aliud per ***litteram***, quàm ***legem***, & per ***ſpiritum***, quàm ***gratiam***, intelligit Paulus: ita ut ſenſus ejus ſit, quòd Deus inter alia bona, hoc etiam tribuat nobis, ut ſimus idonei novi Teſtamenti Miniſtri, ad prædicandum ſcilicet Euangelium, fundandas Eccleſias, adminiſtranda Sacramenta; Miniſtri, inquam, non littera vobis communicanda ſola, ſed & ſpiritum impertiendo, id eſt, non eo modo Miniſtri ſumus, quo in Lege Moſaica, ut ſcilicet nudam litteram Legis vobis proponamus, ſed inſuper etiam & ſpiritum, videlicet gratiam, quæ ſpiritualis eſt, con-

conferamus; Deus siquidem ad verba nostra copiosam vobis infundit gratiam; *littera* enim sola, si divinæ gratiæ præsidio destituatur, ut in veteri Testamento, nocet potiùs quàm prosit; occidit enim animam occasionaliter, quatenus difficilia continet præcepta plurima, nec dat necessariam, ad illa debitè implenda, gratiam: *spiritus* autem solus, id est gratia, quæ spiritualis est, vivificat eam, quatenus ei supernaturalem confert vitam, qua redditur potens ad præstanda quæque necessaria ad salutem consequendam opera.

ARTICULUS IV.

Quinam sint, & quot canonici, seu sacri divinæ Scripturæ Libri.

SCiendum est 1. sacros divinæ Scripturæ Libros, alios esse *canonicos*, & *apocryphos* alios. *Canonici*, à canone ibi catalogum significante dicuntur hi, qui in Canone Ecclesiæ, divinam Scripturam determinante, sunt expressi ut divini, seu à Deo inspirati. *Apocryphi* econtrà, id est occulti seu absconditi, ne prodirent & legerentur in Ecclesia, dicebantur olim, & dicuntur adhuc hodie illi, qui licèt inter canonicos reperiantur permixti, de iis tamen non certò constat, sed dubium adhuc est, an sint divini; ideò non canonici, seu in Ecclesiæ Canone non expressi. Dixi in Ecclesiæ canone, quia

Sciendum est 2. pro divinis Scripturis, alium fuisse Hebræorum Synagogæ, alium esse Ecclesiæ Christi canonem: Hebræi enim in suo Scripturarum canone tot numerabant sacræ Scripturæ libros, quot in suo alphabeto litteras habent, hoc est 22. ut expresè docet in Prologo Galeato S. Hieronym. dicens: *Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris & exordiis in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri justi eruditur infantia*; eosque 22. Scripturæ libros, tres in classes sive ordines distribuebant & distribuunt adhuc Hebræi, videlicet in *Thora*, *Nebiim*, & *Chethubim*, hoc est, in Legem, Prophetas, & Hagiographa. *Thora* sive Lex continet 5. libros Moysis, seu Pentateuchum, qui anteà unus dumtaxat liber erat, qui postea à 70. Interpretibus in quinque alios fuit divisus, nimirum in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium. Unde & *Pentateuchus* deinceps vulgò nuncupatus. *Nebiim* sive Prophetæ, juxta ipsos, comprehendunt libros Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, & Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, ac 12. Prophetas minores. *Chethubim* sive Hagiographa continent Job, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Paralipomenon, Esdram, & Esther; sicque apud ipsos 22. sunt, nec plures, nec pauciores, canonici libri, videlicet 5. Moysis, 8. Prophetarum, & 9. Hagiographorum. Sed de hoc Hebræorum canone non agimus hic, sed de Ecclesiæ Christi canone, dum quærimus, quinam sint libri canonici, seu in Ecclesiæ canone divinas Scripturas determinante numerati, pro cujus intelligentia

Alius est Hebræorũ, alius Ecclesiç Scripturarum canon.

Sciendum est 3. inter canonicos, alios esse *protocanonicos*, & *deuterocanonicos* alios. *Protocanonici* dicuntur hi, qui pro divinis fuere semper &

sine

sine ulla controversia recepti. *Deuterocanonici* econtrà dicuntur hi, qui licèt pro divinis, ab omnibus hodie recepti, de his tamen dubitatum olim; unde non inter canonicos, sed inter Ecclesiasticos Libros olim numerati. *Ecclesiastici* autem dicebantur hi Libri, qui licèt non canonici, tamen pro fidelium instructione solebant in Ecclesia legi; qualis est è veteri Testamento Liber ille, qui *Ecclesiasticus* simpliciter vulgò nuncupatur adhuc hodie, non quòd canonicus non sit, sed quia non inter canonicos olim, sed solùm inter Ecclesiasticos censebatur. Unde est, quòd, hoc generico retento nomine, Ecclesiasticus dicatur adhuc hodie. His positis,

CONCLUSIO.

Dico, *canonicos, seu sacros divinæ Scripturæ Libros esse 72. sequentes istos, nec plures, nec pauciores; 45. nimirum veteris Testamenti, & 27. novi Testamenti;* quique vulgò dicuntur, juxta Trident. sess. 4. decreto de Scripturis canonicis, *Pentateuchus,* seu quinque libri Moysis, videlicet, *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium : Josue, Judicum, Ruth : quatuor Regum: duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus,* qui dicitur *Nehemias: Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum* 150. *Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus: Isajas, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, scilicet, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: duo Machabæorum, primus, & secundus. Novi Testamenti: Quatuor Euangelia, secundùm Mattheum, Marcum, Lucam & Joannem: Actus Apostolorum à Luca conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, quarum una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, & ad Hebræos una: S. Petri Apostoli duæ: S. Joannis Apostoli tres: S. Jacobi Apostoli una: Judæ Apostoli una: & Apostoli Joannis Apocalypsis.*

Libri canonici simul & collectivè sumpti sunt 72. nu. *in Trid. sess. 4. Decret. de Script. canonicis.*

Pr. conclusio sic. Libri canonici & verè divini, divinam habentes Scripturam, sunt hi soli, nec plures, nec pauciores, qui in canone Ecclesiæ divinas Scripturas determinante sunt expressi; non enim id aliunde nobis certò constare potest, quàm ex Ecclesiæ judicio. Unde S. Augustinus ajebat: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Atqui in Canone Ecclesiæ divinas Scripturas determinante, hi soli præfati 72. Libri, nec plures, nec pauciores, sunt expressi, ut ex continuata Traditione constat: Ergo hi soli, nec plures, nec pauciores, sunt canonici & verè divini.

S. August. contr. Epist. fundamenti c. 5.

Minor sic ostenditur. Hoc enim habemus ex Concilii Tridentini Patribus, ut patet ex jam citato de Scripturis canonicis decreto; Concilii Tridentini PP. hoc accepere ab *Eugenio IV.* Rom. Pont. in instructione Armenorum; Eugenius IV. hoc accepit à Gelasio in Concilio Romano, *Gelasius* à S. Augustino lib. 2. de Doct. Christ. cap. 8. *S. Augustinus* à Carthaginensi Conc. III. Can. 47. & hujus Carthag. Concilii PP. ab *Innocentio primo* Romano Pontifice, sedente ab anno 402. usque ad annum 417. ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum scribente, & asserente suæ ad illum Epistolæ cap. ultimo, hos præfatos, ut divinos in Ecclesia suscipiendos esse Libros, secundùm Traditionem ab apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam. Ergo hi soli præfati 72. Libri, nec plures, nec paucio-

res pro canonicis & divinis, seu divinam habentibus Scripturam, sunt in Ecclesia suscipiendi. Qui omnes, memoriæ juvandæ gratia, solent quatuor in classes distribui, videlicet in *legales*, *historicos*, *sapientiales*, & *propheticos*,

E veteri Testamento.

45. scilicet e veteri Testamento. *Legales* dicuntur hi, in quibus divinæ leges promulgantur; suntque quinque priores, videlicet *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*.

Historici vocantur hi, in quibus rerum gestarum historia narratur; suntque 17. isti, videlicet, *Josue Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Esdræ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *& duo Machabæorum*.

Sapientiales vocantur hi, in quibus vera exponitur sapientia; suntque quinque isti, videlicet *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, & *Ecclesiasticus*.

Prophetici sunt hi, in quibus futura prænuntiantur; suntque isti 18. videlicet *Liber Psalmorum Davidis*, *Isajas*, *Jeremias cum Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, & alii 12. Prophetæ minores; nimirum *Osee*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*.

E novo Testamento.

Et 27. è novo Testamento. *Legales* dicuntur hi, qui continent legem à Christo latam; suntque quatuor Euangeliorum Libri, videlicet, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, & *Joannis*.

Historici sunt, qui res à Christo per Apostolos gestas narrant; ex quibus unus dumtaxat est, videlicet *Actuum Apostolorum Liber*.

Sapientiales sunt, in quibus nova legis sapientia, per exempla atque præcepta, secundùm Christum beatè vivendi, plenissimè traditur; suntque 21. Epistolæ, nimirum 14. *Pauli* suprà numeratæ, *tres Joannis*, *duæ Petri*, *una Jacobi*, & *Judæ una*.

Prophetici denique novæ legis Libri sunt hi, in quibus status Ecclesiæ Christi futurus prædicitur; & istorum unus solus est, qui Joannis *Apocalypsis* dicitur.

Variis occurritur cōtradicentibus hæreticis. Objicies 1. Veteris Testamenti Libros omnes à malo Deo dictatos, ideòque rejiciendos sensere olim *Simoniaci*, *Basilidiani*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, *Albigenses*, & alii non pauci. Ergo non fuere semper ab omnibus pro divinis habiti.

Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est 1. quia cùm Scriptura divina sit veluti Testamentum Dei in sinu Ecclesiæ depositum, non est curandum quid de illa, ejusque divinis Libris senserint, qui foris sunt Hæretici, sed quid de illis sentiat ipsorum custos & judex, ipsa mater Ecclesia; de Hæreticis enim omnibus verè dici potest quod de Manichæis scripsit S. Augustinus in libro de Dono perseverantiæ, dicens: *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt sumant, quod nolunt rejiciant*. 2. quia non mirum quòd veteris Testamenti Libros rejiciant omnes Hæretici præfati, à quibus suam stultam & ineptam de duobus principiis expugnari vident hæresim; sed mirum omnino, imò stultum, quòd vetus rejiciant Testamentum, & admittant novum, à quo laudatur vetus, suade-

tur-

turque legendum & scrutandum, dicente Christo apud Joan. c. 5. vers. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*; & apud Lucam cap. ultimo: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me*; & expresse dicente Paulo ad Rom. cap. 1. vers. 1. *Paulus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.*

Objicies 2. cum Calvinistis. Libri *Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiasticus & Machabæorum*, non erant canonici apud Judæos: ergo nec apud nos pro canonicis habendi.

Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia non hi soli à Christianis pro canonicis habendi, quos pro canonicis admisere Judæi, sed quos canonicos Christi declaravit Ecclesia, juxta celebre illud Hosii Cardinalis effatum: *Non Canon Hebræorum, sed Ecclesiæ, canonicas facit Scripturas*. Unde perperam è veteri Testamento præfatos expungunt Calvinistæ Libros, quia expunctos à Judæis, & perperam, à fortiori, nedum eosdem è veteri Testamento, sed insuper è novo expungunt Lutherani, Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolam Jacobi, Epistolam Judæ, & Joannis Apocalypsim.

Instabis. Plures sancti Ecclesiæ Patres, qui ante *Innocentium* scripsere, hos eosdem, sicut & Judæi, ut non canonicos exclusere Libros. Ergo non soli Judæi, sed & Christiani eos, ut non canonicos, habuere.

Resp. perm. ant. neg. conseq. Non enim mirum est, si de his antiquitùs dubitaverunt sancti Ecclesiæ Patres aliqui, cùm tunc per omnium manus currerent varii tam veteris, quàm novi Testamenti Libri, & nondum esset ab Ecclesia decisum, quinam ex iis essent pro canonicis, vel non canonicis habendi. Unde potest solùm inde colligi, quod & ultrò fatemur, hos præfatos non proto-canonicos, sed deutero-canonicos esse Libros.

ARTICULUS V.

Quænam sit authentica sacrorum Librorum editio.

SCiendum est 1. autographos, seu originales & primævos veteris Testamenti codices, Hebraicos fuisse omnes, exceptis Tobiæ, Judith, Esdræ, necnon Danielis Prophetæ Libris, Chaldaicè primitùs datis, & secundo Machabæorum Libro, juxta sanctum Hieronymum, Græcè primitùs conscripto.

Autographos verò, seu originales novi Testamenti Libros fuisse primitùs Græcos, excepto Euangelii secundùm Matthæum Libro, Hebraica lingua, id est Syriaca, Hebræis tunc vulgari, primitùs dato; excepta pariter Paulina ad Hebræos Epistola, quam Hebræam ad Hebræos ab Hebræo Paulo primò datam contendunt S. Hieronymus, & Theodoretus, contra Origenem & Clementem Alexandrinum, Græcè primitùs scriptam arbitrantes. Excipiunt & alii nonnulli Euangelium secundùm Marcum, illud Romæ & Latinè primitùs scriptum opinantes. Idque triti innuere videntur versus isti S. Gregorii Nazianzeni in carmine, quo catalogum Scripturæ sacræ recenset, & Euangelistas per linguas & nationes sic distribuit:

Mat-

Matthæus Christi Hebræis miracula scripsit;
Ausonibus Marcus; Lucas at doctus Achivis;
Cunctis Joannes penetrans cœlestia mente.

Editiones Scripturæ variis linguis, & variis temporibus variæ.

Sciendum est 2. nos hodie Scripturæ sacræ autographa, sive originalia habere nulla, sed solùm apographa, sive exemplaria varia, editionesque varias, diversa lingua, diversis temporibus ortas; quæ tamen ad quatuor istas reducuntur omnes; ad *Hebraicam* videlicet, *Græcam*, *Latinam* & *Vernaculam*, sive vulgarem. Ad *Hebraicam* enim reducuntur, ut patebit ex dicendis, *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Samaritana*; & præter *Græcam* & *Latinam*, ad *vernaculam* revocantur cæteræ omnes, ut *Arabica*, *Æthiopica*, *Persica*, *Gallica*, *Germana*, *Hispana*, *Anglica*, & quæcumque sunt diversarum regionum vulgares aliæ. Has inter omnes ut seligatur *authentica*, hoc est, suo originali conformis, & ut talis per Ecclesiam declarata, hìc breviter & singulatim examinandæ sequentes istæ, quia præcipuæ, videlicet Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Græca, Latina, Vernacula, sive Vulgaris, de quibus singulis cursim agendum, & in primis

De Hebraica.

Hebraica, hoc est, ea, quæ est à Moyse & Prophetis, Hebraicis scripta litteris.

Hebraica sacrorum Codicum editio dicitur illa, quæ à Moyse & Prophetis litteris scripta est Hebraicis, quamque Captivitatis Babylonicæ tempore, ex integro, & quoad omnia exemplaria periisse, & per *Esdram* divino plenum spiritu, de novo, & ex integro, quinque scribis memoriter dictatam, & reparatam contendunt aliqui, quamvis id probabiliùs negent alii; fatentes quidem per Esdram divino plenum spiritu reparatam, non tanquam ex integro deperditam, sed solùm tanquam ex parte dispersam, vitiatam, & corruptam. Verùm quoquo modo se res habeat, editio sacrorum Codicum Hebraica, qualis existit hodie, quamvis non sit omninò pura, ut falsò volunt aliqui, nec suo penitùs conformis originali, ut duriùs opinantur alii, sed suos patiatur nævos & errores aliquos, idque vel ex Rabbinorum, post S. Hieronymi tempora, puncta perperam addentium, ignorantia, vel ex Typographorum incuria, vel imperitia subortos; non tamen tales ac tanti momenti sunt errores illi, ut ejus quoad fidem, aut bonos mores, cum originali conformitatem aut integritatem impediant. Authentica tamen dici non potest, quia de illius cum originali conformitate, nullo nobis Ecclesiæ judicio constet.

De Chaldaica.

Chaldaica, est ex Hebræo in Chaldæum Scripturæ paraphrastica translatio.

Chaldaica, qualis vulgò circumfertur, etsi ad Hebraicam reduci possit, cùm ex Hebraica prodierit Chaldaica lingua, nihil est aliud, quàm divinæ Scripturæ ex Hebraica in Chaldaicam linguam translatio, quæque paraphrasis Chaldaica, potiùs quàm versio, vulgò dici consuevit; quia non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum, Scripturæ textum vertit ex Hebræo in Chaldæum, addita interdum textus explicatione, sive interpretatione nonnulla. Unde *Targum*, hoc est interpretatio, vulgò nuncupatur ab Hebræis: in qua, quia Rabbini Auctores ejus Chaldaica usi sunt lingua, secundùm diversam dialectum ejus, *Jerosolymitanam* nimirum &

Ba-

Babylonicam, inde orta est occasio dicendi Chaldaicam translationem, sive paraphrasim esse duplicem, Jerosolymitanam unam, & Babylonicam alteram; seu Targum esse duplex, *Babylonicum* unum, & *Jerosolymitanum* alterum. Quod 42. circiter annis ante Christum natum prodiisse contendunt multi, quamvis ante S. Hieronymi tempora, nullas in Ecclesia visas Chaldaicas versiones, sive paraphrases contendant alii non pauci, colligantque ex profundo, de illis, *Origenis*, sanctorumque *Epiphanii* & *Hieronymi* silentio. Sed quidquid sit, sive de auctore, sive de tempore, quo primò prodierit Chaldaica translatio, certum est illam non esse puram, sed variis scatere Judæorum fabulis, & Talmudistarum nugis: utilis tamen esse potest ad Judæos de sanctissimæ Trinitatis, & venerandæ Incarnationis mysterio convincendos.

De Syriaca.

Syriaca, hoc est, Syriacis scripta characteribus, ad Hebraicam, sicut Chaldaica, reduci potest: nam etsi tres istæ longè differant linguæ, *Hebraica*, *Chaldaica*, & *Syriaca*, nedum characteribus, verborum conjugationibus, punctorum notatione, sono vocalium, & idiotismis. Tamen sicut ex Hebræa orta est Chaldaica, ita ex utraque illa, Hebraica & Chaldaica, orta est Syriaca, dum Hebræi, qui ad Babylonicam usque Captivitatem sola Hebraica uti consueverant lingua, Babylone captivi degentes propriam oblivisci, & alienam, hoc est Chaldaicam, cœperunt addiscere linguam; cùmque eam non ita congruè & apprimè callere possent, & pronuntiare, quin aliquid de Hebraica retinerent semper, orta est tertia quædam lingua, ex Hebraica & Chaldaica mixta, & à regione dicta Syriaca, quæque deinceps Hebræis cœpit esse vulgaris & materna, qua Christus Dominus creditur usus, qua & Apostoli, qua & S. Matthæi Euangelium putatur scriptum, imò & Paulina ad Hebræos Epistola; qua & adhuc etiam, post suum ad Romanam Ecclesiam reditum, utuntur & celebrant publicè, quibusdam in vicis & pagis per Libanum dispersis, *Maronitæ*; nec alia quàm Syriaca est eorum Maronitica lingua. Sed quidquid sit de illa primæva editione Syriaca, certum est existere hodie Scripturæ, tam veteris quàm novi Testamenti, versionem Syriacam. Cujus etsi non satis constet de auctore, nec de tempore, quo in lucem prodire cœpit, nec magnæ sit auctoritatis, cùm hanc ut divinam & autographam, vel autographæ conformem nondum declaraverit Ecclesia, magnæ tamen utilitatis esse potest. 1. ad Latinam nostram multis in locis firmandam. 2. ad multa ejus obscura & difficilia penetranda. 3. denique, in hoc maximè commendanda, & ad revincendos Lutheranos utilis, quòd in titulis, & capitum inscriptionibus mentionem faciat jejuniorum Quadragesimæ, venerationis sanctæ Crucis, commemorationis defunctorum, & similium rerum aliarum, quas, tanquam Romanorum Pontificum Traditiones, odio prosequuntur, & expuunt *Lutherani*.

Syriaca est ea, quæ Syriacis est scripta literis.

De Samaritana.

Samaritana pariter Pentateuchi editio ad Hebraicam meritò reduci dicenda, quia Hebraica lingua tunc Judæis & Samaritanis communi, primitùs scripta, quamvis characteribus Samaritanis, hoc est Hebraicis antiquis,

Samaritana, quæ nihil est aliud, quàm

Pẽtateuchi editio, Samaritanis, hoc est, Hebraicis antiquis scripta litteris.

quis, Samaritis ab Esdra relictis; testatur enim S. Hieronymus in Prologo galeato, Esdram novos invenisse characteres, & tradidisse Judæis, antiquos relinquendo Samaritis. Unde est quòd Samaritana lingua adhuc Hebræa quodammodo dicenda, licèt non iisdem characteribus utens, quibus hodie veri communiter utuntur Hebræi.

Antiquissima est, & longè ante Christum, illa, qualiscumque & cujuscumque sit auctoris, adhuc incerti, Samaritana versio, vulgò *Pentateuchus Samaritanus*, & summæ auctoritatis fuit olim, quia Hebraicæ conformis authenticæ; & esset adhuc, si ad nos usque pervenisset illibata, qualem adhuc permanere contendunt Samaritani. Multùm tamen, qualis existit, juvare potest ad firmandum nostræ Vulgatæ sensum, ubi dubium; & elucidandum, ubi obscurum.

De Græcâ.

Græca multiplex, sed omniũ præcipua est 70. Interp. versio.

Græca Scripturæ versio multiplex fuit, variis temporibus orta: novem præsertim inter alias numerantur ab interpretibus sacris, inter quas præcipua, & juxta S. Augustinum, omnium prima est 70. *Interpretum* vulgò dicta, 2. est *Aquilæ*, 3. *Theodotionis*, 4. *Symmachi*, 5. & 6. *incerti Auctoris*, 7. *Origeniana*, 8. *S. Luciani Martyris*, 9. *Hesychii Monachi*.

1. Scilicet LXXII. Interpretum, totius veteris Testamenti versio, & omnes inter Græcas celeberrima, dicitur illa, quam dedere, Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis jussu, 72. Seniores Hebræi, seni ex qualibet tribu, utriusque linguæ, Hebraicæ nimirum & Græcæ peritissimi, spatio 72. dierum in insula Pharos, & Spiritu sancto pleni, ducentis & quinquaginta circiter annis ante Christum natum; & singuli, ut putant aliqui, vel bini in singulis cellulis seorsim inclusi, ut cum *S. Justino* opinantur multi, quamvis hujusmodi cellulas tanquam ab impostoribus Judæis, Justino fabulosè narratas, & ex Justino à subsequentibus aliis, bona fide, & sine examine concreditas, rideant & negent alii cum *S. Hieronymo*, ob testimonium *Aristæi* testis oculati, expresse, & harum cellularum nulla mentione facta, dicentis, eos singulis diebus consuluisse ad horam usque nonam; & insuper *Josephi* de ejusmodi cellulis profundè silentis, licèt rei historiam ad minimas usque circumstantias narrantis. Versionem tamen istam prorsus miraculosam, & non nisi suggerente Spiritu sancto, à præfatis senibus editam, fatentur & isti, post *Justinum*, *Irenæum*, *Clementem Alexandrinum*, & alios, cum *S. Hieronymo*.

Authentica tamen esse nequit hodie, cùm non sit pura, & suo primævo conformis originali, eodem *S. Hieronymo* teste, & prima præfatione ad Paralip. dicente: *Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati Episcoporum sanctissime, atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina tibi Latino sermone transferrem*. Magna tamen veneratione digna, quia olim tacito vel expresso Ecclesiæ decreto fuit authentica, quia olim illa usi sunt Apostoli & Euangelistæ sacri, quia illa semper usa est Ecclesia Græca, imò & per sexcentos circiter annos universalis Ecclesia; quia nusquam per Ecclesiam reprobata, sive rejecta, quamvis relicta; & quia denique variis sanctorum Ecclesiæ Patrum illustrata commentariis, & ad Vulgatam nostram elucidandam non mediocriter utilis. Si ista 70. Interpretum Græca versio, quæ Græcarum omnium est præcipua, non sit authentica, nec erunt à for-

à fortiori, minùs præcipuæ cæteræ, quarum nihil nobis, præter fragmenta, reliquit temporis invidia.

2. Est *Aquilæ*: *Aquila* enim *Ponticus* Sinopæus cùm quotidie secundùm vanam Astrologiam suæ nativitatis positionem observaret, nec reprehensus resipisceret, ab Ecclesia excommunicatus est, ex quo è Christiano Judæus factus, & irruens in 72. Interpretum versionem Græcam, alteram ipse secundus sacrorum voluminum Interpres Græcus aggressus est, eo animo, inquit S. Epiphanius, ut vaticinia de Christo, quoad posset, subverteret, & re ipsa, nonnulla de Christo aliter edidit, sub Adriano Imp. circa annum Christi 130. unde est, quòd S. Epiph. in lib. de pond. & mens. *Aquilam* vocat Judaizantem hæreticum. Vide S. Epiph. Euseb. hist. Eccles. lib. 6. & Baron. ad ann. Ch. 130.

3. Quæ *Theodotionis* dicitur, ea est, quam edidit *Theodotion* Ephesinus *Tatiani* primùm discipulus, *Marcionis* deinde sectarius, & tandem in Synagoga receptus Judæus, ea lege, ut vetus Testamentum Græcum redderet, quod & præstitit, circa annum Christi 184. multa addens, & multa demens; sed illum inter Judaizantes hæreticos numerat S. Hieron. in præfat. in Job. Vide *Baron. ad annum Christi* 184.

4. Est *Symmachi*: fuit enim *Symmachus* quartus sacrorum voluminum Interpres Græcus circa annum Christi 200. Is enim genere Samaritanus, cùm nullum sibi à sua gente honorem deferri conspiceret, ad Judæos transivit, seque circumcidi secunda circumcisione permisit, ut mos erat hos inter populos; deinde ex Judæo Christianus, & è Christiano *Ebionis* hæretici sectarius, qui sua in Bibliorum versione Græca, non verbum ex verbo, sed sententias ex sententiis reddidit, inquit S. Hieron. in cap. 36. *Jerem.* vide *Hier. Bar. Philas.* & *Miræum*. Ista *Symmachi* versio, quarta est, licèt S. Epiphanius lib. de pond. & mens. S. Athanasius in Synopsi, & S. Aug. lib. 18. de Civ. cap. 43. illam numerent, & collocent ante Theodotionis versionem, quod ideò ita tres illi SS. PP. fecisse videntur, quia secuti ordinem ab *Origene* servatum in Hexaplis.

5. Est *Anonyma*, quia sine auctoris nomine, in quibusdam doliis apud urbem *Jericho* reperta, anno Imperii Caracallæ septimo, ut ipse testatur S. Epiphanius.

6. Similiter *Anonyma*, quia similiter sine ullo auctoris nomine, in doliis similiter inclusa, apud Nicopolim reperta, unde & Nicopolitana vocata.

7. Est *Origeniana*, continens Hexapla, hoc est, ea cujus auctor est *Origenes*, quæque nihil est aliud, quàm *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla* ab Origene confecta; *Tetrapla* verò nihil sunt aliud, quàm quatuor veteris Testamenti editiones priores, nimirum versiones 70. *Interpretum*, *Aquilæ*, *Theodotionis*, & *Symmachi*, totidem diversis columnis exhibitæ; *Hexapla* sunt sex editiones, nimirum quatuor præfatæ, & duæ aliæ Hebraicæ his additæ, una litteris Hebraicis, altera Græcis; & *Octapla* sunt sex illæ, & duæ aliæ sine auctoris nomine, his superadditæ; sed hujusmodi Hexapla & Octapla non distinguunt Euseb. & Hieron. imò de Hexaplis loquitur S. Epiph. lib. de pond. & mens. tanquam de opere ab Octaplis indistincto.

8. Est *S. Luciani* Antiocheni Presbyteri & Martyris, qui cùm sacros libros adulterari, & in pravum sensum detorqueri cerneret, eosdem ipse ad fidem Hebraici textus emendatos edidit, quam editionem S. Athanasius, sub Constantino, propria Luciani manu descriptam, Nicomediæ repertam esse narrat. Vide *Baron. ad ann. Christi* 230.

9. De-

9. Denique, ea eſt, quæ dicitur *Heſychii*, quæque in uſu erat Alexandriæ, & tota in Ægypto, recepta atque probata.

De Latina.

Latinæ innumeratæ. *Latinæ* tot fuere ſacræ Scripturæ verſiones, ut dicat *S. Auguſtinus*, eos, qui Scripturas ſacras ex Hebræo verterunt in Græcum, numerari poſſe; eos verò qui in Latinum, non poſſe. Inter has tamen omnes, etſi numero multas, duæ fuere præcipuæ magnam in Eccleſia venerationem conſecutæ; una videlicet *antiqua*, incertique auctoris opus, quam *Italam*, quia *Latinam*, vocat S. Auguſtinus; *communem* S. Hieronymus, *veterem* S. Gregorius, *vulgatam* Oroſius, & cum iſto, *vulgatam* Chriſtianorum orbis univerſus, quia illius ubique vulgaris & frequentiſſimus uſus. Altera *nova*, poſt hanc Italam, à *S. Hieronymo* data, qui juſſu S. Damaſi Romani Pontificis vetus Teſtamentum ex Hebræo Latinum fecit, & novum à mendis purgando, Græcæ fidei reddidit, ut fatetur ſanctiſſimus ipſe Doctor, in fine ſui de Scriptoribus Eccleſiaſticis Libri, dicens: *Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxta Hebraicum tranſtuli*. Cùmque illis temporibus, circa duas iſtas, orta eſſet contentio, quænam ex duabus his præferenda eſſet alteri, ſuoſque patronos haberet utraque, ita ut S. Auguſtinus *Italam*; *quia verborum tenaciorem cum perſpicuitate ſermonis*, & S. Iſidorus *novam* S. Hieronymi alteram anteponeret: ex illis duabus, non longè poſt S. Gregorii tempora, conflata eſt una, ad communem & vulgarem Eccleſiæ uſum, quæ nec antiqua, nec nova, ſed Vulgata communis diceretur; non quia mixta ex libris antiquæ ſcilicet & novæ, ſed quia libri nonnulli leguntur in ea, eo modo quo in antiqua, & alii eo modo, quo in nova; & hæc eſt hodierna Vulgata noſtra, multorum ſæculorum uſu in Eccleſia recepta, & de qua tandem ſpeciali Tridentini Concilii decreto proviſum eſt ſeſſ. 4. *Ut pro authentica habeatur, & ut eam nemo, quovis prætextu, rejicere audeat vel præſumat.*

Conc. Trid. ſeſſ. 4. decr. de edit. & uſu ſac. lib.

De Vernacula, ſive vulgari.

Vernaculæ variæ. *Vernacula* Scripturæ verſio dicitur illa, quæ vernacula ſeu vulgari lingua ſcripta eſt. Vernacula autem lingua, in unaquaque regione, dicitur ea; quæ ipſi peculiaris eſt, vulgaris & materna; quæque cùm multiplex ſit, ita & vernacula Scripturæ verſio multiplex eſſe poteſt, & re ipſa fuere numero multiplices: quas inter præcipuas cenſeri poſſunt ex Orientalibus *Arabica*, *Æthiopica*, *Perſica*; & ex Occidentalibus *Gallica*, *Germana*, *Hiſpanica*, *Anglica*, *Italica*, *Polonica*, *Hungarica*, *Belgica*, *Hibernica*, & variæ aliarum regionum aliæ, de quibus omnibus hic generatim notandum,

1. Quòd etſi nulla vulgaris ſit authentica, quia nulla ut talis per Eccleſiam declarata; utiles tamen eſſe poſſunt, ubi *Vulgatæ* conformes, ad obſcura interdum ejus explicanda loca. 2. Duo, de vulgaribus, eſſe per Eccleſiam prohibita; primum eſt ne in publico Eccleſiæ uſu, præſertim in Miſſa, legantur Scripturæ in vulgari lingua, ut conſtat ex illo Tridentini Concilii ſeſſ. 22. cap. 8. de Sacrificio Miſſæ, dicentis: *Etſi Miſſa contineat magnam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur*. Et alterum eſt ne hujuſmodi vulgares

fa-

sacræ Scripturæ versiones, omnibus indiscriminatim legi permittantur, cùm juxta quartam Indicis regulam à Sixto V. Clemente VIII. & Pio IV. Summis Pontificibus approbatam, *experimento manifestum sit, plus inde detrimenti, quàm utilitatis oriri, ob hominum temeritatem, &c.* His ergo ita præmissis,

CONCLUSIO.

Dico, *ex his omnibus sacrorum Codicum editionibus præfatis, solam hodie Vulgatam Latinam esse authenticam, & fidei nostræ regulam.* Ex his omnibus hodie sola Vulgata authentica.

Pr. sic. Ut aliqua Scripturæ sacræ editio sit authentica, & fidei nostræ regula, debet esse certò divina, seu certò conformis cum suo originali textu, qui divinus erat. Atqui sola Vulgata Latina est certò divina, seu certò conformis cum suo originali textu, qui divinus erat. Ergo illa sola authentica dici debet, & fidei nostræ regula, & nulla alia. Probatur minor. Ut aliqua Scripturæ editio sit certò divina, seu certò constet nobis illam esse divinam, seu suo cum originali textu conformem, id nobis constare debet universalis Ecclesiæ judicio, cùm solius universalis Ecclesiæ sit, judicare de Scriptura divina, & de ejus, cum suo originali textu, conformitate vel difformitate; cùm sola universalis Ecclesia sit infallibilis & columna veritatis, dicatque S. Augustinus, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* *Ex Conc. Trid. sess. 4. decr. de edit. & usu sac. lib.* *Cont. Epist. fund. c. 5.*

Atqui de sola Vulgata Latina editione constat nobis, universalis Ecclesiæ judicio, quòd sit divina, seu suo cum originali textu conformis, qui divinus erat; cùm de Vulgata Latina, & de nulla alia sive Hebraica, sive Græca, sive Chaldaica, sive Syriaca, Persica, vel Arabica, Germana, vel Gallica, Hispana, vel Anglica, vel quaviscumque alia vernacula, pronuntiaverit Ecclesia in Tridentino Concilio congregata, in sess. 4. cap. 2. *Ut pro authentica habeatur, & ut nemo illam, quovis prætextu, rejicere audeat vel præsumat.* Ergo sola Vulgata Latina, & nulla quæcumque alia est certò divina, seu certò conformis suo cum originali textu; ac proinde illa sola, & nulla alia est authentica.

Et quamvis ibi de solis Latinis editionibus, & non de aliis sermonem habeat Tridentina Synodus, nullam tamen aliam, ex aliis quibuscumque, nec ibi, nec alibi, præter Vulgatam Latinam, pro authentica proponit, & ut sequendam declarat. Ergo Vulgata Latina, eaque sola pro authentica habenda, & pro fidei nostræ regula: authentica, inquam, non eo sensu, ut sit omnino, & à quibuscumque mendis pura, cùm fateatur Clemens VIII. in sua editionis emendatæ bulla, *in hac Vulgata editione visa esse nonnulla mutanda, quæ consultò mutata non sunt*; sed eo sensu, ut nihil fidei, bonis moribus, aut historiæ veritati repugnans contineat, vel quidquam aliud falsum, aut contradictorium involvat, quod impediat, quominùs possit esse vera & certa fidei nostræ regula.

Objicies 1. Editio Hebraica fuit olim authentica, & à Christo, necnon à Christi Apostolis laudata: ergo & nunc authentica est, ac proinde non sola authentica dicenda Vulgata Latina. Resp. conc. ant. neg. conseq. Ideò enim fuit olim authentica editio Hebraica, quia pura, & suo conformis originali, & ut talis per Ecclesiam sive Synagogam habita; hodie verò authentica dici nequit, quia nec pura, nec suo conformis originali, nec ut authentica per Ecclesiam declarata. Occurritur reclamantibus adversariis.

In-

Instabis. Si authenticus & purus non sit Hebraicus textus; ergo nec pura, nec authentica dici potest Vulgata nostra Latina, ex Hebraico textu, sive à S. Hieronymo, sive ab alio quocumque translata. Resp. neg. conseq. Quia divina providentia factum esse constat, ut Vulgatam Latinam nostram habeamus, ex Hebræo quidem textu translatam; sed ex Hebræo textu, nondum punctorum additione, vel Librariorum incuria aut ignorantia, vitiato.

Objicies 2. Græca Septuaginta Interpretum versio est à viris Spiritu sancto plenis data, ab ipsis Apostolis sæpè laudata, & per multa sæcula, universalis Ecclesiæ usu recepta: ergo authentica dici debet æquè ac Vulgata Latina. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia etsi authentica fuerit olim & pura, non tamen hodie, quia non talis ad nos usque pervenit, qualis ab illis exivit sacris Interpretibus Spiritu sancto plenis, & qualis per multa sæcula viguit.

Ex S. Hier. in 1. præfat. in Paralip. ad Chrom.

Instabis. Si authentica non esset hæc editio Græca, authenticam Scripturam haberet nullam Ecclesia Græca; sed hoc non est credibile. Ergo. Resp. neg. seq. majoris. Quia etsi nullam habeat Græcam, nisi corruptam, habet Latinam Vulgatam, ex qua suam potest corrigere, & à mendis purgare Græcam.

Objicies 3. Ut aliqua Scripturæ editio dicatur authentica, debet suo conformis esse originali. Atqui Vulgata Latina non est suo conformis originali, cùm primævo textui, sive Hebraico, sive Græco, non conveniat. Ergo authentica dici nequit. Resp. conc. maj. neg. min. Quia etsi non sit conformis suo primitivo textui, sive Hebraico, sive Græco ut vitiato, & qualis nunc est; est tamen ei utrique conformis ut puro & incorrupto, qualis uterque fuit: nam sicut Ecclesia Latina constantior fuit in fide retinenda, quàm Ecclesia Græca, & quàm Hebræorum Synagoga, ita & vigilantior fuit in divinæ Scripturæ libris à corruptione servandis.

Instabis. Sancti Ecclesiæ Patres *Hieronymus* & *Augustinus*, passim ad Hebraicos, Græcosque Scripturæ fontes, sive primævos textus, recurrendum esse docent, quoties Latinæ versiones corruptæ videntur, vel obscuræ. Ergo Hebraicos, Græcosque textus puriores supponunt versionibus quibuscumque Latinis, ac consequenter & Vulgata Latina. Resp. 1. dist. conseq. Supponunt Hebraicos, Græcosque textus puriores, quales tunc, tempore istorum Ecclesiæ Patrum fluebant. Conc. Quales existunt hodie. Neg. conseq. Non enim loquuntur illi sancti Patres de hodiernis & vitiatis Scripturæ textibus, sed de textibus suo tempore currentibus, & nondum corruptis atque vitiatis. Resp. 2. perm. ant. neg. conseq. Quia etiamsi hodierni non sint omnino puri Hebraici, Græcique textus, juvat tamen ad illos persæpè recurrere, ad conciliandos, vel intelligendos obscuros Latinæ Vulgatæ textus.

Objicies 4. Vulgata Latina etiam post Tridentinum à *Sixto V.* emendata, & iterùm biennio pòst à *Clemente VIII.* revisa, aliquot adhuc mendis scatet: ergo authentica dici nequit. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia levia sunt, nec fidei nociva, nec bonis moribus adversa, nec sensum falsum, aut non divinum exprimentia: unde non impediunt hæc quominùs sit authentica Vulgata Latina.

Instabis. Ergo authentica esset & Hebraica, cùm Hebraica, etiam ex Bellarmino, vitia contineat nulla, nisi levia, nec fidei bonisque moribus nociva. Resp. neg. conseq. & paritatem. Quia ut authentica sit editio ali-

qua, non satis est quòd nihil contra fidem, vel contra bonos mores contineat, sitque quoad fidem & bonos mores suo originali conformis: sed insuper requiritur, ut hoc publico constet Ecclesiæ judicio: quod cùm non constet de Hebraica, & constet de Vulgata Latina sola, ideò authentica est Vulgata Latina sola, & non authentica Hebraica, nec ulla alia.

Ex Trid. Conc. sess. 4. decr. de edit. & usu sacr. lib.

ARTICULUS VI.

An Deus omnia, etiam singula, dictaverit divinæ Scripturæ verba.

DOcent viri eruditi non pauci cum *Sixto Senensi*, *Melchiore Cano*, *Bellarmino*, *Andrea Vega*, & aliis, in rebus familiaribus & naturaliter notis, plura esse in Scriptura sacra non à Spiritu sancto dictata, sed ab ipsis Scriptoribus sacris ad libitum expressa, assistente tamen Spiritu sancto, & providente, ne quid falsum, vitiosum, aut quocumque modo reprehensibile, v. g. ne rem pro re, verbum pro verbo, vel litteram pro littera conscriberent; dum asserunt econtrà communiter alii, omnia nedum quoad res & sententias, sed etiam quoad singula verba, fuisse à Spiritu sancto dictata; quos ut sequamur & nos,

CONCLUSIO.

Dico, *omnia, non solùm res & sententias, sed & singula divinæ Scripturæ verba, usque ad minimos apices, fuisse à Spiritu sancto dictata.*

Pr. 1. sic: quia hoc communiter colligunt Doctores, 1. ex eo quòd sancti Prophetæ, dum loquuntur in Scripturis, passim dicant, *Hæc dicit Dominus*; vel, *Factus est sermo Domini ad me, dicens*; vel, *Factum est verbum Domini ad me, dicens*: ut Isajæ cap. 5. Jeremiæ cap. 13. 14. & alibi, Ezechielis cap. 6. & alibi passim, Amos cap. 2. Osee cap. 3. Abdiæ cap. 1. 2. Ex eo quòd sanctus Petrus Epist. 2. cap. 1. vers. 21. dicat: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. 3. Ex illo Pauli 2. ad Timotheum cap. 3. vers. 16. dicentis: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, &c.* Ergo si hæc, quæ loquuntur Prophetæ, dicat Dominus; si non nisi à Spiritu sancto inspirati locuti sunt Prophetæ; si omnis Scriptura sit divinitùs inspirata, omnia sine dubio, nedum res & sententiæ, sed & singula divinæ Scripturæ verba, sunt à Spiritu sancto dictata, sive inspirata.

Nedum res, sed & singula divinæ Scripturæ verba, sunt à Spiritu sancto dictata.

Pr. 2. ex eo quòd idipsum asserere videantur sancti Patres, præsertim sancti *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, & *Gregorius*.

S. Chrysostomus homilia 22. in Genesim, dum ait: *Nihil hic scriptum est quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, neque vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus.*

S. Hieronymus in cap. 6. Matthæi, & in cap. 3. ad Ephesios, dicens: *Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus*; & in Epist. ad Paulinum, dum ait: *Sola Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba.*

S. Augustinus Epist. 14. dum asserit *se nullius hominis libris tantum deferre quantum divinis litteris, non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasimque dictantis, qui est Spiritus sanctus.*

S. Gregorius denique in præfatione libri moralis expositionis *in Job*, dicens: *Ipse hæc scripsit, qui hæc scribendo dictavit.* Atqui sine dubio non ita expressè loquerentur hi sancti Patres, nisi existimassent omnia, etiam singula divinæ Scripturæ verba, esse à Spiritu sancto dictata. Ergo, &c.

Pr. 3. Si singula divinæ Scripturæ verba non essent à Spiritu sancto dictata, sed solùm à Scriptoribus sacris, ex assistentia Spiritus sancti, posita, non magis essent de Scriptura divina propriè dicta, quàm Ecclesiæ definitiones, quæ pariter fiunt ex speciali Spiritus sancti assistentia, ut in confesso est apud omnes, & constat ex illo celebri Apostolici Concilii decreto, *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Atqui hoc dici non potest, cùm in hoc differat Scriptura divina à definitionibus Ecclesiæ, quòd illa sit à Deo dictata, sive à Deo dicente, & per Scriptores sacros loquente, prolata; istæ verò ab Ecclesia, ex assistentia Spiritus sancti, seu à Spiritu non dicente & non loquente, sed Ecclesiæ assistente profectæ. Ergo, &c.

Act. c. 15. v. 28.

Occurritur variis contradicentium telis.

Objicies 1. Si omnia & singula divinæ Scripturæ verba essent à Spiritu sancto sacris Scriptoribus dictata, Auctor libri 2. *Machabæorum* in fine veniam non peteret, si quid minùs dignè scripserit. Atqui veniam petit in fine dicens: *Ego quoque in his faciam finem sermonis, etsi quidem benè & ut historiæ competit, hoc & ipse velim; si autem minùs dignè, concedendum est mihi, &c.* Ergo. Resp. neg. sequelam majoris; quia ibi non petit veniam erratorum, quæ ibi nulla sunt, sed styli minùs fortè politi, & minùs fortè digni, quàm divini verbi majestas exigit, non quòd talis sit, sed si fortè talis legentibus appareat, eo ferè sensu, quo à seipso Paulus dicitur 2. ad Cor. cap. 11. vers. 16. *imperitus sermone, sed non scientia*; non quòd talis esset, sed quòd talis haberetur à nonnullis; idque totum ex divini Spiritus impulsu, ex modestia, & accommodatè ad hominum loquendi modum, sæpè de suo agendi vel loquendi modo veniam petentium, licèt se non errasse certissimè noscant; & idem dicendum de Auctore libri Ecclesiastici, in prologo suo veniam petente. Addi potest hoc argumentum non minùs urgere eos, qui tenent singula Scripturæ verba non esse à Spiritu sancto dictante, sed Scriptoribus sacris assistente.

Objicies 2. S. Lucas in suæ Historiæ Euangelicæ præfatiuncula, se omnia scripturum promittit, ut audivit ex ore Apostolorum, qui ab initio viderunt, dicens cap. 1. vers. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile*; ergo non ex ore Altissimi ea sibi dictantis Dei. Resp. conc. ant. neg. conseq. quia licèt S. Lucas non res enarret, ut vidit, quia non Apostolus, sed ut ab Apostolis audivit, eo ferè modo, quo S. Marcus: non inde sequitur, eum non ea scripsisse assistente, & verba dictante Spiritu sancto; nam speciali Dei providentia factum esse tenet *S. Augustinus*, ut duo ex Euangelistis Apostoli fuerint, qui res ut visas narraverint, alii duo econtrà non Apostoli fuerint, & res non ut visas, sed ut ab aliis auditas descripserint, ut inde colligatur Historiæ Euangelicæ certitudinem, non ex Scriptorum sacrorum visu vel auditu manare, sed ex ipsa Spiritus sancti, res, verbaque dictantis, assistentia.

Objicies 3. Paulus 1. ad Cor. cap. 7. vers. 10. ait, *Præcipio non ego, sed*

Dominus; & paulò post vers. 12. subjungit, *Cæteris dico ego, non Dominus*. Ergo ibi dum ait, *Dico ego, non Dominus*, manifestè declarat se humano spiritu, non Dei spiritu loqui; ac proinde non omnia divinæ Scripturæ verba à Deo dictata fuisse demonstrat. Resp. neg. conseq. Ratio est, quia, ut optimè advertit *Melchior Canus*, ibi Paulus, ut distinguat ea quæ Deus ore proprio protulit, ait, *Præcipio non ego, sed Dominus*; & ut indicet ea, quæ ipse dicit secundùm consilium suum, licèt Deus ea non protulerit, ait, *Cæteris ego dico, non Dominus*, id est, Dominus ore proprio non dixit, sed ego dico juxta consilium meum, quod consilium meum non est tamen hominis, sed Spiritus sancti. Unde est quòd ibidem in fine capitis dicat: *Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam*. *Paul. 1. ad Cor. c. 7. v. 40.*

Objicies 4. Non omnes divinæ Scripturæ libri sunt unius & ejusdem styli; ergo nec omnes à Spiritu sancto, quoad singula verba, dictati. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia cùm dictans Spiritus sanctus se scriptorum hominum genio accommodet, & varius sit scriptorum genius, non mirum videri debet, si varius sit librorum divinæ Scripturæ stylus; solet enim Spiritus se organis suis accommodare, & attemperare, ita ut in urbanis urbanus, in rusticis rusticus, in eloquentibus eloquens videatur; perinde ac tibicen, qui in tibiis subtilioribus subtilius, in crassioribus crassius, & in grandioribus modulatur grandius. Sic non mirum, si stylo suo exultans lætetur *Isajas*, lamentetur *Jeremias*, minetur *Ezechiel*, & visionibus abripiatur *Daniel*; suus enim cuique Prophetæ genius, suus spiritus, & stylus cuique congruus, aspiratus à Deo, qui dona sua dividit singulis, prout vult.

Cur non unus & idē sit, sed varius Prophetarum stylus.

Objicies 5. In Scriptura sacra reperiuntur plura profana Ethnicorum dicta; ut v. g. Actuum cap. 17. vers. 29. illud Arati Poetæ, *Ipsius enim & genus sumus*; & 1. ad Cor. cap. 15. vers. 33. illud Menandri, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*; & ad Titum cap. 1. vers. 13. illud Epimenidis Cretensis Philosophi, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*. Sed hæc non videntur à Spiritu sancto dictata; ergo, &c. Resp. perm. maj. dist. min. Hæc non videntur à Spiritu sancto dictata, quatenus profana sunt, & ab Auctoribus Ethnicis usurpata. Conc. Quatenus elevata sunt & sumpta ad ea significanda nobis, quæ Deus, per ea, nobis significari decrevit. Neg. min. quia ut sic, & in hoc ultimo sensu spectata, sunt à Spiritu sancto Scriptoribus sacris inspirata, & vera divinæ Scripturæ verba.

Cur profana Gentilium dicta interdū in Scriptura citata.

ARTICULUS VII.

An multiplex sit divinæ Scripturæ sensus.

SCiendum est in primis, hìc, per divinæ Scripturæ sensum, nihil aliud communiter intelligi, quàm id, quod Spiritus sanctus divinæ Scripturæ auctor intendit per Scripturæ verba significare nobis. Quo posito, contra Hæreticos nonnullos, maximè *Kennitium*, perperam asserentes & falsò, unicum esse, videlicet litteralem, in divina Scriptura sensum,

CONCLUSIO.

Dico, *multiplicem esse posse divinæ Scripturæ sensum, litteralem videlicet, & spiritualem, sive mysticum; & spiritualem iterùm esse posse, allegoricum, moralem, vel anagogicum.*

Pr. 1. Quia id communiter asserunt sancti Patres & Ecclesiæ Doctores, maximè S. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, in Epist. ad Nemes. dicens: *Est etiam in Scripturis nostris duplex sensus, alter internus & spiritalis, alter externus nec litteræ corticem excedens.* S. Hieronymus in Epist. ad Damasum, dum ait: *Non sunt, ut quidam putant, in Scripturis verba simplicia; plurimum in his absconditum est; aliud littera, aliud mysticus sermo significat*: quod non dicerent sine dubio illi sancti Patres, nisi multiplicem esse posse divinæ Scripturæ sensum tenerent. Nec S. Thomas 1. quæst. 1. art. 10. id expressè sic confirmaret: *Dicendum quòd Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet, (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas; & ideò cùm in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces, etiam significent aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces iterùm res alias significant, dicitur sensus spiritualis qui super litteralem fundatur, & eum supponit. Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur, &c.*

Sed post illos, de illo vario ac multiplici Scripturæ sensu clariùs & expressiùs loquitur S. Bonaventura in suo Opusc. de Reductione art. ad Theologiam, dum ait, *In omnibus enim sacræ Scripturæ libris, præter litteralem sensum, quem exteriùs verba sonant, concipitur triplex sensus spiritualis, scilicet allegoricus, quo docetur, quid credendum de divinitate & humanitate sit; moralis, quo docetur, quomodo vivendum sit; & anagogicus, quo docetur, qualiter est Deo adhærendum; unde tota Scriptura hæc tria docet, scilicet Christi æternam generationem & incarnationem, vivendi ordinem, & Dei & animæ unionem. Primum respicit fidem, secundum mores, tertium finem utriusque. Circa primum insudare debet studium Doctorum, circa secundum studium Prædicatorum, circa tertium studium Contemplativorum: primum maximè docet Augustinus, secundum maximè docet Gregorius, tertium verò docet Dionysius; Anselmus sequitur Augustinum, Bernardus sequitur Gregorium, Richardus sequitur Dionysium, quia Anselmus in ratiocinatione, Bernardus in prædicatione, Richardus in contemplatione; Hugo verò omnia hæc, id est, omnes sequitur.*

S. Bonav. in Opusc. de red. art. ad Theolog.

Pr. 2. ratione. Cùm divinæ Scripturæ sensus nihil sit aliud, quàm id, quod intendit significare nobis ipse divinæ Scripturæ auctor Deus, & possit Deus nobis significare velle aliquid, non solùm immediatè, per ipsam litteram, seu per verba, sed etiam mediatè, per ipsas res verbis significatas; consequenter sequitur in eodem Scripturæ textu duplicem esse posse sensum, unum videlicet per litteram, seu per verba immediatè significatum, qui litteralis, sive historicus, & externus dicitur; alterum verò, per ipsas res verbis significatas intentum, & mediatè significatum, qui spiritualis, seu mysticus, & internus dici consuevit. Ergo in Scriptura divina potest esse duplex ille sensus, *litteralis*, sive *historicus*, & *spiritualis*,

sive

sive *mysticus*: *litteralis*, qui est proximè & immediatè, per ipsa Scripturæ verba significatus; *spiritualis* verò, sive *mysticus*, qui non per ipsa verba, sed per rem verbis significatam, est nobis à Spiritu sancto notatus.

Quia verò spiritualis iste sensus, aut potiùs significatum illud & intentum à Deo per res ipsas verbis significatas, vel pertinet ad fidem & Ecclesiam militantem, vel ad morum instructionem & officia charitatis, vel ad vitam æternam, quam speramus, sive ad triumphantem Ecclesiam. Si primum, ille spiritualis sensus dicitur *allegoricus*; si secundum, *tropologicus*, seu *moralis*; si tertium, *anagogicus* vocatur: ergo patet manifestè, quòd cùm divinæ Scripturæ sensus esse possit litteralis, vel spiritualis, & spiritualis iterùm allegoricus, moralis, vel anagogicus, quadruplex consequenter esse potest divinæ Scripturæ sensus, videlicet *litteralis*, *allegoricus*, *moralis*, & *anagogicus*; soletque vulgò sic metricè designari; Quadruplex esse potest divinæ Scripturæ sensus.

Littera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas, quid speres anagogia.

Hunc quadruplicem sensum, in hac sola voce *Jerusalem* reperiri notat Cassianus collat. 4. cap. 4. hæc enim vox *litteraliter* significat urbem Palæstinæ Metropolim, *allegoricè* Ecclesiam, *tropologicè*, animam justi, *anagogicè* patriam cœlestem. Similiter dum dicitur, *Fiat lux*, vox illa *lux* quadruplicem illum potest habere sensum, juxta sanctos Ecclesiæ Patres, nam *litteraliter* sumpta *lucem* significat corporalem, quæ initio mundi à Deo producta est. *Allegoricè* designat *Christum*, qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Tropologicè* verò notat *gratiam* Spiritus sancti, qui est lumen cordium. *Anagogicè* denique signat *lumen æternæ* gloriæ, de quo dicitur, *Lux perpetua luceat eis*.

Objicies 1. sensus litteralis est interdum falsus; unde Paulus 2. ad Cor. cap. 3. vers. 16. ait, *Littera occidit*. Ut cùm Christus v. g. dixit Joan. cap. 15. vers. 1. *Ego sum vitis, vos palmites*; vel cùm de illo dicitur 1. ad Cor. cap. 10. vers. 4. *Petra autem erat Christus*; Christus enim neque vitis est, neque petra; sed Deus homo. Ergo divinæ Scripturæ sensus litteralis non est à Deo intentus, seu divinus. Resp. dist. ant. Sensus litteralis grammaticalis est interdum falsus. Conc. Sensus litteralis Theologicus. Neg. ant. & sub eadem dist. conseq. Duplex enim est divinæ Scripturæ sensus litteralis, *Grammaticalis* nimirùm unus, & *Theologicus* alter. Grammaticalis est quem respiciunt Grammatici; Theologicus quem Theologi: Grammatici autem respiciunt in Scriptura sensum illum quem primò, & ex sua vi, verba significant. Theologi verò illum quærunt in Scriptura sensum litteralem, qui est sub ipsis Scripturæ verbis, primariò & per se à Spiritu sancto intentus. Prior, videlicet grammaticalis potest esse falsus, & de illo intelligendus Paulus dicens, *Littera occidit*. Sed non de posteriori, nimirùm Theologico, qui semper verus. In quo sensu occidit littera.

Objicies 2. Præter quatuor præfatos sensus, datur & *metaphoricus* seu figuratus. Ergo plures sunt quàm quatuor assignati divinæ Scripturæ sensus. Resp. neg. ant. quia *metaphoricus* ad litteralem improprium reducitur: nam cùm ex sancto Thoma part. 1. quæst. 1. art. 10. sensus litteralis sit ille, *qui ex prima & immediata vocum significatione*, sive propria, sive translatitia,

aut metaphorica colligitur, seu ille qui significatur propriè, aut figuratè; sequitur illum esse duplicem, proprium videlicet & improprium, seu metaphoricum & figuratum; *proprius* est quem verba immediatè & proximè, ex vi propria & primaria institutione significant; *metaphoricus* verò est ille, quem non ex vi sua propria, sed ex figurata, seu ex translatitia significatione designant, ex intentione dicentis, ut quando Christus dicitur, *leo*, *agnus*, *vitis*, *petra*, *ostium*, *&c.*

Objicies 3. Præter litteralem & spiritualem sensum, datur & alius *accommodatitius* vulgò dictus, sive per accommodationem. Ergo & plures sunt quàm præfati. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia *accommodatitius* ille sensus, quem interdum usurpant Interpretes, Concionatores & Theologi, non proprius, sed improprius est divinæ Scripturæ sensus; quia non à Spiritu sancto sacrarum Scripturarum auctore intentus, sed ab ipso accommodante Interprete, Concionatore, vel Theologo; ut ex eo manifestè patet, quòd sensus ille accommodatitius nihil sit aliud, quàm verborum Scripturæ significatio extensa, & accommodata ad res alias à Spiritu sancto non intentas, seu præter Spiritus sancti intentionem & scopum, ut quando v. g. illa Ecclesiastici verba de Noe cap. 44. vers. 17. prolata: *Noe inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*; vel ista de Abrahamo ibidem asserta, vers. 20. *Non est inventus similis illi*; vel denique ista de Isaaco ibidem prolata, vers. 26. *Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus*; accommodantur & transferuntur interdum ad Sanctum aliquem, puta ad sanctum *Benedictum*, *Bernardum*, *Dominicum*, *Franciscum*, *Ignatium*, vel ad hujusmodi alios. Jam verò fortè

Quæres, quibus ducibus, litteralem, vel alium quemcumque Scripturæ sensum possit quis assequi. Resp. cum *Sixto Senensi* lib. 3. suæ Bibliothecæ sanctæ, sic metricè respondente, & dicente:

Auctores consulendi varii, pro vario divinæ Scripturæ sensu.

Historiam Hebræis & Græcis fontibus haustam
Hieronymo disces duce.
Allegorias anagogiasque recludent
Origenes & Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus & Gregorius.
In dubiis altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At brevis & facilis non spernenda tyroni
Lirinensis expositio.

ARTICULUS VIII.

Assignantur regulæ pro genuino discernendo divinæ Scripturæ sensu.

5. Regulæ pro intelligendo divinæ Scripturæ sensu.

CUm Scripturam suam obscuram interdum, ac difficilem esse voluerit omnipotens Deus, ne vilesceret divinæ Scripturæ majestas, & labore domaretur intellectus humani superbia, seu ut loquitur S. Aug. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 6. *Ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt*: indeque fiat, ut

ut arduum persæpè sit ac difficile, genuinum, hoc est à Spiritu sancto intentum, assignare divinæ Scripturæ sensum; ideò varii varias pro illius intelligentia assignarunt regulas, inter quas, septem à *Tychonio* Donatista circumferuntur inventæ; sed quia illæ, nec sufficere, sed ferè obscurum per obscurius quærere, & tyronis mentem gravare, potiùs quàm juvare videntur, ideò his prætermissis, & ad arbitrium relictis,

CONCLUSIO.

Dico, *pro genuino discernendo divinæ Scripturæ sensu, istas assignari posse regulas.*

1. Est *collatio Scripturæ cum fide, & bonis moribus*, seu consideratio consonantiæ vel dissonantiæ Scripturæ cum fide, & bonis moribus; estque *S. Aug. lib. 3. de doct. Christ. cap.* 10. docentis quòd tunc sacræ Scripturæ verba sunt propriè, &, ut sonant, ad litteram intelligenda, & non ad metaphoram, aliosque tropos, vel sensus improprios inflectenda, quando ex iis sic propriè & litteraliter acceptis, nihil fidei veritati, aut morum honestati repugnans sequitur: & econtrà metaphoricè, seu figuratè intelligenda esse, si ex iis litteraliter acceptis aliquid fidei veritati, vel morum honestati repugnans sequatur, sive ut ipsis sancti Augustini verbis utar; *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.* Ex qua regula facilè colligere quisque potest, exempli gratia, Scripturam divinam, non propriè & ad litteram, sed figuratè intelligendam esse, dum de Christo dicit quòd sit *leo, agnus, vitis, petra, ostium*, & quid simile aliud.

1. Collatio Scripturæ cum fide, & bonis moribus. *Ex S. August. lib. 3. de Doct. Christ. c.* 10.

Quia Christum, qui est Deus homo, *leonem* esse, *agnum, vitem, petram, ostium*, vel quid simile aliud, ad fidei veritatem referri nequit, sed fidei repugnat, unde & hoc figuratè, & per similitudinem explicandum esse, docet expresfè idem S. Aug. dum Tract. 80. in Joan. de Christo ait: *Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera hujusmodi.* Sic quando Matth. cap. 18. vers. 8. dicitur, *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te*; & ibid. vers. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, hæc ad litteram, & ut verba sonant, non sunt intelligenda, quia ad morum honestatem referri nequeunt, cùm nefas sit, & facinus seipsum mutilare, sibique pedem, vel manum aut aliud quodcumque membrum abscindere, vel oculum eruere, ideòque ab Ecclesia fuerit olim damnatus Origenes, quòd hæc ad litteram interpretans seipsum castraverit; sed hæc figuratè, & per metaphoram dicta, tenendum est, ita ut, per *manum, pedem, oculum*, sit intelligendus, amicus, familiaris, cognatus, vel quisquis alius tibi instar manus, vel pedis inservit, vel opitulatur instar oculi; ita ut sensus sit, quòd ille quisquis sit, si te scandalizat, te ad hæresim, ad libidinem vel ad aliud quodcumque scelus impellens, vel trahens, hic à tua conversatione protinus abscindendus, & abjiciendus.

2. Est *collatio Scripturæ cum loco, tempore, & scopo personæ scribentis*, seu consideratio loci, temporis, & scopi personæ scribentis, estque S. Hieronymi dicentis, lib. 2. in Jeremiam cap. 8. *Personarum mutatio, & maximè in Prophetis, difficilem intellectum facit; quæ, si suis locis, & causis, temporibusque reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura*; quod idem est

2. Collatio Scripturæ cum loco, tempore, & scopo scribentis.

Ex S. Hier. lib. 2. in Ierem. c. 8.

ac si dicat, si considerentur attentè locus, tempus, & finis, seu intentio Scriptoris sacri, facile fiet, & clarum quod videbatur obscurum: Sic v. g. si non capias, cur Jeremias prædicens mala è Babylone super omnes habitatores terræ ventura, dicat cap. 1. vers. 14. ea ab Aquilone ventura, *Ab Aquilone pandetur omne malum*, cùm Babylon non sit versus Aquilonem, sed potiùs versus Orientem, vel Austrum, id, inquam, obscurum esse desinet & manifestè patebit, si consideres Prophetam id scribentem, non hìc, Parisiis & in Gallia tecum esse, sed in Judæa prophetare, & respectu Judææ Aquilonarem esse Babylonem, non Orientalem vel Australem: sic Daniel cap. 11. vers. 8. ut prædicat Reges Ægypti conflicturos cum Syriæ Regibus, dicit Reges Austri conflicturos cum Regibus Aquilonis; quia nimirum Ægyptus ad Austrum, & Syria ad Aquilonem est, respectu Jerosolymæ: solent enim Scriptores sacri, inquit Hieronymus, climata, mundique plagas, & regiones, juxta *Jerosolymæ* situm designare.

3. Collatio Scripturæ cum Scriptura.

Ex S. Aug. lib. 2. de doct. Chr. c. 6.

3. Est *collatio Scripturæ cum Scriptura*, seu codicis cum codice, textus cum textu, antecedentium & consequentium Scripturæ locorum, cum loco dubio, cujus genuinus, & à Spiritu sancto intentus quæritur sensus; si enim antecedentes & consequentes cum illo conveniant textus, litteralis & genuinus habetur sensus, contingitque, ut id quod obscurè reperitur in uno, clariùs & expressiùs reperiatur in alio, juxta illud S. August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 6. dicentis: *Nihil ferè de obscuritatibus Scripturæ eruitur, quod non alibi plenissimè dictum reperiatur*. Sic v. g. duratio regni Antichristi, apud Danielem cap. 7. vers. 25. his verbis, *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, satis obscurè expressa, clariùs & apertiùs declaratur apud Joannis Apocalypsim cap. 11. vers. 2. hoc alio textu, quo prædicitur, quòd tunc Civitas sancta calcabitur *mensibus quadraginta duobus*; & apertiùs adhuc ibidem vers. 3. dum dicitur, quòd tunc, scilicet, quando, & quamdiu regnabit ille homo peccati, duo testes, *Henoch* videlicet & *Elias*, prophetabunt *diebus mille ducentis sexaginta*. Ex quo utroque textu clarè colligitur Antichristum regnaturum esse per tres annos cum dimidio; quod obscurè fuerat expressum in hoc alio laudato Danielis textu, *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Hanc regulam ante S. August. insinuavit *S. Basilius* magnus lib. 1. de Bapt. dicens: *Est enim Domino consuetum, quæ alicubi strictim præcepta sunt, per alia alibi dicta clarè tradere, ut illud: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, quod simpliciter dictum, alibi declarat dicens: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, & multa hujusmodi alia*: Ibi ut patet, quod obscurè dixit Matth. cap. 6. vers. 12. clarè manifestat Luc. cap. 12. vers. 33.

4. Collatio Scripturæ cum SS. Patrum sententia.

Ex Trid. dec. de edit. & usu SS. lib.

4. Est *collatio Scripturæ cum sanctorum Patrum sententia*. Cùm enim ex Trid. Conc. Scripturam interpretari non liceat contra unanimem Patrum consensum, non parùm, imò multùm juvat, ad genuinum attingendum Scripturæ sensum, sanctorum Patrum unanimis, vel multorum, aut paucorum sanctitate & eruditione fulgentium sententia; ad illam enim respicere, & illa, suis in definitionibus, uti solet mater Ecclesia, ut constat ex illo, in Conciliis toties conclamato, *Hæc est fides Patrum*. Unde & in Viennensi œcumenico Concilio, à Clemente V. Rom. Pontifice & Concilii Præside expressè dictum, *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus, &c.*

5. Est

5. Est *collatio Scripturæ cum Ecclesiæ judicio*, & hæc est omnium tutissima, cùm infallibilis sit Ecclesia, necnon *firmamentum & columna veritatis*; & ex Tridentini Concilii decreto sess. 4. nemini suæ innixo prudentiæ licitum sit Scripturam interpretari, & ad suos sensus contorquere, *contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum*. Sic v. g. si tibi ambiguus & obscurus appareat iste Scripturæ textus Gen. cap. 19. vers. 24. dicens, *Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem*, consule Ecclesiæ judicium, de hoc in Sirmiensi Concilio prolatum, & disces, genuinum hujus loci sensum esse, non quòd Dominus Pater à seipso pluat, sed quòd Dominus Filius à Domino Patre, id est à virtute Patris pluat, quia Pater non operatur nisi per Filium, qui est sapientia & verbum æternum. Unde ex hoc loco probant Sirmiensis Concilii Patres contra Photinum, Filii divinitatem, & personarum pluralitatem in Deo. Sic si dubites an ad litteram vel metaphoricè sint intelligenda hæc verba Christi apud Joannem cap. 3. vers. 3. dicentis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Ecclesiæ judicium consule, & hæc ad litteram, & non metaphoricè, de vero Christi baptismate esse intelligenda docebit, expresso Tridentini Concilii decreto sess. 7. can. 2. his verbis concepto: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit*. Denique si Filii divinitatem negans tecum concertet Arianus, illo abutens Christi dicto, *Pater major me est*, illum facilè retundes, si ad Ecclesiæ judicium provoces, & dicas, hoc de Christo ut homine intelligendum esse, *Sardicense* dudum judicasse Concilium.

5. Collatio Scripturæ cum Ecclesiæ judicio. *Ex Trid. Conc. ibid. dec. de edit. & usu SS. lib.*

Quæres fortè, an sufficiant hæ pro sacris Scripturis intelligendis regulæ?

Resp. Utiles fateor esse, & eruditorum omnium usu comprobatas hujusmodi regulas omnes, pro genuino discernendo divinæ Scripturæ sensu; sed has omnes tibi inutiles fore credas, mi Candidate, nisi his accedant longè utiliores dispositiones istæ, videlicet *fides, humilitas, conscientiæ puritas, oratio, & assidua lectio*.

Fides quidem, *quia nisi credideritis, non intelligetis*, inquit ipsamet de seipsa Scriptura divina, Isajæ cap. 7. vers. 9. juxta 70. Interpretes.

Præviæ dispositiones ad intelligendum divinæ Scripturæ sensum.

Humilitas, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Jac. cap. 4. vers. 5. *Et ubi humilitas, ibi sapientia*, Prov. cap. 11. vers. 2. dicitque Christus Matth. cap. 11. vers. 25. *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.*

Conscientiæ puritas, quia, ut habetur Sap. cap. 5. vers. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Unde præclarè Boethius: *Splendor ille quo regitur, vigetque cælum, vitat obscuras ruinas, & mentem sequitur nitentem.*

Oratio, quia non tam à libris, quàm à Deo Patre luminum, & scientiarum Deo, petenda scientia, exemplo Davidis ad Deum scientiarum clamantis, & dicentis, Psalm. 118. vers. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; & ibidem iterùm vers. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Unde S. August. lib. 2. de doct. Christ. c. 37. docet: *Non solùm admonendi sunt studiosi litterarum venerabilium, ut in Scripturis*

san-

sanctis genera locutionum sciant..... Verùm quod est præcipuum & maximè necessarium, orent, ut intelligant.

Assidua denique divinæ Scripturæ *lectio*, quia illam commendat Christus dicens, *Scrutamini Scripturas*. Commendat & eam Spiritus ipse sanctus dicens, Josue cap. 1. vers. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*. Commendat & Paulus illam suo scribens Timotheo Epist. 1. cap. 4. vers. 13. dicens, *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. Commendat & illam ad Eustochium scribens S. Hieronymus, dicens: *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat*. Illam denique S. Prosper, in suo Epigrammatum libro, sic metricè laudat & inculcat, dum ait:

S. Hier. ad Eustoch.

S. Prosp. in lib. Epig.

Quamvis in sacris Libris, quos noße laboras,
Plurima sint, Lector, clausa & opaca tibi,
Invigilare tamen studio ne desine sancto;
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit;
Ultrò objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem:
Qui dedit ut quæras, addet ut invenias.

ARTICULUS IX.

Varii explicantur hebraismi, seu variæ in Scripturis usitatæ Hebræorum loquendi formulæ.

Hebraismi in Scriptura sacra varii.

Cum varios habeat Lingua sancta, hoc est, Hebræa, & Scripturæ sacræ, ac generis humani lingua primæva, sibi proprios ac peculiares loquendi modos, subtiles quidem, breves & energicos; sed Theologiæ tyronibus & candidatis, ne dicam & multis aliis, persæpè difficiles, obscuros, & invios; sitque aliunde Scriptura divina, à Spiritu sancto per Scriptores Hebræos, & Hebræis hebraicè primitùs data; indeque fiat, ut interpretes sacri, tam Græci quàm Latini, phrasi & stylo inhærentes hebraico, sæpè sæpiùs hebraizent, hoc est, Scripturam ex Hebræo græcè vel latinè vertendo, modum loquendi sæpè sequantur hebraicum, à Græcæ Latinæque Grammaticæ legibus quandoque devium: ideò ne quid in divinis Scripturis imprudenter carpat, aut ignoranter contemnat, vel negligat quis tyro, vel Candidatus; sed omnia ad minimos usque apices, & leviores quascumque locutionis sanctæ formulas, religiosè legat, veneretur, & capiat,

CONCLUSIO.

Quales sũt hic breviter subnotati.

Dico, *varios inter hebraismos, sive peculiares Hebræorum loquendi modos, in Scriptura sacra notandos esse præsertim istos.*

1. Hebræi casũ interdũ pro casu ponunt.

1. Quòd *casum* interdum pro *casu* ponant Hebræi; cùm enim litteris quibusdam servilibus, quasi articulis à fronte præfixis, ad casus designandos utantur Hebræi, & harum litterarum servilium non sit omnino determinatus sensus, ideò Interpretes tam Græci quàm Latini casum interdum

pro

pro casu ponunt, dum Scripturam ex Hebræa Græcam, vel Latinam reddunt; idque patet v. g. Psal. 3. vers. 2. dum dicitur, *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus*: ibi enim dicitur, *animæ meæ*, pro *de anima mea*, ut advertit *Genebrardus* in suis in Psalterium commentariis; imò & Psalm. 4. vers. 1. dum dicitur, *In tribulatione dilatasti mihi*, ibi pariter, ut advertit idem, dicitur, *dilatasti mihi*, pro *dilatasti me*, seu de angustiis & tribulatione in latitudinem gaudii perduxisti me: & tandem aliis omissis, id constat ex 2. ad Cor. cap. 8. vers. 23. dum dicitur, *sive pro Tito, sive fratres nostri*, cùm dicendum esset, more nostro, *sive pro Tito, sive pro fratribus nostris*, Apostolis scilicet fratribus nostris, inquit Cornelius à Lapide in Paulum.

2. Quòd pro neutro genere, quo carent Hebræi, usurpent tam masculinum quàm fœmininum, masculinum quidem licèt rariùs, ut Gen. cap. 2. vers. 18. dum dicitur, *Non est bonum hominem esse solum*; ibi enim in Hebræo textu, *Tob*, quod est masculini generis, ponitur prò *bonum*, quod est neutrius generis: fœmininum verò & sæpiùs usurpant, ut v. g. Psal. 26. vers. 7. dum dicitur, *Unam petii à Domino, hanc requiram*; ubi ly *unam petii*, sumitur pro *unum petii*, ac proinde fœmininum genus pro neutro; sicut & Psalm. 108. vers. 27. dum dicitur, *Et tu Domine fecisti eam*; ibi enim usurpant *eam* pro *hoc*: imò frequens est in Hebræorum lingua, ac crebra generum mutatio, facta relatione ad æquipollens substantivum, inquit Genebrardus; & patet Psalm. 39. vers. 6. ubi dicitur, *Multiplicati sunt super numerum*; ibi enim de cogitationibus Dei loquens ait, *multiplicati sunt*, pro *multiplicáta sunt*, quia subaudit, seu relationem facit ad cogitatus; sic & Psal. 131. vers. 5. dum dicitur, *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ*; ibi enim agens de loco habitationis, seu mansionis, vel domus Domini, ait, *Ecce audivimus eam in Ephrata*, ubi dicit *eam*, non *eum*, quia subaudit sedem vel domum Domini, quasi dicens, Ecce audivimus per Prophetas vel majores nostros, domum Dei, seu locum destinatum ædi Deo ædificandæ, esse in Ephrata, seu in regione Ephratæa.

2. Pro neutro genere, quo carent Hebræi, masculinū interdum, sed sæpiùs fœmininum usurpant.

3. Hebraicæ linguæ mos est, ut abstractum sæpè ponat pro concreto, ut fit Exodi cap. 8. vers. 26. dum dicitur, *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*; ibi enim *abominationes* ponit pro rebus abominandis, vel abominatis Ægyptiorum; abominationes verò, vel abominanda Ægyptiorum vocat, inquit Cornelius à Lapide, pecudes illas, puta oves, quas Deo immolare solebant Hebræi, & quarum cædem, & immolationem, ut sacrilegium & nefas abominabantur Ægyptii, utpote, qui eas colebant ut Numina, vel ut quid Numinis habentia: sic & Psal. 20. vers. 2. dum dicitur, *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*; ibi enim *desiderium* sumitur pro re desiderata, sic & ly *voluntate* pro re volita, quasi dicatur, quòd quidquid Christus corde desideravit, vel ore rogavit, Deus Pater cumulatè complevit.

3. Abstractū persæpè pro concreto ponunt.

4. Quia comparativo gradu carent, pro illo, positivo gradu utuntur interdum Hebræi, dicunt v. g. *bonum* pro *melius*, ut Psal. 117. vers. 8. dum sic ajunt: *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine*: dixi interdum positivo utuntur; nam ut plurimùm, comparativum exprimunt Hebræi, circumloquendo & addendo positivo præpositiones istas *præ* vel *super*; addendo *præ*, ut fit Cant. 1. vers. 2. dum dicitur, *Bona ubera tua præ vino*, pro *meliora vino*; sic Psal. 45. vers. 3. dum dicitur, *Speciosus forma præ filiis* ho-

4. Pro côparativo, quo carent, utūtur interdū positivo, sed sæpiùs circumlocutione, addentes positivo *præ* vel *super*.

hominum, pro *speciosior filiis hominum*: addendo verò particulam *super*, ut Psal. 51. vers. 3. dum dicitur, *Dilexisti malitiam super benignitatem*, pro *Dilexisti malitiam plus quàm benignitatem*, seu malum plus quàm bonum; & iterùm Psal. 54. vers. 24. ubi dicitur, *Molliti sunt sermones ejus super oleum*, id est, *plus quàm oleum*, quod blandum est & molle. Imò & sine particulis illis comparativum exprimunt aliquando, duo simul comparando, & unum affirmando, alterum negando; affirmando nimirum quod præferre volunt, & negando alterum, quod postponunt, ut Osee cap. 6. vers. 6. dum dicitur, *Misericordiam volui, non sacrificium*, id est misericordiam potiùs quàm sacrificium; ut & Psal. 21. vers. 7. dum dicitur, *Ego autem vermis, & non homo*, hoc est, Ego ita abjectus & contemptus, ut sim vermi similis potiùs quàm homini; ut pariter 1. ad Cor. cap. 3. vers. 7. dum dicitur à Paulo, *Non ego, sed gratia Dei*, id est, non tam ego quàm gratia, sive magis Dei gratia quàm ego, licèt ego cum gratia Dei.

5. Superlativum, quo pariter carent, exprimunt addentes positivo adverbium *valdè*, vel genitivum pluralem.

5. Cùm superlativo, sicut & comparativo careat Hebraica lingua, ideò superlativum exprimunt Hebræi per adverbium *meod*, hoc est *valdè*, positivo superadditum, ut Gen. cap. 1. vers. 31. dum dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, id est, *optima*; vel per adjectivum cum genitivo alterius nominis substantivi, ut Psal. 44. vers. 13. dum dicitur, *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, ubi per ly *divites plebis*, significantur *populorum ditissimi*; vel addendo nominativo genitivum pluralem ejusdem nominis, ut Cant. Cant. cap. 1. vers. 1. dum dicitur, *Canticum Canticorum*, pro *Cantico excellentissimo*, Eccl. c. 1. vers. 1. dum dicitur, *Vanitas vanitatum*, pro *vanitate omnium maxima*, sive pro re vanissima.

6. Pro præsẽti tẽpore, quo carent, utũtur præterito, vel participio.

6. Quia hebraica verba præsenti tempore carent, sicut & imperfecto, ideò pro his præteritum tempus usurpant Hebræi, vel participium seu *benoni*, hoc est, intermedium inter præteriti & futuri significationem; præteritum quidem usurpant pro præsenti, ut Gen. cap. 1. vers. 29. dum dicitur, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, ut sint vobis in escam*: ibi enim dicitur, *ego dedi vobis*, pro *do vobis*; præteritum pro præsenti; sicut & Psal. 115. vers. 1. dum dicitur, *Credidi, propter quod locutus sum*, pro *credo cùm loquor*.

7. Ut optativum, quo carent, exprimãt, addunt indicativo *utinam*.

7. Quia insuper hebraica verba tres dumtaxat modos habent, videlicet indicativum, imperativum & infinitivum, & optativo carent ac subjunctivo, ideò Græcorum ac Latinorum optativum & subjunctivum exprimunt, addendo particulas indicativi temporibus aliquas, sic v.g. addendo particulam istam *lu*, id est *utinam*, exprimunt optativum, ut Psal. 118. vers. 4. dum dicitur, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas*: optat enim ibi Propheta, suam vitam ita instituі ac dirigi, ut numquam deviet à lege Dei: imò hebraicus optandi modus fit etiam per interrogationem, ut Psal. 13. vers. 12. dum idem regius Psaltes ait, *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* hoc est, utinam prodeat ex Sion salus Israeli promissa, seu salvator Israelis Christus; sicut & Psal. 54. vers. 7. dum ait, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* ubi idem ait, ac si dicat, utinam pennas haberem instar columbæ, & volarem in tutum, & procul ab hostibus meis.

8. Subjũctivum verò, quo pariter carent, exprimunt addentes indi-

8. Subjunctivum verò exprimunt Hebræi addendo *im* vel *chi*, hoc est, *si* vel *cùm* indicativi temporibus, vel particulas seu voces alias simile quid significantes, vel etiam, & non minùs frequenter subjunctivum enuntiant circumloquendo per gerundia, ut fit v. g. Psal. 105. vers. 1. dum dicitur, *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, id est,

cùm

cùm converteret Dominus captivitatem nostram, seu cùm nos è captivitate revocaret, & in patriam reduceret, valdè consolati sumus, & repletum est gaudio os nostrum, verba scilicet læta proferendo, & lætitiæ cantibus exultando; ut & Psal. 9. vers. 3. dum dicitur, *In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua*, id est, quando, vel cùm retrò verteris caput & principem inimicorum meorum, reliqui debilitabuntur, imò peribunt ante te.

cativo particulam *si*, vel *cùm*, vel circumloquendo per gerundia.

9. Peculiare Hebræis est, ut unum tempus, quodcumque illud sit, usurpent pro omnium temporum differentia, quando significatur rei perduratio & permanentia, ut fit Psal. 1. vers. 1. dum dicitur, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*: sensus enim est, quòd ille beatus est, qui non abit, nec abiit, nec abibit in consilio impiorum, & qui non stat, nec stetit, nec stabit in via peccatorum, ut notat Cornelius à Lapide. Sic & explicatur difficilis ille Isajæ locus cap. 24. vers. 22. in quo de damnandis loquens ait, *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur*: ibi enim ly *visitabuntur* non significat liberationem, & consolationem post multos annos futuram, ut censuit *Origenes*, sed continuationem punitionis, & perdurationem in suppliciis; sensus enim est idem, ac si quantamcumque durationem animo concipias, post diem judicii futuram, vel elapsam, adhuc manebit illorum visitatio seu punitio, id est, adhuc *visitabuntur*, & in æternum, pœnis & suppliciis, quia ly *visitabuntur* significat actum continuatum & perpetuatum; peculiare enim est Hebræis, ut per futurum significent rei naturam, morem & perdurationem.

9. Uno & eodem tempore interdū utuntur, pro quolibet temporis differentia.

10. Loquuntur etiam interdum Hebræi per eclipsim verbi substantivi, ut Psal. 4. vers. 3. dum dicitur, *Filii hominum usquequò gravi corde?* ibi enim supprimitur, & subauditur verbum *eritis* vel *estis*, cùm sensus sit, *Usquequò* estis, vel eritis *gravi corde?* ut & Psal. 67. vers. 14. dum dicitur, *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Ibi sanè locus explicatu difficilis, & intricatus; sed facilis, si advertas ibi esse dumtaxat hebraicam verbi substantivi repetitam eclipsim, necnon particulæ *sicut*, quæ est nota similitudinis: sensus enim hujus loci, juxta *Genebrardum*, est, Si dormiatis inter medias sortes, eritis sicut pennæ columbæ deargentatæ, cujus posteriora dorsi, id est cauda, in pallore auri sunt, quasi dicatur, Si versemini in mediis & præsentissimis periculis, ita ut de vita, bonisque vestris jam sortes mittant, ut de captivis solent victores, gloriosè tamen eruemini læti, hilares, tuti, ac vegeti, eritisque sicut columba, cujus pennæ sunt veluti deargentatæ, seu pellucentes ut argentum, & posterior pars dorsi ejus, scilicet cauda, splendens & rutilans ut fulvum ac pallens aurum. Similis pariter hebraismus reperitur ibid. Psalm. 67. vers. 33. dum dicitur, *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum*. Iste locus difficilis pariter, sed facilis, si ibi eclipsim esse verbi substantivi consideres; sensus est, *Increpa feras arundinis*, hoc est, Arce, perde agrestem ac barbarum illum populum, seu Judæos & Paganos, qui veluti feræ quæ versantur inter cannas & arundines, sæviunt & ferociunt in Ecclesiam; hujusmodi enim populorum cœtus, est congregatio taurorum in vaccis, seu est veluti grex taurorum inter vaccas petulantium, ferocientium ac lascivientium.

10. Per eclipsim verbi substantivi persæpè loquuntur Hebræi.

11. So-

11. Preteritum persæpè usurpant pro futuro, præsertim Prophetæ.

11. Solent Hebræi persæpè, & præsertim Prophetæ, pro futuro, præteritum tempus usurpare, seu futurum ut jam præteritum enuntiare, idque ob certitudinem Prophetiæ, seu quia certi sunt Prophetæ de re quam prædicunt, ac si jam evenisset, ut v. g. Deuter. cap. 32. vers. 15. dum dicitur, *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*. Hæc enim omnia antequam evenissent, ita certò futura providebat Moyses, ut ea prædixerit quasi præterita, ponens præteritum pro futuro, & dicens, Incrassatus est pro Incrassabitur, Impinguatus pro Impinguabitur, & Recalcitravit pro Recalcitrabit, sicut & Dereliquit, pro Derelinquet Deum factorem suum. Sic pariter Psal. 21. vers. 13. & seqq. dum dicitur, *Circumdederunt me vituli multi..... Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea..... Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*; ibi enim licèt nondum peracta & præterita, sed adhuc tunc futura, ut præterita tamen describitur Christi passio; & licèt in hebræo ponatur futurum, Septuaginta tamen Interpretes vertendo, ob rei certitudinem, propheticè posuere præteritum, ut advertit Genebrardus.

12. Tertiam personam persæpè impersonaliter usurpant.

12. Apud Hebræos, tertia persona utriusque numeri verborum personalium impersonaliter interdum sumitur, ut Psal. 30. vers. 5. dum dicitur, *Educes me de laqueo venantium, quem absconderunt mihi*; ibi enim dum dicitur, *quem absconderunt mihi*, ly *absconderunt* sumitur impersonaliter, & pro quem absconderunt mihi homines hostes & insidiatores mei. Sic & Psal. 86. vers. 5. dum dicitur, *Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea*, pro Numquid *Sioni* dicetur, vel dicet quisque, multos in ea natos, & nasci quotidie per baptismum filios?

13. Imperativo persæpè utuntur, dū hypotheticè seu cōditionatè loquuntur.

13. Hypothetica Hebræorum & linguæ sanctæ locutio, fit sæpè per imperativum, ut Psal. 4. vers. 5. dum dicitur, *Irascimini, & nolite peccare*, pro Si irascimini, nolite peccare, hoc est, nolite iram complere, vel in ira perseverare, & sol non occidat super iracundiam vestram. Sic & Psal. 50. vers. 16. dum dicitur, *Domine labia mea aperies*, id est, *aperi*, seu Si Domine labia mea aperies, *os meum annuntiabit laudem tuam*.

14. Per ablativum cum præpositione *in* adverbia qualitatis interdū exprimunt.

14. Adverbia qualitatis, per ablativum, cum præpositione *in* exprimere solent Hebræi, ut fit Psal. 95. vers. 8. dum dicitur, *Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia*, pro Judicabit *æquè* orbem terræ, & populos *justè*; sic & Psal. 30. vers. 22. dum dicitur, *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia & in abusione*, pro Quæ loquuntur præ superbia & contemptu, seu contemptim & superbè, sicut & Psal. 135. vers. 5, dum dicitur, *Qui fecit cœlos in intellectu*, pro Qui fecit cœlos intelligenter & sapienter, non quòd cœlis intellectum dederit, sunt enim materiales & inanimati, sed quòd eos miro penitùs artificio, magna cum industria, & summa cum sapientia & intelligentia fecerit Deus.

15. Ablativus apud Hebræos persæpè vim similitudinis habet.

15. Juxta usum linguæ sanctæ, sive hebraicæ, ablativus etiam vim similitudinis interdum habet, ut videre est in Psal. 67. vers. 16. dum dicitur, *Nive dealbabuntur in Selmon*, pro *Candidi erunt & albi sicut nix*, quæ jugiter invenitur in monte Selmon; & iterùm ibid. vers. 33. dum dicitur, *Qui probati sunt argento*, pro *Qui probati sunt tanquam argentum*, quod igne probari solet & purgari.

16. Apud ipsos particula *non* adjectivo *om-*

16. Particula negativa *non* præposita adjectivo *omnis*, apud Hebræos, ut plurimùm, licèt non semper, vim habet negativæ universalis, seu negat totum quod sequitur, ut v. g. Psal. 48. vers. 18. dum dicitur, *Ne timueris*

cùm

nis præpositæ vim negativæ universalis habet.

cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam cùm interierit non sumet omnia; ibi enim ly *Non sumet omnia*, idem sonat ac si dicatur *nulla sumet*, seu nihil secum auferet cùm interierit; quia illa particula negativa *non*, juncta cum ly *omnia*, universaliter negat omnia; sic & Psal. 147. vers. 9. dum dicitur, *Non fecit taliter omni nationi*, hæc propositio idem sonat & enuntiat, ac si dicatur, Nulli nationi taliter fecit, ut eam tot tantisque bonis spiritualibus & temporalibus afficeret. Dixi, ut plurimùm, & non semper, quia interdum etiam apud Hebræos ly *non omnis*, non est idem ac *nullus*, seu non est universalis negativa, ut patet ex illo Christi apud Matth. cap. 7. vers. 21. dicentis, *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum Dei*; ibi enim, ut patet, *non omnis*, non universè negat, seu non significat nullum, sed aliquem dumtaxat, vel aliquos, non introituros in regnum Dei.

17. Conditionalis cõjũctio *si* sumitur interdum ab ipsis pro *non*, estque nota jurantis, vel irascentis.

17. Particula, sive conjunctio conditionalis *si* sumitur sæpè pro *non*, vel *nequaquam*, estque interdum nota jurantis, & animi commotionis, sive iræ, ut Judic. cap. 5. vers. 8. dum dicitur, *Clypeus & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel*, pro *Clypeus & hasta non apparuerunt in quadraginta millibus Israel*, quia Chananæi, æquè ac Philisthæi astutè eripuerant Hebræis arma, imò curaverant, ut non esset faber ferrarius in Israel, qui clypeos, hastas, & enses, vel aliud quodcumque armorum genus fabricare posset; ibi ergo *si* sumitur pro *non*, sicut & lib. 3. Reg. cap. 17. vers. 1. dum dicit Elias ad Achab, *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba*. Ibi enim *si* sumitur pariter pro *non*, his siquidem verbis idem dicit *Elias* ac si diceret, Juro per Deum vivum, quòd non pluet, nisi ego pro pluvia Deum rogavero, non rogabo autem nisi subverso cultu Baal, ejusque sacerdotibus occisis, ut patet 3. Reg. cap. 18. vers. 41. Sic & Psal. 94. vers. 12. dum dicitur, *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*; ibi pariter *si* idem sonat ac *non*: idem enim ibi dicit Deus, ac si diceret, Tam graviter me in iram provocavit iste populus, ut juraverim, eos in requiem meam, hoc est, in terram promissam, in qua sedes quietas promiseram illis, nequaquam introituros: ex quibus patet quòd particula illa *si* sumitur sæpè pro *non*, & pro jurantis nota; imò & interdum pro nota interrogantis, ut Psal. 52. vers. 3. dum dicitur, *Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum*; ibi enim dum dicitur, *Ut videat si est intelligens*, idem est ac si dicatur, Ut videat, an sit qui intelligat, requirat Deum, & sapiat?

18. Conjunctio copulativa & apud ipsos est sępè exegetica, & exponentis nota.

18. Particula, seu conjunctio copulativa & apud Hebræos, sæpè est exegetica, & exponentis nota, significans idem ac *id est*, ut dum Numer. cap. 3. vers. 3. dicitur, *Quorum repletæ & consecratæ manus*: ibi enim conjunctio illa & significat *id est*, ita ut sensus sit, Quorum repletæ, id est, consecratæ manus; replere enim manus oleo, erat eas consecrare ad sacerdotium. Sic dum ad Coloss. cap. 2. vers. 8. dicitur, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam*: ibi enim ly & significat idem ac *id est*, vel *scilicet*, ita ut Apostoli sensus sit, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam*, id est, *inanem fallaciam*; non enim intendit Paulus veram philosophiam, sed fallacem tantùm & sophisticam damnare.

19. Utuntur interdũ Hebræi præpositione *in*

19. Solent etiam interdum Hebræi præpositionem *in* ponere pro *de*, sicut & Græci, dum dicunt, *εἰς τὸν Πλάτωνα*, *in Platonem*, pro *de Platone*, ut fit Psal. 70. vers. 8. dum dicitur, *In te cantatio mea*, pro *de te*, vel De

tua

pro præpositione *de*. tua magnitudine cantatio mea, seu laus & hymnus meus: imò præpositio *in* apud Hebræos ita frequens est, ut illam ferè semper habeant in ore, & sit apud illos ita generalis, ut illam, non tantùm pro *de*, sed etiam pro *per*, jam pro *cum*, vel pro *apud*, vel pro *propter*, jam pro præpositionibus aliis illam usurpent; unde est quod dicant, *Factum est verbum in manu Isaiæ, Aggæi, Zachariæ Prophetæ*, pro *per Isajam, Aggæum, Zachariam Prophetam*.

20. Imò duas simul præpositiones persæpè jungunt. 20. Duas etiam præpositiones persæpè conjungunt Hebræi, ut videre est in Psal. 77. vers. 70. dum dicitur; *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum*, hoc est, Eum, dum ovium pastor esset, & post fœtas oves iret, accepit; quasi dicat, Eum nedum oviculas regentem, sed & prægnantes & fœtas oves, instar boni pastoris, curantem accepit.

21. Sensum pro sensu, ut visum pro auditu, persæpè ponunt. 21. Solent insuper Hebræi, nedum præpositionem unam pro altera ponere, sed etiam interdum unum sensum pro alio, & maximè visum pro quolibet alio, tum quia omnium præstantissimum & certissimum, tum quia in sensu communi, qui est supra visum & oculos, omnium sensuum sensationes conveniunt. Sic *visus* pro *tactu* sumitur, Joan. cap. 20. vers. 24. dum dicitur, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*; ibi enim *vidisti* sumitur pro *tetigisti*: & Exodi cap. 2. vers. 18. sumitur pariter visus pro auditu, dum dicitur, *Cunctus autem populus videbat voces*, pro *audiebat voces*, seu auditu, non visu, percipiebat voces: sumitur insuper pro gustu, Psal. 33. vers. 9. dum dicitur, *Gustate & videte*, id est, *Sapite, quoniam suavis est Dominus*.

22. Ad emphasim exprimendã, verborum, vel nominum, vel propositionum geminationem adhibent. 22. Ad rei denique *emphasim* exprimendam, seu ad rei excellentiam, multitudinem vel universalitatem exagerandam, solent Hebræi verborum, vel nominum, vel propositionum earumdem, vel æquivalentium geminatione uti.

Verborum quidem, ut fit 1. Reg. cap. 26. vers. 25. dum dicitur, *Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu, fili mi David, & quidem faciens facies, & potens poteris*; id est, expeditè & certo successu facies, & potentissimus eris, & quidquid difficultatis occurret, superabis; & Psal. 117. vers. 18. dum dicitur, *Castigans castigavit me Dominus*, pro Vehementer castigavit me; ut & Thren. cap. 1. vers. 2. dum dicitur, *Plorans ploravit in nocte*, pro Vehementer & amarè flevit; ut denique Habacuc cap. 2. vers. 3. dum dicitur, *Veniens veniet, & non tardabit*, pro Certissimè veniet.

Nominum verò geminatione, seu repetitione utuntur, ad rei exprimendam excellentiam, dum recto ejusdem nominis, addunt genitivum pluralem, ut fit Cant. cap. 1. dum dicitur, *Canticum Canticorum*, pro Cantico excellentissimo; & Ecclesiastæ cap. 1. vers. 1. *Vanitas vanitatum*, pro Vanitate omnium maxima, vel pro re vanissima; ad exprimendam verò rei multitudinem vel universalitatem, dum per eumdem casum, idem substantivum repetunt, ut fit Psalm. 86. vers. 5. dum dicitur, *Homo & homo natus est in ea*, pro Multi homines nati sunt in ea; ut Psal. 144. vers. 4. dum dicitur, *Generatio & generatio laudabit opera tua*, pro Multæ, vel omnes generationes laudabunt opera tua; ut & Psal. 121. vers. 4. dum dicitur, *Illuc ascenderunt tribus tribus Domini*, pro Illuc ascenderunt omnes tribus.

Propositionum denique geminatione, seu repetitione utuntur Hebræi, ad rei exprimendam emphasim, sive exagerationem, & in carmine præsertim,

tim, dum in posteriori hemistichio idem, vel quasi idem aliis verbis repetunt, ut fit v. g. Psal. 69. vers. 1. dum dicitur, *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina*; ibi enim in posteriore hemistichio, idem petit à Deo David contra Absalom, dicens, *Domine ad adjuvandum me festina*, cum eo, quod petiit in priori, dicens, *Deus in adjutorium meum intende*. Sic & Psal. 101. vers. 1. dum ait, *Domine exaudi orationem meam*, idem dicit cum eo, quod subdit, dicens, *Et clamor meus ad te veniat*. Sic & Moyses dum in suo Cantico, *Audite cæli quæ loquor, &c.* quod summarium sive totius Legis compendium vocant Hebræi; dum ait Deuter. cap. 32. vers. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea*, idem ferè dicit cum eo, quod subjungit, dicens, *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam*.

23. Hebraicus alter exagerandi modus est, quòd persæpè utuntur nominibus divinis, vel aliis cœlestia vel sublimia notantibus, ut fit Psal. 35. vers. 6. & 7. dum dicitur, *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes*; & iterùm, *Justitia tua sicut montes Dei*: ibi enim dum dicitur, *in cælo misericordia tua*, idem est ac si dicatur, Usque in cœlum est misericordia tua, hoc est, immensa est, & tam alta ac sublimis, quàm cœli, misericordia tua; *Et veritas tua usque ad nubes*, hoc est, Et veritas tua, seu tuorum dictorum certitudo, tam alta, ut ad nubes usque pertingat; *Et justitia tua sicut montes Dei*, hoc est, Et tua administrandi ratio, qua omnia gubernas & dispensas, justa, incomprehensibilis, & sublimis est, ut montes Dei, id est, ut montes pergrandes, sublimes, & præ altitudine quasi divini.

23. Vel nominibus utuntur divinis, vel cœlestia, aut sublimia notantibus aliis.

ARTICULUS X.

Aperiuntur figuratæ divini textus locutiones aliæ.

PRæter hebraismos, seu peculiares Hebræorum loquendi formulas passim in Scriptura sancta dispersas, sunt & plures aliæ nobis cum Hebræis & Græcis communes figuratæ, seu figuris ac tropis ornatæ locutiones, in Scriptura non minùs frequentes & obscuræ, nec minùs consequenter hìc notandæ, saltem præcipuæ; quare

Figuratè, seu per figuras, loquitur passim Scriptura sacra, & præsertim

CONCLUSIO.

Dico, *præter hebraismos jam notatos, figuratas locutiones alias in Scriptura dispersas, præcipuas, hìc notandas, esse sequentes istas.*

1. Per *synecdochen* non raró solet Scriptura sancta loqui, & partem pro toto, vel totum pro parte, sive physica, sive logica, sumere. Sic v. g. partem physicam, aut potiùs integrantem hominis pro toto, hoc est, caput pro toto homine, sumit Regius Psaltes, dum Psal. 65. vers. 12. ait, *Posuisti homines super capita nostra*, id est, super nos. Sic & Paulus ad Romanos c. 12. v. 20. dum ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, hoc est, super ipsum. Sic partem saltem logicam, pro toto logico, hoc est genus pro specie, sumit Daniel, dum cap. 7. vers. 25. sumit tempus pro anno,

1. Per synecdochen, *ut Ps. 65. v. 12. ad Rom. c. 12. v. 20. & Daniel. c. 7. v. 25.*

cùm de duobus Prophetis contra Antichristum venturis loquens ait, *Et tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*; ibi enim ly *tempus* sumitur pro anno, ita ut ly *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, significent ibi tres annos cum-dimidio. Sic Joannis cap. 20. vers. 14. dum Magdalena inducitur plorans & dicens, *Quia tulerunt Dominum meum*, ibi totum sumitur pro parte, totus scilicet Dominus pro corpore Domini. Sic & Gen. cap. 46. vers. 18. sumitur pars pro toto, hoc est, sola hominis anima pro toto homine, dum dicitur: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.*

2. Per metonymiam, *ut 2. ad Cor. c. 5. v. 21. ad Hebr. c. 13. v. 10. & Habac. c. 3. v. 1.*

2. Per *metonymiam* persæpè sumunt effectum pro causa, vel causam pro effectu; subjectum pro adjuncto sive accidente, vel econtrà; continens pro contento, & vicissim; Templum pro Sacerdotibus, Samariam pro Samaritis, & similia. Sic dum Paulus 2. ad Cor. cap. 5. vers. 21. ait, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; ibi sumit peccatum pro hostia pro peccato. Sic dum ibidem ad Hebræos cap. 13. vers. 10. ait, *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*; ibi sumit continens pro contento, altare scilicet pro cibo & sacrificio in altari contento & oblato. Ex quo manifestè patet contra Hæreticos, Eucharistiam & Missam in altari nostro oblatam, verè sacrificium esse; ubi enim est altare, ibi Sacerdos & Sacrificium est, cùm hæc tria sint correlata. Sic denique dum Habacuc cap. 3. vers. 1. dicitur, *Domine audivi auditionem tuam, & timui*; ibi metonymicè loquitur, sumens effectum pro causa, videlicet actum pro objecto, auditionem pro re audita; objectum enim actus, est causa actus, juxta illud vulgare, *Ex objecto & potentia paritur notitia.*

3. Per antonomasiam, *ut Marc. c. 14. v. 21. & 2. ad Thess. 2. v. 3.*

3. Per *antonomasiam* loqui reperiuntur interdum Scriptores sacri, dum interdum loco nominis alicujus, aliud licèt commune pluribus usurpant; ut v. g. dum Marcus cap. 14. vers. 21. Christum vocat Filium hominis, dicens, *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur*; ut dum 2. ad Thess. cap. 2. vers. 3. Paulus Antichristum vocat hominem peccati, filiumque perditionis, dicens, *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, &c.* Sic dum *fluvium*, vel *flumen* dicunt, intelligendo *Euphratem*: sicut dicimus & nos *Apostolum*, intelligendo *Paulum*; *Sapientem*, intelligendo *Salomonem*; vel *Philosophum*, ut notemus *Aristotelem*.

4. Per antiphrasim, *ut Iob c. 1. v. 11. & 3. Reg. c. 21. v. 13. & Deut. c. 22. v. 9.*

4. Per *antiphrasim* loquuntur, seu *antiphrasi* pariter utuntur interdum, annuntiando unum pro ejus opposito designando: ut dum Job cap. 1. vers. 11. dicitur, *Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*; ubi ly *benedixerint* sumitur pro *maledixerint*. Sicut & ibidem cap. 2. vers. 5. *benedicat* sumitur pro *maledicat*, dum dicitur, *Tange os ejus & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi*. Imò & 3. Regum cap. 21. vers. 13. dum dicitur, *Benedixit Naboth Deum & Regem: quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt*: ubi ly *benedixit* sumitur pro *maledixit*. Sic per antiphrasim pariter sumitur interdum *sanctificari* pro *pollui*: ut dum Deut. cap. 22. vers. 9. dicitur, *Non seres vineam tuam altero semine, ne & sementis quam sevisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, id est, *polluantur*.

5. Per

5. Per *ironiam* interdum se explicant, seu *ironia*, quæ est figura in pronuntiatione vim habens omnem, quæque irrisio dici potest, utuntur similiter interdum: ut v. g. Gen. cap. 3. vers. 22. dum dicitur, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Ut pariter dum Ecclesiastes cap. 11. vers. 9. dicitur: *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, in intuitu oculorum tuorum; & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium*. Quæ ultima verba satis indicant antecedentia fuisse per *ironiam* dicta.

5. Per ironiam, ut Gen. c. 3. v. 22. & Eccles. c. 11. v. 9.

6. Per *hyperbolem*, sive superlationem aliquando loquuntur, rei exaggerandæ gratia; ut quando ad commendandam & exaggerandam fertilitatem, quæ per septem annos ditavit Ægyptum, dicitur Gen. cap. 41. vers. 49. *Tanta fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet*. Et dum ad commendandam argenti copiam, quo tempore Salomonis abundabat Jerusalem, dicitur 3. Regum cap. 10. vers. 27. *Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum*. Sic per hyperbolem dicitur de fame quam Pharaoni prædixerat Josephus, nimirum quòd premeret omnem terram, dum dicitur Gen. cap. 41. vers. 56. *Crescebat autem fames in omni terra*, quamvis non omnem terram, sed solam premeret Ægyptum. Sicut & dum ibidem asseritur *quòd omnes provinciæ veniebant in Ægyptum ut emerent escas*. Sic 3. Regum c. 18. vers. 10. Abdias servus Regis Acham ad quærendum Eliam missus, eo invento hyperbolicè dixit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quò non miserit Dominus meus te requirens*. Sic & Lucæ cap. 2. vers. 1. dicitur: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Et c. 23. vers. 44. dum dicitur quòd tempore passionis Domini *tenebræ factæ sunt in universam terram*. Sic denique Joannes cap. ultimo vers. ult. hyperbolicè loquens ait: *Sunt & alia multa quæ fecit Jesus; quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*.

6. Per hyperbolem, ut Gen. c. 41. v. 49. & 56. & 3. Reg. c. 18. v. 10.

7. Per *hypallagem* etiam loquitur interdum Scriptura sacra, cùm unum subjicit pro alio, seu phrasim submutat & invertit, unum ponens pro altero, ut v. g. dum Exodi cap. 12. vers. 11. dicit, *Calceamenta habebitis in pedibus*, ibi enim est inversio seu submutatio, quæ idem significet ac si dicatur, Pedes habebitis in calceamentis: nam calceamenta seu calcei non sunt in pedibus, sed pedes in calceis. Sic cùm Psal. 18. vers. 5. ait: *In Sole posuit tabernaculum suum*, pro *Solem posuit in tabernaculo suo*. Et dum Isajæ cap. 1. vers. 3. dicit: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, pro *Cognovit Dominum præsepii sui*, sive Dominum alentem se in præsepio.

7. Per hypallagem, ut Exod. c. 12. v. 11. Ps. 18. v. 5. & Is. c. 1. v. 3.

8. Per *metaphoram* loquitur, seu *metaphora* figurarum omnium frequentissima non rarò utitur etiam Scriptura, transferendo significationem unius in significationem alterius: ut v. g. dum passim Christus vocatur *leo*, *agnus*, *vitis*, *ostium*, *petra*. Vocatur enim Christus leo, Apocal. cap. 5. vers. 5. dum dicitur, *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David*. Vocatur agnus, Joan. c. 1. v. 29. dum dicitur ibi à Joanne Baptista de illo, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Vocatur vitis à seipso, dum apud Joan. Euang. cap. 15. vers. 1. de se ipso sic ait, *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est*. Ostium pariter seipsum vocat ipse Christus, dum Joan. cap. 10. vers. 7. sic ait, *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*. Petra denique vocatur, dum 1. ad Cor. cap. 10. vers. 4. dicitur de patribus nostris

8. Per metaphoram, ut Apocal. c. 5. v. 5. & Ioan. c. 1. v. 29.

quòd *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Sic pariter metaphora est, dum gladii acies, os gladii vocatur, ut fit 1. Reg. c. 15. vers. 8. dum dicitur, *Omne autem vulgus interfecit in ore gladii*; sic & metaphora est, dum quælibet ea, quibus mors inferri solet, ut arma, instrumentaque bellica omnia, vasa mortis vocantur, ut fit, dum Psal. 7. vers. 14. dicitur, *Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit*, hoc est, In eo, scilicet arcu, lethifera paravit instrumenta, contra eos qui ardenter persequuntur justos, sagittas fabricavit, ut explicat Genebrardus in suis Com. in Psalm. Sic & metaphoricè *sagitta* dici solet quidquid nocet vel lædit, sicut & *gladius* quidquid pungit, & *panis* quidquid nutrit; sic metaphoricè dicuntur innumera alia, variis in Scripturæ locis passim, & ubique ferè dispersa.

9. Per metalepsim, ut Osee c. 2. v. 21.

9. Per *metalepsim* non rarò, seu *metalepsis* est etiam in Scriptura satis frequens, præsertim apud Prophetas, qua verbum, vel nomen usurpatur aliquod, non pro eo præcisè quod significat, sed pro eo quod inde sequitur; ut v. g. dum Osee cap. 2. vers. 21. dicitur: *Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Jezrabel.* Hoc est, ego respondebo cœlis appetitu naturali toti universo desiderantibus succurrere, & tacitè petentibus nubes, ventos & pluvias, quibus subjectam possint irrigare terram. Ego, inquam, cœlis respondebo, ipsos nubibus complendo, & cœli vicissim respondebunt terræ sitienti & pluviam petenti, rorando super eam & stillando pluvias; & terra respondebit votis tritici, vini & olei cupientium enasci, prodire & crescere; hæc denique respondebunt votis Jezrahel, idest, seminis Dei, puta populi Israelitici cupientis pasci, nutriri, cibari: ibi enim sumitur ly *exaudiam*, sive respondebo, non pro responsione, sed pro petitione, seu pro re petita significanda; ex eo enim quòd quis respondet, sequitur quòd fuerit interrogatus, cùm respondeat nemo nisi rogatus.

10. Per catachresim, ut Gen. c. 4. v. 21.

10. Per *catachresim* frequenter etiam loqui solet Scriptura sacra, seu per abusionem: est enim catachresis tropus, qui abusio, seu usurpatio dici potest, fitque cùm alienis utimur perinde ac propriis, cùm propria deficiunt, ut cùm v. g. natatorium in quo nulli sunt pisces, piscinam vocamus; sic per catachresim dicitur, dum quis vocatur pater rei alicujus, cujus fuit auctor, conditor, vel inventor, ut cùm Gen. cap. 4. vers. 21. *Jubal* filius Lamech, dicitur *Pater canentium cithara & organo*, quia fuit inventor organi & citharæ; unde est, ut putent nonnulli, ab illo Jubal, qui fuit jubilosus, jucundus, & jovialis, Latinos suum traxisse jubilare, & à jubilare, jubilationem & jubilum, ut notat Cornelius à Lapide, in Gen. cap. 4.

Quæres fortè præter illas, & alias numero plurimas Scripturæ figuras, atque tropos, num sint alii in Scripturis usitati loquendi modi à nobis hic pro cæterorum intelligentia notandi? Resp. esse & plures alios, & inter illos, præsertim notare juvat tres istos:

1. Vulgare ferè, valdèque usitatum est apud Hagiographos sacros, ut in numeris sive personarum, sive dierum, vel annorum computandis, rotundo persæpè & plano utantur numero, neglecto minori, ut attentè legenti patebit, docetque S. Aug. quæst. 47. in Exodum dicens, *Scriptura solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa paulatim aut excrescit, aut infrà est,*

non

non computetur. Unde est quòd Judicum cap. 9. vers. 18. septuaginta filios Jerobaal interfecisse dicatur Abimelech, cùm tamen duo huic numero deessent, nempe *Abimelech* ipse, qui suos interfecit fratres, & *Joatham* natu minimus, qui evasit. Unde est quòd Luc. cap. 24. vers. 33. duo Discipuli euntes Emmaus post Christi apparitionem sibi factam, regressi Jerusalem, dicantur invenisse *congregatos* undecim, videlicet Apostolos, quamvis decem dumtaxat essent; cùm ex Joanne cap. 20. vers. 20. *Thomas* non esset cum eis, & *Judas* jam laqueo suspensus esset, nondumque Mathias ejus in locum substitutus. Unde est quòd tribus diebus in sepulchro dicatur mansisse Christus, quamvis primus tertiusque dies non fuerint completi. Unde est quòd dicantur 70. Christi Discipuli, 70. Interpretes sacri, licèt reverà fuerint septuaginta duo.

2. Mos est Scripturæ sacræ, ut ipsi Scriptores sacri sic de seipsis loquantur in ea, ut de aliis, inquit Gregorius Magnus in Job cap. 2. Unde est quòd Moyses Num. cap. 12. vers. 3. de seipso quasi de alio dicat, *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*. Unde est quòd Joannes Euangelista cap. 19. vers. 27. de seipso tamquam de alio loquens dicat, *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*. Unde pariter & Lucas de seipso & de Cleopha loquens ait cap. 24. vers. 13. *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus*. Sic & alibi, de seipsis tamquam de aliis alii, aut potiùs de ipsis per ipsos locutus est Spiritus sanctus; loquens v. g. de Moyse per Moysen, de Joanne per Joannem, & de Luca per Lucam.

3. Quia usitatum est apud Hebræos, Græcos, atque Chaldæos, ut libros suos exordiantur persæpè à particula *&*, *autem*, *igitur*, *ergo*, vel ab aliqua simili alia; ut sic connectant quod scribunt, cum re alia jam scripta, vel mente concepta, & apprehensa. Inde est ut plures reperiantur divinæ Scripturæ libri, sic à similibus particulis incœpti; ut v. g. liber *Leviticus*, qui sic incipit, *Vocavit autem Moysen, & locutus est ei Dominus*. Liber *Numeri*, qui sic incipit, *Locutusque est Dominus ad Moysen*. Liber *Josue*, cujus initium est sic, *Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi*. Liber quartus *Regum*, qui sic incipit, *Prævaricatus est autem Moab in Israel*. Liber secundus Paralipomenon, qui sic exorditur, *Confortatus est ergo Salomon filius David in regno suo*. Sic & ab iisdem, vel à similibus particulis incipiunt & plures alii divinæ Scripturæ libri; ut *Judith*, *Baruch*, *Ezechielis*, *Jonæ*, *Machabæorum primus*, *&c.*

ARTICULUS XI.

Explicantur humana varia, sive animi passiones, sive corporis membra, Deo in Scripturis passim attributa.

CUm nihil mente priùs concipiat homo quàm sensu, & Deum resque divinas sensu percipere nequeat, quia incorporeus; ideò Scriptura sacra humano sese accommodans intelligendi modulo, res spirituales & divinas solet interdum per corporeas & humanas hominibus explicare: Unde est,

quòd Deo tribuat caput, faciem, os, oculos, aures, nares, brachia, manus, digitos, pedes, & alia ſimilia plura humana, tum animi, tum corporis propria, ut triſtari, lætari, iraſci, pœnitere, recordari, obliviſci, aliaque hujuſmodi varia; quæ ne cum Judæis, aliiſve carnaliter ſapientibus, & Deum corporeum opinantibus Hæreticis, carnaliter & ad litteram intelligenda credat Candidatus noſter, ſitque non ut *animalis homo, qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, ſed ut ſpiritualis, hæc ſpiritualiter de Deo ſummè ac infinitè ſpirituali judicet & intelligat.

Paulus 1. ad Cor. c. 2. v. 14.

CONCLUSIO.

Quid ſignificent membra, aliaque humana Deo paſsim in Scripturis tributa.

Dico, *quòd, dum interdum hominis membra Deo divina Scriptura tribuit, non ideò tribuit, ut reverà in Deo membra & corpus eſſe notet, ſed ut ſe humano concipiendi & loquendi modo accommodet, & per hæc membra, vim & efficientiam, vel quid ſimile myſticum & ſpiritale eis aptè reſpondens, ſignificet.*

Pr. 1. ex eo quòd Scriptura divina Joan. cap. 4. verſ. 24. expreſsè dicat Deum eſſe ſpiritum, *Spiritus eſt Deus*, & eadem Scriptura manifeſtè pariter aſſerat Luc. cap. 24. verſ. 39. ſpiritum non habere carnem nec oſſa, *Spiritus carnem & oſſa non habet*, nec conſequenter membra ex carne & oſſibus compacta: ergo dum humana membra Deo divina Scriptura tribuit, non ideò tribuit, ut reverà in Deo membra humana eſſe doceat; ſed ut per ea membra vim & efficientiam, vel quid ſimile myſticum & ſpiritale eis aptè reſpondens ſignificet.

Pr. 2. ex eo quòd illud ita eſſe, non obſcurè ſignificent SS. PP. præſertim Aug. & Hieron. Aug. quidem Epiſt. 111. quæ eſt de videndo Deo, dum ait, *Alas cùm in Deo audimus, protectionem intelligimus; cùm manus, operationem; cùm pedes, præſentationem; cùm oculos, viſionem; cùm faciem, notitiam qua innoteſcit*; & *S. Hieron.* in Pſal. 93. dum ſic loquitur, *Deus totus oculus eſt, quia omnia videt, totus manus eſt, quia omnia operatur, totus pes eſt, quia ubique eſt.* Ergo ex mente horum SS. PP. dum hominis membra Deo Scriptura tribuit, non reipſa hæc membra in Deo eſſe; ſed membrorum efficientiam, vel quid ſimile aliud myſticum & ſpiritale eis aptè reſpondens, intelligit; idque

Pr. 3. ſingulorum explicatione, hoc eſt, ea curſim percurrendo ſingula ſaltem præcipua, & breviter exponendo quid quæque ſignificent, dicendo v. g. quòd. Si

1. Quid caput, *de quo 1. ad Cor. c. 11. v. 3.*

1. *Caput dici* legamus de Deo, ut dum 1. ad Cor. c. 11. verſ. 3. dicitur, *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus*; ibi, inquit Cornelius à Lapide, caput idem ſignificat ac dominus, ſuperior, & rector, ita ut velit ibi dicere Paulus, quòd ſicut vir eſt dominus, ſuperior, ac rector mulieris; & viri dominus, ſuperior, ac rector eſt Chriſtus; ita & Chriſti, ut hominis, dominus, ſuperior, ac rector eſt Deus; & ſi caput Dei interdum dicatur, vel legatur, per caput Dei, ipſa eſſentia divinitatis ejus, quæ præcedit omnia, & cui ſubjecta ſunt omnia, intelligi debet, inquit *S. Eucherius* in lib. formularum ſpiritualis intelligentiæ ad Veranum filium ſuum.

2. Quid capilli, *de quibus Danielis c. 7. v. 9.*

2. *Capillos capitis* habere dum dicitur Deus, ut cùm Danielis cap. 7. verſ. 9. dicitur, *Aſpiciebam donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum ejus quaſi nix candidum, & capilli capitis ejus quaſi lana munda*; ibi per *capillos capitis ejus* intelligendi ſunt, inquit idem S. Eucherius,

rius, *sancti Angeli*, & multitudo Sanctorum dealbatorum, seu virtuosi electi, qui *dealbaverunt stolas suas*, id est conscientias suas, *in sanguine Agni, & sequuntur eum quocumque ierit*. Qui capilli ideò lanæ mundæ comparantur, ut per hoc, antiquus dierum credatur esse.

3. *Oculos* dum dicitur habere Deus, ideò id ita dici tenendum, ut per hoc significetur, quòd omnia videat Deus, & nihil eum lateat: ut cùm ad Hebræos cap. 4. vers. 13. de eo Paulus ait; *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*. Unde per ipsos Dei oculos intelligitur ipsa inspectio divina; ut cùm Psal. 32. vers. 18. dicitur, *Ecce oculi Domini super metuentes eum*; & Psal. 33. vers. 16. *Oculi Domini super justos*. Unde est quòd S. Hieron. in Psal. 93. dicat, *Deus totus oculus est, quia omnia videt*. 3. Quid oculi, *de quibus ad Hebr. c. 4. v. 13. Ps. 32. v. 18. & Psal. 33. v. 16.*

4. *Palpebræ* de Deo si dicantur, per eas, occulta & incomprehensibilia Dei judicia innuuntur, sive spiritualis in divinis libris ejus locutio: ut cùm Psalm. 10. vers. 5. dicitur, *Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum*, id est probant; unde *palpebræ* Dei sunt judicia ejus, quæ probant filios hominum; quamvis per *palpebras* Dei intelligi velint aliqui Scripturas divinas, quæ modò clauduntur, modò aperiuntur sicut palpebræ, & quæ interrogare dicuntur filios hominum, quatenus in eis quasi in speculo, se quisque videre potest, ac sese examinando & quasi interrogando cognoscere ac probare. 4. Quid palpebræ, *de quibus Psal. 10. v. 5.*

5. *Aures* dicitur habere Deus, eò quod omnia audiat, & nihil eum in silentio lateat: ut cùm Sapientiæ 11. vers. 10. dicitur, *Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurantium non absconditur*. Sed præsertim aures habere dicitur Deus, dum exaudire dignatur: unde Psalm. 33. vers. 16. de eo dicitur, *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*. Et iterùm Psalm. 129. vers. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*; quem locum explicans Genebrardus ait: Aures, os, manus, pedes, nares, & alia hujusmodi membra Deo tribuuntur, (cùm verè nihil horum habeat) per quandam similitudinem, propter vires & facultates percipiendi, & intelligendi, quibus idem ipse per se pollet, quod homines per hæc membra. 5. Quid aures, *de quibus Sap. 11. v. 10. & Ps. 33. v. 16.*

6. *Nares* pariter dum in Deo esse designat Scriptura sacra, per illas designatur Dei, in corda fidelium, inspiratio, ut dum 2. Regum cap. 22. vers. 9. dicitur: *Ascendit fumus de naribus ejus*, id est lacrymosa compunctio pœnitentium, inspiratio ejus, inquit S. Eucherius; vel etiam dici potest, juxta jam laudatum Genebrardum, quòd Deus nares habere dicitur, quatenus per seipsum vim habet percipiendi & odorandi, quod solent homines naribus percipere & odorari; unde est, quòd de eo dicatur Genes. cap. 8. vers. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*, quasi dicatur, Percepit & acceptavit Deus holocaustum Noe, tanquam rem sibi gratam & suavem, ait Cornelius à Lapide *in Gen. cap. 8. vers. 21.* 6. Quid nares, *de quibus 2. Reg. c. 22. v. 9.*

7. *Faciem* Dei dum nominant sacræ Litteræ, per eam, infinita invisibilis divinitatis intelligitur essentia, ut cùm Psalm. 79. vers. 4. dicitur: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus*; & Exod. cap. 33. vers. 23. dum ipse Dominus ad Moysen, Dei essentiam videre cupientem, per interpositum Angelum respondens dixit: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, quasi diceret, Divinitatem meam videre non poteris, sed incarnationem, sive humanitatem meam; per posteriora enim, Filii Dei incarnatio, seu humanitas intelligitur; & de illa posteriori parte, Filius 7. Quid facies, *de qua Ps. 79. v. 4. & Exod. c. 33. v. 23.*

Dei in monte Sinai ad Moysen per Angelum loquens ait: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, quasi diceret, Humanitatem meam videbis, divinitatem autem meam videre non poteris; unde juxta *Tertullianum*, *Origenem*, *Greg. Nazian.* & *Augustinum*, ibi humanitas Christi videnda promittitur Moysi, & reipsa, visa est in monte Thabor, quando *transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.*

8. Quid os Dei, *de quo Isajæ c. 1. v. 20.*

8. *Os Dei* dum nominatur in sacris litteris, per illud intelligitur Filius Patris æterni, id est Christus Dominus, ut dum Isajæ cap. 1. vers. 20. dicitur: *Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius dovorabit vos, quia os Domini locutum est.* Per os Dei possunt etiam moraliter intelligi hi, qui nobis loquuntur vice Dei, seu ex parte Dei, quales sunt Superiores legitimi, quibus dictum à Christo Domino, Luc. cap. 10. vers. 16. *Qui vos audit, me audit*; seu illi, per quos solet Deus nobis sua manifestare placita, & de quibus intelligendum illud Josue cap. 9. vers. 24. *Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt*; non interrogaverunt scilicet os Domini, quia non consuluerunt Deum per Pontificem Rationali indutum, in quo inscriptum erat *Urim* & *Tummim*, id est, doctrina & veritas, ut explicat Cornelius à Lapide, in Exod. cap. 28. & in Josue cap. 9.

9. Quid lingua, *de qua Psal. 44. v. 19.*

9. *Linguam Dei* dum nominant, per illam mysticè pariter intelligunt sacræ paginæ Spiritum sanctum, per quem hominibus in terris loquitur Deus, & secreta sua manifestat eis; unde est quòd Psalmista dicat, Psal. 44. vers. 19. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Id est Spiritus sancti dirigentis linguam meam, quasi calamum suum, seu utentis lingua mea quasi calamo.

10. Quid brachiū & brachia, *de quibus Isajæ c. 51. v. 5. Ierem. c. 32. v. 21. & Luc. c. 1. v. 51.*

10. *Brachia Dei* Patris in plurali si nominent, per illa intelligunt pariter sacræ litteræ Filium ejus, & Spiritum sanctum, ut cùm Isajæ cap. 51. vers. 5. dicitur: *Et brachia mea populos judicabunt*: per brachium verò Dei singulariter sumptum solus intelligitur Patris æterni Filius, ut cùm Jerem. cap. 32. vers. 21. *Et nunc Dominus Deus, qui eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, & in portentis, & in manu robusta, & in brachio extento*; & Luc. cap. 1. vers. 51. dum B. Virgo Deum laudans ac magnificans, de eo dicit, *Qui fecit potentiam in brachio suo*, quasi dicens, Deus qui potenti sua fortitudine, seu brachio suo multa potenter operatus est ab omni ævo, multò magis jam magna fecit, dum in me Filium suum incarnari fecit, per quem debellabit Luciferum, Infernum, mortem & peccatum; unde est, quòd Beda & Theophylactus hìc per brachium, mysticè intelligendum esse tenent, Filium Dei in Virgine incarnatum, & ideò Filius Dei Patris *brachium* dicitur, quia creatura electa continetur ab ipso, inquit S. Eucherius; communiter tamen per Dei brachium, Dei virtus operativa solet intelligi, ut docet S. Thom. 1. quæst. 1. art. 10. ad 3. dicens: *Cùm Scriptura nominat Dei brachium, non est litteralis sensus, quòd in Deo sit membrum hujusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa.*

11. Quid dextera Dei, *de qua Psalm. 117. v. 16. & Ps. 109. v. 1.*

11. *Dexteram Dei* dum nominat Scriptura, per eam communiter intelligi debet Dei potentia; sic enim Interpretes exponunt, ut v. g. dum Psal. 117. vers. 16. dicitur, *Dextera Domini fecit virtutem*, id est, Potentia Domini fecit fortitudinem, seu fortia, ut exponit *Genebrardus*; sic dum dicitur Psal. 17. vers. 36. *Dextera tua suscepit me*, idem est ac si dicat, Potentia tua adjuvit me,

me, tutata est ac fulsit me, ut idem exponit Interpres Genebrardus; sic dum Exod. c. 15. vers. 6. dicitur, *Dextera tua magnificata est in fortitudine*, idem est, ut explicat Cornelius à Lapide, ac si dicatur, Palam omnibus factum est, tuam dexteram, id est, potentiam esse magnam ex fortitudine, qua currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare, & effecit, ut electi principes ejus submersi sint in mari rubro, & abyssi operuerint eos, descenderintque in profundum quasi lapis. Interdum etiam per dexteram Patris, intelligitur gloria Patris, seu æterna beatitudo, ut cùm ex persona Patris ad Filium dicitur, Psal. 109. vers. 1. *Sede à dextris meis*, id est, regna & impera proximus mihi in summa gloria & felicitate, inquiunt *Hieronymus* & *Theodoretus*; seu regna æquali potentia mecum, esto particeps meæ gloriæ, potentiæ, & majestatis, ut explicat idem Genebrardus.

12. *Manus Dei Patris*, Filium interdum significat, eò quòd per ipsum facta sunt omnia, *& sine ipso factum est nihil*, ut cùm Pater apud Isajam dicit: *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista*; sed aliter interdum per Dei manum potestas ejus intelligitur, ut cùm Jeremiæ cap. 18. vers. 6. dicitur, *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea Domus Israel*: interdum etiam pro flagello Dei, punitione, vel percussione, ut cùm Job cap. 19. vers. 21. de seipso ait: *Manus Domini tetigit me*; & Proverb. cap. 21. vers. 1. ubi dicitur, *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini*: denique per manum Dei solet passim intelligi virtus, seu potestas qua Deus producit seu operatur omnia; unde est, quòd S. Hieron. in Psal. 93. dicat, *Deus totus manus est, quia operatur omnia.*

12. Quid manus Dei, *de qua Isa. cap. 66. v. 2. Ierem. c. 18. v. 6. Iob c. 19. v. 21. & Prov. c. 21. v. 1.*

13. *Digitus Dei* singulariter nominatus, mysticè significat Spiritum sanctum, ut cùm Christus Lucæ 11. vers. 20. ait, *Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia*; ibi enim, per Dei digitum, Spiritum sanctum intelligi, manifestè constat, ex eo quòd apud Matthæum cap. 12. vers. 28. expressè legatur; Si autem ego *in Spiritu Dei ejicio dæmonia*; & Ecclesia Spiritum sanctum invocans, dicat ei, *Tu digitus Paternæ dexteræ*. Ideò autem Spiritus sanctus *digitus Dei* dicitur; tum quia sicut digitus à brachio & manu, ita Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit; tum quia sicut digiti sunt multi, ita & Spiritus sancti dona sunt multa; tum propter partitionem, seu divisionem bonorum quæ ab eo dantur, & dividuntur unicuique propria; seu propter divisionem gratiarum quas Spiritus sanctus dividit singulis prout vult, juxta illud Pauli 1. ad Cor. c. 12. v. 4. dicentis: *Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. Nullaque sint aliunde membra nostra, in quibus ita appareat partitio sive divisio, sicut in digitis; unde est quòd sanctus Gregorius magnus dicat Homil. 10. lib. 1. in Ezech. *Quid per digitos Redemptoris nisi dona Spiritus sancti designantur?*

13. Quid digitus Dei, *de quo Matt. c. 12. v. 28. & Luc. c. 11. v. 20.*

14. *Digitos Dei* tamen in plurali loquens numero dum nominat, per illos intelligit Scriptura sacra sanctos Prophetas, per quos Spiritus sanctus libros Legis & Prophetarum sua inspiratione describit; ut cùm Psal. 8. vers. 4. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum*; ibi per *cælos*, libros Legis & Prophetarum, & per *digitos*, sanctos Prophetas insinuari, certum est, inquit S. Euch. Verùm dici etiam potest cum Interpretibus aliis, ut cum Cornelio à Lapide, *digitum Dei*, Dei omnipotentiam, virtutem, & operationem significare: per brachium enim & digitos, quia instrumenta actionis, potentiam & actionem sæpè significant Hebræi; cùmque hæc Dei omnipotentis virtus operativa licèt in se una, sit tamen virtualiter multiplex & multiformis ratione diversorum effectuum; inde est, quòd interdum *digitus* in

14. Quid digiti Dei, *de quibus Ps. 8. v. 4.*

sin-

singulari, interdum *digiti* vocetur in plurali. *Digitus* vocatur in singulari, ut v. g. Exod. cap. 8. vers. 19. quando magi, seu malefici Pharaonis à Moyse devicti, ejusque miraculis confusi, ad Pharaonem dixere, *Digitus Dei est hìc*, hoc est, Dei omnipotentis virtus hìc est, quæ Moysi assistit, eumque juvat, quæque nos cohibet, impedit, & Moysi cedere cogit; *digiti* verò vocatur in plurali, ut Psalm. 8. vers. 4. dum dicitur, *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum*, sicut & quando Isajæ cap. 40. vers. 12. Deus terræ molem tribus digitis appendere dicitur, *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* ibi enim ut Dei omnipotentiam commendet *Isajas*, alludit ad institores, qui levia pondera per uncias & drachmas examinare solent in statera, quam tribus digitis sustinent, & in altum suspensam in æquilibrio tenent, ut sic ostendat, quòd pari modo, & tam facilè, Deus sua omnipotentia immensum terræ globum in medio mundi, quasi in aere pendulum, tribus quasi digitis appendit, id est, librat & sustinet.

15. Quid cor Dei, *de quo Ps. 44. v. 2. Ezech. c. 28. v. 2. & Act. c. 13. v. 12.*

15. *Cor Dei Patris*, dum nominatur, per illud, arcanum sapientiæ ejus mysticè designatur, ex quo Verbum, id est Filium suum impassibiliter genuit, sine initio, ipso dicente per Prophetam Psalm. 44. vers. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum*; & Ezech. cap. 28. vers. 2. ubi dicitur, *Et dedisti cor tuum quasi cor Dei*; & iterùm Act. cap. 13. vers. 12. ubi legitur olim de David dixisse Deum, *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum.*

16. Quid alæ, *de quibus Psal. 16. v. 8. & Psal. 62. v. 8.*

16. *Alas* Deo tribuit interdum Scriptura sacra, pro eo, quòd more avis, electos suos tanquam pullos, sub se colligit & fovet, & ab insidiis diaboli, ac malorum hominum protegit; unde est quòd Propheta Psal. 16. vers. 8. ad eum clamet, *Sub umbra alarum tuarum protege me*; & iterùm Psal. 62. vers. 8. *In velamento alarum tuarum exultabo*, id est, in protectione tua, in tutela ac præsidio tuo lætabor; unde per Dei alas, Dei præsidium sive protectio est intelligenda, ut Genebrardus explicat in suis in Psal. Commentariis.

17. Quid scapulæ, *de quibus Ps. 90. v. 4.*

17. *Scapulas* pariter Deo tribuit interdum Scriptura sacra, sed per metaphoram, eò quòd infirma Ecclesiæ membra quasi scapulis suis portet & sustineat Deus, unde est quòd idem Regius Propheta psallens dicat Psal. 90. vers. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis*; ubi scapulas pro alis poni, censet idem Genebrardus, ut hoc in utroque hemistichio esset metaphora diversa; una ab avibus, sub quarum alis pulli securi agunt, nec sibi quid metuunt ab accipitribus; altera ab hominibus latas scapulas & humeros habentibus.

18. Quid uterus Dei, *de quo Psal. 109. v. 3. & Job c. 38. v. 29.*

18. *Uterus* verò Dei si nominetur, per illum intelligitur mens, seu intellectus, sive secretum Patris æterni, ex quo processit Verbum divinum, seu Filius, & de quo ipsemet Deus apud Psalmistam, Psalm. 109. vers. 3. dicit, *Ex utero ante luciferum genui te*; interdum tamen per *uterum Dei*, designantur incomprehensibilia judicia ejus; ut quando in libro beati Job cap. 38. vers. 29. dicitur: *De cujus utero egressa est glacies? & gelu de Cælo quis genuit?*

19. Quid pedes, *de quibus Ij. c. 66. v. 1.*

19. *Pedes* qui Deo in Scriptura tribui solent, stabilimentum significant virtutis ejus, qua ubique præsens est, & universa illi subjecta sunt, ipso per Isajam dicente cap. 56. vers. 1. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*; & Psalmista dicente, Psalm. 8. vers. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; & unde est quòd S. Hieron. in Psal. 93. dicat, *Deus totus pes est, quia ubique est.*

20. *Ve-*

20. *Vestigia* verò Domini dicuntur operum secretorum signa, ut cùm Psalm. 76. vers. 20. dicitur: *In mari via tua, & semita tua in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur*; ubi, inquit Genebrardus, futurum ponitur pro imperfecto, & per Hebraismum dicitur *cognoscentur* pro *cognoscebantur*: Ibi enim David Deum laudans à miris operibus ejus, inter alia, dicit illi, Non cognoscebantur vestigia, quibus dux fueras populo transeunti mare, neque tui, neque illius ulla extabant vestigia, quæ sequerentur Ægyptii; quasi dicat in genere, tu per mare periculis plenum iter facis, ad servandos periclitantes, vel perdendos securos, & in utramque aurem dormientes, nec tamen quisquam cognoscit, vel cognoscere potest, unde venias, aut quò properes, quia secreta vestigia tua, de quibus iterùm Job cap. 11. vers. 7. dicitur, *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? &c.* 20. Quid vestigia Dei, *de quibus Ps. 76. v. 20. & Iob c. 11. v. 7.*

21. *Calceamenta* Domini Jesu Christi si interdum nominentur, per ea mysticè ejus designatur incarnatio, sive humana assumpta natura, de qua per Prophetam Psalm. 59. vers. 10. ipsemet asserit, *In Idumæam extendam calceamentum meum*; id est in plebem Gentilium manifestabo incarnationem meam, sive ipsam quoque *Idumæam* quasi mihi devictam & subjectam calceis pedibusque meis, videlicet assumpta natura, calcabo. Unde S. Hieronymus simpliciùs vertens ait, *Super Idumæam incedam calceamento meo*, seu eò perducam imperium, ut pedibus conculcare liceat. Putant nonnulli alludi ibi ad consuetudinem olim in contractibus & commutationibus usitatam, qua per calceum contrahebant, dum dabatur calceus pro forma; unde, Ad Edom projiciam meum calceum, idem significat ac, Faciam Edom mei juris, seu, Redigam Edom in ditionem meam, ut notat Genebrardus in Psalm. 107. 21. Quid calceamenta, *de quibus Ps. 59. v. 10.*

22. *Vestimentum* Filii Dei dum nominatur, per illud, ejus assumpta *caro* figuraliter intelligitur, ut cùm Isajæ cap. 63. vers. 1. dicitur: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Interdum tamen per Domini *vestimentum*, aut Christi *pallium*, intelligitur Ecclesia ipsa, ut cùm Psal. 92. vers. 1. dicitur: *Dominus regnavit, decorem indutus est*; & iterùm Psalm. 103. vers. 2. *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*. Et Gen. cap. 49. vers. 11. de pallio ejus dicitur: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, hoc est, in sanguine Passionis carnem suam, *& in sanguine uvæ pallium suum*, id est, Ecclesiam suam. 22. Quid vestimentũ, *de quo Isajæ c. 63. v. 1. & Psal. 92. v. 1.*

23. *Virgam & baculum* Domini dum nominant Scripturæ sacræ, ideò nominant, ut per ea intelligantur correctio disciplinæ & sustentatio consolationis, ut quando dicitur Psalm. 22. vers. 4. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Ibi enim virga & baculus sumuntur pro sustentatione, sive fulcimento, & quasi scipione quo nitimur, vel pro ratione, gubernatione, Pastorisque cura, unde idem ferè est, ac si dicat alludens ad pedum Pastorale, tuum erga me studium Pastorale mihi solatio est, inquit Genebrardus in Psalmos, Psalm. 22. vel ut volunt alii, virga & baculus ibi pro castigatione & disciplina, qua pii ad virtutem, ut baculo Pastorali, & oves errantes ad viam dirigi solent, vel etiam corrigi, ut idem testis est jam laudatus auctor. 23. Quid virga & baculus, *de quibus Ps. 22. v. 4.*

24. *Gressus Domini* sunt adventus ejus in mundum, & ejusdem regressus ad Patrem, de quibus Psalm. 67. vers. 25. dicitur, *Viderunt ingressus tuos* 24. Quid gressus, *de quibus Ps. 67. v. 25.*

Deus.

Deus. Venit enim de cœlo in Virginis uterum, de utero nascendo ad præsepium, de præsepio ad crucem, de cruce ad tumulum, de tumulo ad resurrectionem, de resurrectione tandem ad ascensionem, qua videntibus Apostolis, *Ascendit ad cœlum*, ubi *sedet ad dexteram Patris*; seu ut explicat idem Genebr. Tui, sive tuus populus, viderunt has tuas expeditiones, successus, victorias, gesta, ingressus & semitas.

25. Quid ambulatio Dei, *de qua Lev. c. 26. v. 12.*

25. *Ambulare* dicitur Deus interdum in Scriptura, non quòd de loco in locum transeat, cùm ubique sit, sed ita, ut ambulatio ejus nihil sit aliud, *quàm ejus in cordibus sanctorum delectatio*, vel ejus, in sanctis prædicatoribus, de loco in locum transitus; sed meliùs, per ambulationem Dei intelligunt alii protectionem ejus: ambulare enim inter homines dicitur Deus sua protectione, quatenus protegit eos, & curam illorum habet; unde est, quòd inter benedictiones quas promisit Deus olim Judæis, si leges ejus servarent, promisit se ambulaturum inter eos, dum dixit illis, Levit. cap. 26. vers. 12. *Ambulabo inter vos*, quasi dicens, Tantam vestri curam geram, ac si inter vos ambularem, & undequaque circumdarem, undique inambulans, & protegens vos, ita ut nullus hostibus pateat locus vos invadendi & opprimendi; unde & in eodem ferè sensu dictum est Deuteron. cap. 23. vers. 14. *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos*. Et iterùm 2. ad Cor. cap. 6. vers. 16. ubi dicit Paulus dixisse Deum, *Et inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus*, id est, ego illis ita adero, undique eos ita protegam, & custodiam, quasi corporaliter inter eos ambularem, ut idem explicat Cornelius à Lapide.

26. Quid loqui Dei, *de quo Ex. c. 33. v. 11.*

26. *Loqui Dei*, de quo dicitur Exodi cap. 33. vers. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem*, nihil est aliud, quàm Deum invisibiliter, & sine ullo vocis sono, vel quolibet alio strepitu, voluntatem suam mentibus Sanctorum insinuare, sive futura, sicut in sanctis Prophetis, revelare, & hæc Dei ad homines locutio tribus modis fieri solet, videlicet, vel per subjectam creaturam, vel in somnis, vel per inspirationem: per subjectam creaturam; ut quando per Angelum *Abrahamo, Jacob & Moysi* locutus est; *Abrahamo* quidem dum promisit ei, Gen. cap. 18. vers. 10. quòd Sara uxor ejus, licèt vetula, habitura esset filium, dicens: *Et habebit filium Sara uxor tua*. *Jacob* verò dum ibidem cap. 32. vers. 24. *luctatus cum eo usque manè, dixit ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit Jacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. *Moysi* denique dum vocans eum de medio Rubi dixit, Exod. c. 3. vers. 4. *Moyses, Moyses, ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est*; & iterùm Exod. cap. 33. vers. 11. ubi dicitur quòd *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; loquebatur scilicet Dominus per Angelum. In somnis verò interdum loquitur hominibus Deus; ut cùm Gen. cap. 28. vers. 12. *Jacob vidit scalam stantem super terram, & Dominum nixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus tuus*; ut quando Josepho apparuit Angelus Domini juxta illud Matth. c. 1. v. 20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Per inspirationem denique occultam, hominibus loquitur Deus, dum invisibiliter hominum corda tangit, & eos loquentes efficit, ut Prophetas, qui sic à Domino subitò inspirati, seu divino replente Spiritu afflati loquentes dicebant: *Hæc dicit Dominus*.

27. *Vi-*

27. *Videre Dei* sumitur interdum pro approbare, ut cùm Gen. cap. 1. vers. 31. dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; sicut & cognoscere Dei, sumitur interdum pro cognoscentes facere, ut cùm ibidem Gen. cap. 22. vers. 12. dixit Deus ad Abraham jam arripientem gladium ut immolaret filium suum: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: Nunc cognovi quòd timeas Dominum*, hoc est, nunc per illud factum tuum, manifestum, & omnibus evidenter cognoscibile feci, quòd timeas, ames, & colas Deum, illique per omnia placere studeas, & obsequi; vel, ut explicant alii, nunc expertus sum, seu per experientiam cognovi, quòd timeas Deum; loquitur enim Deus hìc more hominum, qui se perfectè novisse putant, quod experti sunt, ait Cornelius à Lapide, in Gen. cap. 22. 27. Quid videre Dei, de *quo Gen. c. 1. v. 31.*

28. *Irasci* dicitur Deus aliquando, non inordinato animi motu, aut perturbatione mentis aliqua, quæ in Deo locum habere nequit; sed impios & peccatores ultione justa feriendo, seu juxta demerita puniendo; & hæc ultio divina, Dei furor interdum vocatur, ut cùm David æger, ex morbo sanari rogat, & exclamat Psal. 6. v. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*. Unde irasci Dei, de quo dicitur Exod. cap. 32. vers. 10. *Dimitte me ut irascatur furor meus*, seu potiùs ira, furor, indignatio, aliæque passiones, quæ solent Deo in Scriptura tribui, non significant in Deo mentis perturbationem ullam, sed puram Dei operationem & energiam, ut constat ex S. Aug. lib. 1. contra advers. Legis cap. 20. dicente, *Pœnitentia Dei non est post errorem: ira Dei non habet perturbati animi ardorem: misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in Latina lingua nomen accepit: zelus Dei non habet mentis livorem; sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio: ira Dei, est vindicta peccati: misericordia Dei, est bonitas opitulantis: zelus Dei, est providentia, quæ non sinit eos quos subditos habet, impunè amare quod prohibet.* 28. Quid irasci Dei, *de quo Exo. c. 32. v. 10.*

29. *Oblivisci* pariter dicitur aliquando Deus, non ex memoriæ lapsu aliquo, cujus incapax est Deus; sed quatenus peccatoribus & impiis quibusdam interdum non miseretur, non quidem ex ullo crudelitatis motivo, quæ in Deo esse nequit ulla, sed justo licèt occulto judicio, ut cùm idem regius Psaltes diurna Saulis persecutione turbatus & afflictus conqueritur, Psal. 12. v. 1. de tardo, & nimis dilato sibi Dei adjutorio; & exclamans ait: *Usquequò, Domine, oblivisceris me in finem? usquequò avertis faciem tuam à me?* quasi dicat: Quousque tandem? usque ad quod tempus? perpetuò ne Domine patieris me affligi, & in hac persecutione, & animi anxietate versari, avertens faciem tuam à me, per tuæ divinæ consolationis absentiam? 29. Quid oblivisci, de *quo Ps. 12. v. 1.*

30. *Nescire* quoque dicitur interdum Deus, non defectu cognitionis, quæ in Deo infinita est, & scrutans omnia; sed ita, ut in Deo *nescire* idem sit ac reprobare; ut cùm Christus Dominus, Matth. cap. 25. vers. 12. ait, *Amen dico vobis, nescio vos*; & iterùm Luc. cap. 13. vers. 27. *Nescio vos unde sitis: discedite à me omnes operarii iniquitatis*. Id est, inquit Cornelius à Lapide, dum ibi Christus ait, *nescio vos*, idem est ac si dicat, vos pro meis non cognosco, respuo, reprobo, damno, quia vos in die vestra noluistis agnoscere & colere me, ut Deum vestrum ac Dominum, nec ego in hac die mea agnosco vos, ut meos fideles servos & filios, ser- 30. Quid nescire, de *quo Matth. 25. v. 12.*

servistis diabolo, non Deo, in voluptate, nunc discedite à me, & servite illi in gehenna.

31. Quid dormire, de quo Ps. 43. v. 23. 31. *Dormire* quandoque dicitur Deus, non ex lassitudine aliqua, aut quietis indigentia ulla, quod absurdum & impium esset asserere; sed quatenus anxiis & afflictis tardiùs videtur subvenire; ut quando pii Judæorum viri conquerentes, se impiorum libidini impunè, causa religionis, exponi, Deum obsecrabant, ut sibi tandem subveniret, dicentes apud regium Psaltem, Psal. 43. vers. 23. *Exurge, quare obdormis Domine?.. exurge, adjuva nos*: dormire etiam dicitur Deus interdum, inquit *S. Eucher. in aq. vet. & nov. Test.* cùm in nobis potiùs fides dormit, & dormitantem infidelem relinquit; nescit verò ipse deesse quærentibus se, nec novit dormire vigilantibus, juxta illud Psal. 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*: Sic enim loquitur Regius Psaltes, ut ostendat, quàm assidua sit Dei in suos electos vigilantia, quæ tanta est, ut eorum nunquam dejiciat curam, sed perpetuas pro salute eorum excubias agat, ita ut nunquam dormitet, neque dormiat, seu ita, ut nunquam velit dormire, neque dormiat; dormitamus enim antequam dormiamus, cùm dormitare sit velle dormire, ut notat Interpres Genebrardus.

32. Quid pœnitere, de quo Gen. c. 6. v. 7. 32. *Pœnitere* dum dicitur Deus, non ita intelligendum putes, ut more hominum, pro transactis suis operibus, Deum pœniteat. Deum enim qui novit omnia antequam fiant, suorum operum pœnitere est impossibile; sed *Deum pœnitere*, idem esse scias, ac Deum mutare sententiam, non quoad affectum, sed quoad effectum & terminum, non mutando intentionem à primo proposito, sed opus dumtaxat à primo instituto, ut quando pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra, dixitque Gen. c. 6. v. 7. *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos*. Ut cùm 1. Reg. c. 15. vers. 11. dixit: *Pœnitet me quòd constituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit*. Sic & Jeremiæ c. 18. vers. 8. dixit: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei*, id est, mutabo sententiam meam, nimirum quoad effectum & terminum ejus, & pro calamitate inducam multiplicem felicitatem super illam; & ex *vasis contumeliæ*, id est ingloriis & sordidis, faciam *vasa in honorem*, id est, honorifica & gloriosa; & hæc mutatio, pœnitentia Dei dicitur, secundùm nostrum loquendi modum. Unde est quòd dicat S. Eucherius in quæstionibus veteris Testamenti, *Pœnitentia Dei dicitur, rerum ab eo constitutarum mutatio, quæ pro rerum vicissitudine, vel pro recti dispositione succedit*. Cui consonat illud S. Augustini jam suprà laudati, & dicentis in lib. 1. contra adversarium Legis cap. 20. *Pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio*.

33. Quid non pœnitere, de quo Ps. 109. v. 5. 33. *Non pœnitere* Dei econtrà, est, Deum suam non mutare sententiam, etiam quoad terminum, ut cùm Psal. 109. vers. 5. dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, id est, ita certò constituit Deus Pater, ac si jurasset; & non pœnitebit eum, id est, & suam non mutabit sententiam, seu non mutabit quod semel constituit, nempe, ut secundùm ordinem, seu morem & ritum sacrificandi, non *Abelis*, non *Aaronis*, non *Samuelis*, sed *Melchisedech*: ut sis Sacerdos, simili more, & ritu sacrificans, quo ipse Melchisedech, scilicet incruentè sub speciebus panis & vini; & quidem in æter-

æternum, id est, quandiu mundus stabit, sic sacrificabis; ex quo necessariò sequitur, oblationem Eucharistiæ, tum Christi in ultima cœna, tum nostram quotidianam, esse verum, & propriè dictum sacrificium, ut docet Tridentinum Sess. 22. cap. 1.

34. *Jurare* verò *Domini* idem est ac immobiliter promittere; promissio enim sacramenti, sive juramenti obtinet firmitatem, ac proinde promittere Dei, est jurare Dei; unde rectè dicitur Psalm. 109. vers. 5. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, id est, immutabiliter promisit, seu certò & immutabiliter constituit, ac decrevit, & decretum suum non mutabit: sic & Psal. 131. vers. 11. dum dicitur, *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam*, id est, promisit Dominus, & immutabiliter promisit Davidi, & non fallet, neque violabit fidem illi datam, nec irritum faciet promissum ei factum. 34. Quid jurare, de quo Ps. 109. v. 5.

35. *Gemere & postulare* dicitur Deus pro nobis, juxta illud ad Rom. c. 8. vers. 26. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; non quòd reipsa Deus, seu Spiritus sanctus *gemat, desideret, aut postulet*; *sed quia gemere, desiderare, & postulare nos facit, dum gemendi atque postulandi, cordibus nostris inspirat affectum*, inquit *sanctus Fulgentius*; seu, ut explicant alii, præter mira quæ in nobis habitans operatur Spiritus sanctus, ut quòd nos faciat adoptivos Dei filios & futuræ gloriæ cum Christo cohæredes, adjuvat insuper infirmitatem, docens quid orare debeamus, cùm ipsi persæpè nesciamus, & postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quatenus facit ut postulemus, suspiremus & gemamus *gemitibus inenarrabilibus*, id est, inquit S. Augustinus in Epist. 121. quæ est de orando Deum, gemitibus ignotis: gemimus enim & suspiramus ad gloriam, quam non videmus nec agnoscimus. 35. Quid gemere, de quo ad Rom. c. 8. v. 26.

36. *Contristari* dicitur Spiritus sanctus, dum verbis obscœnis, putidis, maledicis & malis, aut quovis alio offenditur peccato, non quòd in Spiritum sanctum tristitia cadat aliqua, cùm sit imperturbabilis & omnis passionis expers Deus, sed quia homo obscœnus & peccans, peccato dat causam, quæ ex se nacta est contristare, quæque ex se contristat Angelos & Sanctos; unde dum Paulus ad Ephesios cap. 4. vers. 30. ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, idem significat ac si diceret, nolite offendere Spiritum sanctum verbis obscœnis, maledicis & malis, nec alio quocumque peccato; alludit enim Paulus ad istud Isajæ cap. 63. vers. 10. dicentis: *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt & afflixerunt Spiritum sanctum*. Sanctus denique Anselmus illos Spiritum sanctum contristare dicit, qui contristant Sanctos, in quibus Spiritus sanctus habitat. 36 Quid contristari, de quo ad Eph. c. 4. v. 30.

37. *Extingui* dicitur Spiritus sanctus, vel extinguere dicimur Spiritum sanctum, quando fugatur à nobis Spiritus sanctus per peccata nostra. Unde dum Paulus 1. ad Thess. cap. 5. vers. 19. ait: *Spiritum Sanctum nolite extinguere*, idem est ac si dicat, nolite Spiritum sanctum fugare per opera iniquitatis, inquit sanctus Eucherius; & inde est quòd David Psal. 50. vers. 13. dicat: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, qui Spiritus, cùm in substantia non possit extingui, extingui dicitur in nobis, cùm aufertur à nobis. 37. Quid extingui Spiritũ sanctum, de quo 1. ad Thess. c. 5. v. 19.

Ex quibus omnibus manifestè patet, quòd dum hominis membra, vel humana alia, Deo divina Scriptura tribuit, non ita tribuit, ut reipsa in Deo esse notet, sed ut efficientiam, vel quid aliud mysticum & spiritale eis aptè respondens significet, ac proinde dum de Deo, quasi de homine, lo-

loqui videtur Scriptura, non carnaliter & ad litteram, sed spiritualiter intelligenda; sicque loqui dicenda, ut accommodatè ad hominum captum, & more loquatur humano, sicut & dum fabulis utitur interdum & apologis, apparentibusque mendaciis, ut patebit ex statim dicendis.

ARTICULUS XII.

Explicantur apparentia nonnulla divinæ Scripturæ mendacia.

MEndaces filii hominum, & impii, ut suis quærant excusationes in mendaciis, in divinis Scripturis mendacia quærunt; sed frustrà; mentita est enim illorum iniquitas sibi, sed nusquam divina Scriptura mentita nobis. Quod ut hìc breviter demonstretur, & explicentur nonnulli apparenter mentientes divinæ Scripturæ textus,

CONCLUSIO.

Dico, *nec Deum summè verum, nec consequenter Scripturam verè divinam mentiri posse.*

Deum summè verum mentiri, est impossibile.

Pr. sic 1. ex illo Num. cap. 23. vers. 19. ubi dicitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: neque ut filius hominis, ut mutetur*, quibus divinæ Scripturæ verbis, eodem modo à Deo removetur mendacium, quo mutatio; sed mutatio ita removetur à Deo, ut numquam possit mutari, ipso dicente Domino, Malach. cap. 3. vers. 6. *Ego Dominus, & non mutor*. Ergo & mendacium ita removetur à Deo, ut numquam possit mentiri; unde est quòd dicat S. August. lib. 22. de Civitate, cap. 25. *Si velint invenire quid Omnipotens non potest, ego dicam; Mentiri non potest*. Ergo nec Scriptura, quæ est ipsum Dei loquentis verbum.

Et eum in Scripturis mentitum aliquando, non probant.

Pr. 2. Mentiri est à veritate deviare; sed repugnat Deum à veritate deviare, cùm Deus sit ipsa prima & summa veritas per essentiam; ergo & repugnat Deum mentiri, sive per se, sive per alium loquatur nobis; ergo & repugnat Deum, per Prophetas, vel per Apostolos, aliosve Scriptores sacros loquentem nobis in Scriptura mentiri.

Pr. 3. Implicat, Deum posse id, quod est ex sua natura malum; sed mentiri, sive per se, sive per alium, est ex sua natura malum, cùm sit jure naturæ vetitum, juxta illud decalogi præceptum de non dicendo falsum testimonium, Exodi cap. 20. vers. 14. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*; & Levitici cap. 19. vers. 11. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum*. Ergo implicat Deum posse mentiri, sive per se, sive per alium; ergo & per Prophetas, vel per Apostolos, aliosve Scriptores sacros in Scriptura divina, eumque re ipsa nusquam fuisse in Scriptura mentitum, clarius objectionum solutione patebit.

Caini profugi casualis occisio.

Objicies 1. *Caino* timenti, ne propter fratricidium suum occideretur à primo occurrente, promisit Deus nequaquam ita futurum, dicens, Gen. cap. 4. vers. 15. *Nequaquam ita fiet*; & tamen posteà ita factum est, dum est occisus à *Lamecho*, ut colligi videtur ex eodem ipso *Lamecho*, ibidem dicente vers. 23. *Occidi virum in vulnus meum*. Idque ita sentiunt *S. Hieronymus, S. Anselmus, Rabanus, Strabus, Liranus, Petrus Comestor*, & alii. Er-

Ergo manifestum ibi mendacium est. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non prædixerat Caino Deus, eum absolutè, seu nullo modo occisum iri; sed solùm non esse futurum, ut occideretur eo modo, quo ipse timebat, nimirum à primo occurrente, scienter & ex intentione; & re ipsa non ita occisus est, sed à *Lamecho* non cogitante, & inter venandum feram in silva quærente, ut testis est *Hieronymus Epist.* 125. *ad Damasum*; vel ut explicat Cornelius à Lapide, dum dixit Deus v. 15. *Nequaquam ita fiet*, prohibuit tantùm, ne palam, & agnitus Cain occideretur; occisus autem est Cain casu, & non cognitus à Lamecho nesciente, & non Cainum, sed feram occidere putante.

Objicies 2. In Scriptura divina, varia reperiuntur à Prophetis prædicta ut futura, quæ tamen non evenere; v. g. prædixit Isajas *Ezechiæ Regi* mortem in crastinum futuram, dicens cap. 38. vers. 1. *Dispone domui tuæ, cras enim morieris tu, & non vives*; & tamen non mortuus est, sed vixit ultra crastinum. Ergo ibi mentitus Propheta. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non absoluta, sed comminatoria tantùm, vel conditionalis erat illa prophetia; & illa mors quam prædicebat futuram, non erat simpliciter & absolutè futura, sed secundùm quid tantùm, & juxta dispositionem causarum secundarum: ita ut sensus sit, inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. quòd dum dixit Isajas, *Morieris tu, & non vives*, hoc est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur & tendit; non tamen evenit mors illius, quia futura non erat respectu causæ primæ, omnia ad habendam, vel ad non habendam existentiam determinantis, seu ut explicant alii, dum dixit Isajas Regi Ezechiæ, *Morieris tu, & non vives*, idem est ac si dixisset ei, si naturam & naturales causas spectes, morbus tuus lethalis est, & nisi Deus te miraculo sanet, morieris ex eo; idque manifestè videtur innuere S. August. lib. 6. de Gen. ad litteram cap. 17. dicens, *Secundùm aliquas causas inferiores jam vitam finierat Rex: secundùm illas autem, quæ sunt in voluntate Dei & præscientia, qui ex æternitate norat quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc finiturus erat vitam, quando vitam finivit*. Est enim duplex vitæ nostræ periodus, una à natura, altera à Deo constituta; hæc semper est certa & fixa, nec augeri aut minui potest; illa verò à Deo breviari vel ampliari potest, & de facto in Ezechia ampliata est, & mors ejus dilata, licèt secundùm inferiores causas futura.

Nec prædictæ mortis Ezechiæ dilatio.

Objicies 3. Prædixit pariter *Jonas* jussu Dei, Niniven post quadraginta dies subvertendam, dicens cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; & tamen post quadraginta dies illos non fuit subversa Ninive; ergo mentitus ibi *Jonas* jussu Dei. Resp. pariter hanc *Jonæ* prophetiam non absolutam, sed conditionatam ac comminatoriam fuisse, ejus enim sensus erat idem, ac si dixisset, Ninive subvertetur, nisi pœnitentiam egerit, nisi mutet mores, sicque impetret à Deo hanc excidii & subversionis sententiam tolli, vel suspendi, sicut de facto ejus non sublationem, sed suspensionem impetravit: nam audito prophetante Jona, percelluntur Ninivitæ, resipiscunt, in sacco & cinere pœnitentiam agunt, placatur Deus, urbi parcit, & eversionem ejus suspendit. Suspendit, inquam, sed non sustulit: nam ad sua scelera reversis Ninivitis, misit Deus ad illos *Nahum*, qui subversionem iterùm post *Jonam* intentaret eis, & re ipsa Deus laxata manu, intentatum & prædictum à Jona Ninivitis excidium inflixit.

Nec prænuntiatæ subversionis Ninive suspensio.

Nec à Deo permissa Prophetæ deceptio.

Objicies 4. Dicitur Ezechielis cap. 14. verſ. 9. *Propheta cùm enarraverit & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ergo ſi poteſt errare Propheta, & decipi à Deo, poteſt proinde per illum Deus in Scriptura mentiri. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. Nullus enim Propheta quantumvis falſus, poſitivè decipitur à Deo, ſed permiſſivè tantum, quatenus ſinit Deus, ut in deceptionis occaſiones incidat, & homines interdum fallat in eorum peccati pœnam, vel aliis juſtis de cauſis. Sic *Paulus 2. ad Theßalonicenſes, cap. 2. verſ.* 10. loquens de adventu Antichriſti, in pœnam præcedentium peccatorum hominum ordinato, ait: *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio;* id eſt, ideò ſinet eos ab Antichriſto decipi, & in errorem induci. Sic lib. 3. Regum cap. 22. verſ. 22. dæmoni loquenti de Achab, ejuſque quadringentis falſis Prophetis, & ad Deum dicenti: *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita;* non quòd præcipiat Deus ut decipiat, ſed ſolùm permittat, dicens, *Egredere, & fac ita;* id eſt, egredere, per me non obſtat, non impediam, ſicut non impedio peccatum.

Nec reſponſio Michææ Regi Achabo data.

Inſtabis. Mentitus eſt ſaltem *Michæas*, dum rogatus ab Achab, an ire deberet ad præliandum, an ceſſare? reſpondit ibid. 3. Reg. cap. 22. verſ. 12. *Aſcende, & vade proſperè, & tradet Dominus in manus Regis.* Ergo, &c. Reſp. neg. ant. ibi enim nullum eſt *Michææ* mendacium, quia non ex ſua, ſed ex Regis *Achab*, falſorumque Prophetarum ejus mente, loquitur, & ironicè, ut ſic, per ironiam loquendo, Regem ipſum *Achab* à falſis Prophetis deceptum oſtendat, quaſi dicens, ait Cornelius à Lapide; quandoquidem, ò Achab, Prophetæ tui tibi victoriam ſpondent, tuque credis eis, vade ad prælium, illi te victorem rediturum prædicunt, illorum prædictionem experire, quia meæ, mihique non credis; ego tamen te in prælio periturum prævideo, nec dicam tibi quia indignus es, qui veritatem audias à Deo, cùm mendacem conſulas Baal, ejuſque falſa malis audire reſponſa ex dæmone ſuggeſta, quàm mea ex Deo vero, ac proinde veriſſima.

Nec petita per modum commodati Ægyptiorum vaſa.

Objicies 5. Dicitur Exodi cap. 11. verſ. 2. quòd poſt ultimam Ægyptiorum plagam, ſcilicet poſt primogenitorum ſtragem, jubentur Hebræi à Deo ut ſpolient Ægyptios; ait enim ibi ad Moyſen Hebræorum ducem: *Dices ergo omni populo, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua, vaſa argentea & aurea,* ut poſtulet ſcilicet non dono, ſed mutuo, quaſi mutuaturus, ſed nunquam redditurus; & reipſa, hæc vaſa petierunt ab Ægyptiis Hebræi, amicus ab amico, vicinus à vicino: ergo jubentur mentiri, petendo videlicet illa per modum commodati & mutui, ſine intentione reddendi. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. nullatenus enim ibi mentiti, aut mentiri juſſi ſunt Hebræi; ſed verè ac ſincero reddendi animo petierunt: non reddidere tamen ablata, quia ſibi à Deo ſupremo rerum omnium Domino translatione fuere conceſſa.

Nec varia hominũ hiſtoricè narrata mendacia.

Objicies 6. Mentitus eſt *Abraham*, dum interrogatus de *Sara* uxore ſua, reſpondit, Gen. cap. 12. verſ. 19. ſuam eſſe ſororem, cùm tamen ſoror non eſſet, ſed uxor; imò & eam mentiri voluit, dum dixit illi ibidem verſ. 13. *Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis.* Mentitus iterùm, dum *montem Moab* cum filio Iſaac immolando conſcenſurus, famulis ſuis dixit, Gen. cap. 22. verſ. 5. *Expectate hic cum aſino; ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Ex iis ergo, aliis omiſſis, conſtat varia eſſe in divina Scriptura mendacia.

Reſp.

Resp. 1. perm. ant. dist. conseq. Ergo varia sunt in divina Scriptura mendacia, mendacia hominum historicè relata, transeat; mendacia Dei nobis in Scriptura loquentis, neg. conseq. Hæc enim omnia, si quæ sint hominum in Scriptura historicè narrata mendacia, hominem mendacem, sed non mendacem Scripturam, imò potiùs veracem esse probant, cùm sint ad historiæ veritatem fideliter relata, & non omissa. Unde ea non narrat Scriptura mendacia, si quæ referat, ut approbet, sed ut integram historiæ veritatem declaret; verior enim per hoc apparet historia sacra, quòd non omittat, nec taceat, sed sincerè, fideliterque referat tantorum virorum etiam delicta, qualia sunt & ea quæ de *Lot*, de *Samsone*, de *Davide*, de *Salomone*, & aliis interdum historicè narrat.

Resp. 2. neg. ant. quod non probant hæc, nec alia quæcumque narranda. Non enim mentitus est *Abraham* dicens de *Sara* uxore, suam esse sororem; in hoc enim veritatem celavit, sed mendacium nullum dixit; erat quippe *Sara* neptis Abrahæ, quia filia *Aran* fratris Abrahæ. Usus autem invaluerat apud Hebræos, ut neptes dicerentur sorores, & nepotes vocarentur fratres: unde idem *Abraham Lot* fratris sui filium, seu nepotem suum, vocat fratrem suum, juxta illud Gen. c. 13. v. 8. *Dixit ergo Abram ad Lot, Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus.*

Nec mentitus est respondés de uxore Sara interrogatus Abraham, aut se ex monte cum filio reversurum dicens.

Non pariter mentitus, dum dixit, se cum filio ex monte reversurum, quia certò sibi persuadebat, quòd vel non pateretur *Isaacum* occidi Deus, vel quòd occisum & immolatum suscitaret; sciebat enim fallere nec posse, nec promissis deesse Deum, qui promiserat ex *Isaac* Christum nasciturum, & posteritatem innumerabilem futuram, sicut stellas cœli, & sicut pulverem terræ.

Objicies 7. Mentitus est pariter *Jacob*, dum bis interrogatus à patre, num esset filius ejus Esau? respondit assertivè dicens, Gen. cap. 27. vers. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Ergo, &c. Resp. neg. ant. absolutè: Non enim mentitus est Jacob, cùm dixit patri, *Ego sum primogenitus tuus Esau*, 1. quia duplici titulo primogenitus dici poterat; jure scilicet emptionis, & decreto Dei, matri *Rebeccæ* significato, quando ei fuit revelatum aliquando futurum, quòd major serviet minori. Et sic *Jacob* dicens se esse *Esau*, non mentiebatur, quia se *Esau*, non in persona, sed in jure dicebat; sicut Joannes dicitur *Elias*, non in persona, sed in spiritu. 2. Quia licèt non jure esset Esau, erat tamen repræsentativè, quia personam repræsentabat Esau. Unde pariter est quòd sine mendacio potuit dicere, Feci sicut præcepisti mihi, licèt nihil *Isaac* præcepisset *Jacob*, sed *Esau*, quia verè ipse repræsentabat *Esau*: nec obstat quòd Isaac postea dicat Esau, *Venit germanus tuus fraudulenter*; quia hoc non de fraude propriè dicta debet intelligi, sed de fraude dumtaxat apparenti, & juxta hominum, hoc mysterium ignorantium, opinionem & judicium.

Nec Jacob Isaaco se primogenitum dicens.

Objicies 8. Mentitus est *Joseph*, dum asseruit fratres suos exploratores esse, dicens, Gen. c. 42. v. 9. *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ venistis*; & Benjamin scyphum argenteum furto sustulisse, Gen. c. 44. v. 4. dicens: *Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus*; quem tamen ipse Joseph recondi jusserat in sacco junioris: ergo, &c. Resp. neg. ant. nullatenus enim mentitus pariter *Joseph*, fratres suos exploratores esse, & Benjamin furto scyphum abstulisse dicens; quia, ut vult S. Thomas, hoc non juxta propriam, sed juxta Regis

Nec fratres suos, ut exploratores, vel de furto accusans Joseph.

domesticorum Ægypti secum degentium opinionem dicebant; sciebat enim Joseph suos, non explorandi, sed victui necessaria quærendi gratia, venisse fratres; vel dici potest cum Theodoreto, Josephum hoc non dixisse fratribus assertivè, sed interrogativè, idque colligi videtur ex v. 15. ubi sic ait illis, *Cur sic agere voluistis?* Respondent alii, Josephum hoc non dixisse seriò, sed jocalariter, seu per jocum & simulando, sicque ibi fuisse mendacium, leve quidem & non perniciosum, sed jocosum; quod si ita sit, mendacium hoc quamtumvis leve non approbat, sed historicè tantùm divina Scriptura narrat, sicut & quæcumque alia, si quæ sint, cujuscumque hominis alibi relata mendacia.

Nec Holoferni mentita Judith; aut si mentita, nõ pro mendacio laudata.

Objicies 9. Mentita est *Holoferni* Assyriorum militiæ principi *Judith*, dum dixit ei, cap. 11. vers. 15. *Ego adducam te per mediam Jerusalem*, quem tamen ipsa venerat occisura: ergo, &c. Resp. 1. neg. ant. quia verè ipsa *Judith* per mediam Jerusalem duxit Holofernem ut promiserat, non triumphantem quidem & victorem, ut Holofernes putaverat, sed victum & capite cæsum, ut Judith intendebat. Nam ut habetur lib. Judith, toto cap. 13. ipsa *Judith* Holofernis vino sopiti caput abscidit, illudque tradidit ancillæ suæ ut mitteret in peram, *Et exierunt duæ, secundùm consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. Et dixit Judith à longè custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel: & factum est.... Et occurrerunt ad eam omnes, à minimo usque ad maximum: quoniam sperabant eam jam non esse venturam. Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, jussit fieri silentium. Cùmque omnes tacuissent, dixit Judith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se: & in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel: & interfecit in manu mea hostem populi sui in hac nocte. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis Principis militiæ Assyriorum, &c.*

Resp. 2. perm. ant. neg. conseq. quia quamvis concedatur quòd ibi fuerit mentita Judith, non sequitur quòd fuerit pro mendacio in Scriptura laudata, sed pro laudabili affectu quem habuit pro salute populi, ut expresse docet S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3. dicens, *Et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni; sed propter affectum quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit: quamvis etiam dici possit quòd verba ejus veritatem habent secundùm aliquem mysticum intellectum.*

Nec Ægyptiacas obstetrices remunerans, approbat illarum mendacia Deus.

Objicies 10. Obstetricibus Ægyptiacis ædificavit Deus domum, in præmium mendacii, quo Pharaonem decipientes, Hebræorum pueros salvarunt incolumes, dicentes, Exodi cap. 1. vers. 19. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres; ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Approbat ergo Deus in Scriptura mendacium. Resp. neg. ant. quia non ob mendacium, inquit S. Augustinus; sed ob pium in Deum timorem, & ob laudabilem in pueros misericordiam, præmio fuere donatæ obstetrices illæ; sicque non in illis probavit Deus verbum mendacii, sed affectum obsequii, seu ut loquitur S. August. lib. contra mendacium c. 10. & seq. *Non quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt: non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis, & propter illud bonum, Deus etiam huic malo ignovit.* Et Augustino suffragatur S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3.

ad 2. dum ait, *Ad secundum dicendum quòd obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei & benevolentia, ex qua processit mendacium, unde signanter dicitur* Exodi 1. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos; mendacium verò posteà sequens non fuit meritorium.*

Objicies 11. Dicitur Ecclesiastici cap. 49. vers. 5. *Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt.* Atqui falsum est David nullum commisisse peccatum, cùm clamet ipse Psalm. 50. vers. 4. *Peccatum meum contra me est semper: averte faciem tuam à peccatis meis.* Ergo. Resp. perm. ant. maj. dist. min. Falsum est David non commisisse peccatum, peccatum ullum absolutè. Conc. Peccatum idololatriæ, de quo ibi est sermo. Neg. min. & conseq. Ibi enim loquitur Ecclesiasticus de peccato idololatriæ, & fœdere cum idololatris, quo tres isti dumtaxat Reges Judæ non fuere coinquinati, hoc est, quando dicitur David peccatum non commisisse, per peccatum ibi non intelligit Ecclesiastici libri auctor peccatum quodcumque, (sic enim peccavit David peccato homicidii & adulterii,) sed antonomasticè per peccatum, idololatriam & superstitionem intelligit: hoc enim est peccatum peccatorum quod secum cætera adducit omnia, cùm idololatra sit apostata, qui perfidè à Deo ad idolum, id est, ad dæmonem deficit; quo peccato idololatriæ, vel observatæ, vel non omninò sublatæ, contaminati fuere Reges Juda omnes alii, præter tres istos *David, Ezechiam & Josiam.* Et si fortè dicas *Asa* & *Josaphat* Reges Juda fuisse veros veri Dei cultores, & idolorum osores. Resp. cum Cornelio à Lapide, id verum esse, sed tamen utrumque peccasse peccato idololatriæ vicino & annexo, quatenus patienter tulit, seu *non abstulit excelsa*, hoc est, templa & altaria in excelsis locis, vel montibus erecta, & à Deo vetita, & insuper cum idololatris Regibus Israel *Achab, Ochozia & Joram*, amicitias & fœdera junxit, sicque illorum idololatriam indirectè fovit & roboravit.

> Nec mendacium est, dum dicitur, omnes peccatum cõmisisse, præter David, Ezechiam & Josiam.

Objicies 12. In libro Tobiæ plurima & manifesta reperiuntur mendacia ab Archangelo *Raphaele* prolata; ergo & in Scriptura divina. Probatur ant. c. 5. vers. 7. Interrogatus Raphael unde esset, à juniore Tobia dicente, *Unde te habemus, bone juvenis?* respondit, *Ex filiis Israel.* Ergo ibi apertè mentitus est Raphael. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia potuit verè, & sine mendacio, *ex filiis Israel* dici *Raphael*; 1. quia *Israel* idem significat ac *videns Deum*; Angeli autem, ac consequenter Raphael, semper vident faciem Dei. 2. Quia justorum gens Israelitica censetur; ipse autem de justorum numero erat. 3. Quia ad Israelitarum custodiam, maximè *Tribus Nephthali*, specialiter deputatus erat Raphael.

> Nec mentitus Archãgelus Raphael se ex filiis Israel esse dicens.

Instabis. Rogatus ibidem ab eodem v. 8. an nosset viam, quæ ducit in regionem Medorum, respondit: *Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum.* Ergo ibi apertè mentitus; *Gabelus* enim frater *Raphaelis* Archangeli non erat, nec esse potuit, cùm Angeli, cæterique cœlestium ordinum Spiritus fratres non habeant. Resp. perm. ant. neg. pariter conseq. quia cùm omnes tam Angeli, quàm homines, eumdem Patrem, Deum scilicet, habeant, & naturæ spiritualis similitudine, & gratiæ sanctificantis adoptione, & divinæ æternæque hæreditatis possessione, potuit *Raphael Gabelum* fratrem suum sine mendacio vocare, & dicere, *Mansi apud Gabelum fratrem nostrum*; id est, apud Gabelum ejusdem nobiscum intellectualis naturæ: nam ut ait S. Greg. Nyss. de vita

> Nec Gabelũ fratrem vocans.

Moysis, *Frater quodammodo hominis est Angelus ob intellectualium connexionem.*

Nec se Azariã Ananiæ magni filium nominans.

Urgebis. Rursus à Tobia seniore rogatus, de qua domo esset, respondit vers. 18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Sed hoc à Raphaele sine mendacio dici non potuit. Ergo. Resp. neg. min. 1. quia cùm præferret formam & similitudinem *Azariæ*, verè se *Azariam* dicere potuit; sicut Gen. cap. 31. vers. 13. & alibi, Angelus qui *Dei* personam præferebat, se verè, & sine mendacio, Deum esse dicebat, *Ego sum Deus.* Sicut & imago v.g. S. Petri, à nobis vulgò sanctus Petrus vocari solet; & imago Pauli, Paulus dici consuevit. 2. Quia cùm soleant Angeli, ex suo, quo funguntur munere, sua sortiri nomina, indeque sit, quòd Angelus ille, qui à Deo Tobiæ cæco medicinam tulit, dictus est *Raphael*, id est, medicina Dei, ita & ille ipse Angelus, quia Dei auxilium à Deo tulit eidem Tobiæ diu cæco, filioque iter agenti, *Azarias*, id est, auxilium Dei, verè fuit, dicique potuit; seu sicut Angelus idem verè dictus est *Raphael*, id est, medicina Dei, ab allata medicina Dei Tobiæ, ita verè dicitur *Azarias*, id est, auxilium Dei, ab allato Dei auxilio eidem Tobiæ cæco, filioque ejus iter agenti: & cùm *Ananias* significet gratiam Dei, rectè pariter & verè se Ananiæ, id est, gratiæ Dei, filium esse dixit; sunt enim Angeli omnes, ac consequenter & ipse Raphael, filii Dei per gratiam.

Aut se ex Tribu Nephthali esse respondēs.

Addes. Interrogatus à *Raguele* unde essent, ipse nimirum, & Tobias junior, quem ducebat, respondit, *Ex Tribu Nephthali sumus.* Ergo saltem ibi mentitus. Resp. neg. conseq. verè enim pro seipso & pro Tobia respondit dicens, *Ex Tribu Nephthali sumus*; ille, scilicet Tobias, est de Tribu Nephthali genere, ego protectione; ille per naturæ generationem, ego per specialem à Deo deputationem, qua deputatus sum ad Tribus *Nephthali* custodiam, & protectionem; vel etiam dici potest cum aliis, Raphaelem verum dixisse, dum pro Tobia & pro seipso respondit, *Ex Tribu Nephthali sumus*, de Tobia quidem verum dixit, quia verè erat de Tribu Nephthali de se verò, quia talis apparebat cùm esset cum Tobia juniore, ejusque ductor ac comes: in Scriptura autem res tales dici solent, quales apparent; sic Archangelus Gabriel apparens Danieli, & loquens ei sub specie viri, vocatur *vir Gabriel* ab ipso Daniele cap. 9. vers. 21. sic dicente, *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio*; sic strenui bellatores Tyri, *Pygmæi* vocantur apud Ezechielem cap. 27. vers. 11. quia Pygmæi apparebant è sublimibus turribus, ut notat *Didacus Celada in Tobiam cap. 7. vers. 3.*

Objicies 13. Scriptura divina varias interdum enarrat fabulas: Nam Judicum cap. 9. vers. 8. narrat fabulam *arborum* eligentium sibi Rhamnum in Regem. 2. Paralipomenon cap. 25. vers. 18. narrat fabulam *Cardui* à bestiis Libani conculcati in pœnam superbiæ, qua elatus petiit Cedri filiam in sui uxorem filii. Judith cap. 16. vers. 8. narrat *filiorum Titanum* fabulam. Isajæ cap. 34. vers. 14. fabulam *Centaurorum* enarrat; sicut & Amos cap. 5. vers. 8. fabulam de *Arcturo & Orione*. Ergo fabulas approbat divina Scriptura, ac proinde & mendacia varia.

Resp. perm. ant. neg. conseq. non enim illas, vel similes narrat divina Scriptura fabulas, ut approbet, tanquam narrationes veras; sed ut, iis utendo, se vulgi loquendi modo accommodet, aut ut per eas veritatem aliquam hominibus insinuet & annuntiet.

Nec unquam men-

Sic v. g. dum Judicum cap. 9. vers. 7. *Sichimitas* sic alloquentem inducit

cit *Joatham*: *Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem; dixeruntque Oliva: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite; sin autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani.*

dacia probat Scriptura, licèt fabulas interdû & apologos ad instruendum enarret.

Sic, inquam, hoc mirabili arborum apologo, docet *Joatham*, quàm stultè egerint *Sichimitæ*, cùm sceptrum regium, quod pii prudentesque omnes, per *olivam*, *ficum*, & *vitem* designati, hucusque meritò recusarunt, in impium parricidamque contulere, eligendo sibi in Regem *Abimelech* Rhamni nomine designatum, à quo nihil præter spinas, flammas, & extremum tandem interitum expectare possent.

Sic & 2. Paralip. cap. 25. vers. 18. cùm *Amasias* Rex Judæ provocasset ad bellum *Joas* Regem Israel longè potentiorem, *Joas* ad illum nuntios misisse fertur dicens: *Carduus, qui est in Libano, misit ad Cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: & ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, & conculcaverunt Carduum.* Ut sic hoc miro superbientis, & in pœnam superbiæ à bestiis conculcati Cardui apologo doceret, quàm stultè ageret *Amasias*, dum Regem seipso longè superiorem, videlicet *Joas*, ad bellum provocaret.

Sic & similibus aliis fabulis, fictisque narrationibus utitur interdum Scriptura divina; nec tamen mentitur ullo modo, nec mendacia probat ulla, quia hæ, similesque fictæ narrationes aliæ, mendacia non sunt, quia non ad decipiendum, sed ad quid majus significandum ordinatæ.

Objicies 14. Mendacio aliquo usus videtur ipse Christus Dominus, dum interrogatus de die ultimi judicii, respondit Marci cap. 13. vers. 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius hominis*; & iterùm dum rogatus à consanguineis, ut ascenderet templum, respondit Joan. cap. 7. vers. 8. *Ego non ascendo ad diem festum istum*; attamen posteà ascendit: ergo, &c.

Nullo denique usus mendacio Christus.

Resp. neg. ant. absolutè: nullo enim ibi, nec unquam alibi usus est mendacio, vel mendacii umbra Christus Dominus, qui via, vita, & veritas est. Dum autem dixit, Marci cap. 13. vers. 32. se diem judicii nescire, intendit dicere, se illum nescire diem, non absolutè, sed ut notum faciat illum; communis enim est responsio Patrum, Filium & ut Deum, & ut hominem, per scientiam infusam scire diem judicii, & consummationis sæculi; hoc enim scire ad ipsum pertinet, ut mundi judicem; Christus tamen se id scire negat, ut homo est, & ut Dei legatus erat ad nos missus, quia non ita sciebat diem illum, ut illum hominibus revelare posset, seu quia illum revelare non habebat in mandatis à Patre, sicut Regis legatus rogatus de secretis sibi à Rege creditis, verè respondet se ea nescire, etiam si illa sciat, quia nescit ut dicat, revelet & nota faciat. Sic se non ascensurum dicens, non absolutè, seu numquam & nullo modo ascensurum intelligit, sed palam & publicè in sensu quo rogabatur, ut ascenderet.

Se diem judicii nescire dicens.

Aut se in templum non ascensurum asserens.

Et re ipsa ascendit quidem posteà, non palam & publicè, sed quasi in occulto. Sic nec rogatus fefellit, nec eorum postulationem defraudavit; verum quippe fuit utrumque responsum ejus.

Instabis. Fingere est mentiri; sed narratur & approbatur de Christo, quòd interdum finxerit: ut dum cum duobus illis Discipulis prope *Emmaus*, Luc. cap. 24. vers. 16. *finxit se longiùs ire*: ut dum apparuit Magdalenæ sub specie hortulani, fingens se hortulanum esse. Ergo approbatur in Scriptura, quòd mentitus fuerit. Resp. dist. maj. Fingere fictione ad decipiendum ordinata, est mentiri. Conc. Fictione non ad decipiendum, sed ad aliquid majus significandum ordinata, quales fuere illæ Christi fictiones præfatæ. Neg. maj. quia alioquin omnes Scripturæ parabolæ, quæ fictæ narrationes sunt, mendacia essent; quod tamen dicet nemo, & apertè negat S. Thom. 3. part. quæst. 55. art. 4. ad 1. dicens: *Non omne quod fingimus mendacium est; sed quando illud fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium; cùm autem fictio nostra refertur in aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis; alioquin omnia quæ à sapientibus viris, vel etiam à Domino, figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur.*

Vel se longiùs ire fingens.

ARTICULUS XIII.

Conciliantur nonnulli sibi apparenter contradicentes divinæ Scripturæ textus.

CUm paratus esse debeat Theologus ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est spe, ejusque muneris sit, eos qui contradicunt arguere; &, ut loquitur Origenes in cap. 3. ad Romanos, *Contraria quæ videntur esse in Scriptura, non ita esse ostendere*. Ideò, ut discat Theologiæ Candidatus, eos conciliare divinæ Scripturæ textus, quos interdum, ut sibi contradicentes, in odium Scripturæ divinæ, & Religionis contemptum opponunt impii, nulliusque religionis viri; juvat hìc cursim designare nonnullos, & conciliare præcipuos, ut ex iis sic conciliatis, discat ipse jam doctor conciliare cæteros. Sed priùs ut generatim nullos esse constet,

CONCLUSIO.

Contradictionem esse aliquam in Scriptura divina, est impossibile.

Dico, *nullos esse verè, licèt apparenter plurimos, contradicentes sibi divinæ Scripturæ textus.*

Pr. 1. Quia cùm è duabus contradictoriis, una vera, altera falsa esse debeat, si in divina Scriptura textus sibi contradicerent aliqui, falsum diceret, & mentiretur nobis in Scriptura Deus: Sed Deum mentiri nobis, sive per se, sive per alium, est impossibile, ut visum est; ergo & impossibile aliquos contradicere sibi divinæ Scripturæ textus.

Pr. 2. Cùm contradictio sit affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem, seu de eodem subjecto formaliter sumpto, hoc est sub eadem ratione, & in eodem sensu considerato; ut duo Scripturæ textus dicantur contradicere sibi, unus debet affirmare, alter negare idem de eodem, & secun-

cundùm idem. Atqui ex iis omnibus divinæ Scripturæ textibus, qui vulgò circumferri solent, & nobis ut sibi contradicentes opponi, etsi numero multi, nulli tamen tales sunt, ut unus affirmet, & alter neget idem de eodem secundùm idem, & in eodem sensu, ut statim singulorum saltem insigniorum inductione, & conciliatione patebit. Ergo, &c.

Nec cōtradictiones sunt illæ, quibus dicitur in diverso sensu.

Ex Genesi.

1. Objicitur. Toto 1. Gen. cap. narratur Deum omnia successivè creasse, durante sex dierum spatio. Et Ecclesiastici cap. 18. vers. 1. dicitur econtrà, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*. Ergo contradicunt sibi duo illa Scripturæ capita; nam si successivè, & durante sex dierum spatio creavit omnia, ergo non simul. Resp. conc. ant. neg. conseq. Nullatenus enim contradicunt sibi, & facilè conciliari possunt illa duo capita, dicendo cum S. Thom. 1. q. 74. art. 2. ad 2. quòd *Deus creavit omnia simul, quantùm ad rerum substantiam quodammodo informem; sed quantùm ad formationem, quæ facta est per distinctionem & ornatum, non simul*. Unde quando Ecclesiasticus dicit omnia simul à Deo creata, loquitur de rerum creatione quoad substantiam; quando verò Gen. cap. 1. dicit Moyses omnia sex dierum spatio facta sive creata, loquitur de rerum creatione, quantùm ad formationem, distinctionem & ornatum, sex dierum spatio peracta; ac proinde ibi contradictio nulla.

1. Deū creasse omnia simul, & successivè.

2. Dicitur ibidem c. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et Joan. cap. 8. vers. 44. dicitur, *Vos ex patre diabolo estis*. Ergo sibi contradicunt duo textus illi; nam si ex patre diabolo sint homines; ergo non ad imaginem Dei: vel econtrà, si ad imaginem Dei, non ex patre diabolo. Resp. neg. conseq. Nulla enim est contradictio, hominem esse ad imaginem Dei, quoad naturam & in esse physico, ut vult prior ille textus; & esse ex patre diabolo, quoad malitiam & in esse morali, ut innuit posterior.

2. Hominē ad Dei imaginem factum, & ex patre diabolo esse.

3. Ibidem cap. 1. vers. 3. lux dicitur creata primo die, & vers. 16. luminare majus, seu Sol, sine quo neque dies, neque lux, dicitur quarto dumtaxat die factus. Atqui hæc sibi manifestè contradicunt; nam si dies & lux sint à Sole, quomodo ante Solem potuit esse dies, & lux dici primo die creata; Sol verò quarto dumtaxat die factus? Resp. neg. min. Sunt enim hæc minimè pugnantia sibi, quia, ut ait S. Thom. 1. quæst. 74. art. 1. ad 4. *Sol, aliaque luminaria dicuntur quarto die facta, non quòd eorum substantia sit de novo producta, sed quia sunt in aliquo modo formata, quo priùs non erant*. Et q. 70. art. 1. ad 2. ait *secundùm Augustinum: Nulla difficultas ex hoc oritur, quia lux, de qua prima die facta est mentio, fuit lux spiritualis, nunc autem, scilicet die quarta, fit lux corporalis. Si autem lux primo die facta intelligatur lux corporalis, oportet dicere quòd lux primo die fuit producta secundùm communem lucis naturam; quarto autem die attribata est luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus.... & propter hanc determinationem virtutis dicit Dionysius 4. c. de divinis nominibus, quòd lumen Solis quod primo die erat informe, quarto die formatum est*, imò & formata alia luminaria, *non quidem forma substantiali, sed per collationem determinatæ virtutis; ideò tamen non fit mentio à principio de eis, sed solùm quarta die, dicit Chrysostomus, ut per hoc removeat populum ab idololatria, ostendens luminaria non esse Deos, ex quo nec à principio fuerunt*, ut refert ibid. ad 1. S. Thomas.

3. Lucem primo die creatam, & quarto die Solem.

4. Di-

4. Deum quievisse ab omni opere die septimo, & usque modò operari.

4. Dicitur ibidem Gen. cap. 2. vers. 2. *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Atqui huic textui contradicit alter iste Christi, apud Joannem c. 5. v. 17. dicentis: *Usque modò Pater meus operatur, & ego operor.* Ergo, &c. Resp. neg. min. videlicet hos sibi contradicere textus; prior enim de operatione creationis, & posterior de opere conservationis & gubernationis loquitur. Quievit quidem Deus die septima ab opere creationis, cessando novas rerum species creare; sed non quievit ab opere conservationis & gubernationis, cùm continuò conservet atque gubernet primò creatas rerum species, nova continuò producendo, si deficiant, rerum omnium individua.

5. Enos cœpisse Deum invocare, & Abel munera obtulisse Domino.

5. Ibidem Gen. cap. 4. vers. 26. dicitur de *Enos*: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Sed huic textui repugnat alter, quo ibidem vers. 4. *Abel* Deo munera dicitur obtulisse, ac Deum consequenter invocasse ante *Enos*, cùm legatur ibi: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Ergo, &c. Resp. neg. pariter min. Ibi enim repugnantia nulla, quia dum *Enos* Deum invocare cœpisse dicitur, id ita intelligi debet, ut cœperit invocare nomen Domini, non quidem privatim, sed publicè, congregando piorum aliorum hominum cœtus, ad laudes, actionesque gratiarum Deo persolvendas, certosque præscribendo ritus, quibus religiosiùs & solemniùs quàm anteà coleretur Deus.

6. Dies hominis 120. annos esse prædictos, & ultrà vixisse priscos patres.

6. Ibidem Gen. cap. 6. vers. 3. dixit Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Atqui illud apertè contradicit pluribus sequentibus textibus, quibus constat, plures homines, etiam post *Noe*, vixisse ultra 120. annos; nam *Sem* filius *Noe* vixit 600. annos, *Arphaxad* 338. *Sale* 433. *Heber* 464. & sic de pluribus aliis. Ergo, &c. Resp. neg. min. quia in hoc Geneseos textu, non statuitur certus vitæ terminus cuilibet homini in particulari, sed toti generi humano tunc existenti pœnitentiæ spatium præscribitur, durante quo, nisi pœnitentiam egerit, minatur Deus, se eos omnes diluvio submersurum; imò sunt qui symbolicè illos accipiunt annos, pro magnis & Mosaicis annis, puta pro annis Jubilæi, ita ut quilibet annus quinquaginta vulgares complectatur annos; sicque 120. illi anni sumpti pro annis Jubilæi conficiant sex millia annorum vulgarium, quibus mundum duraturum asserunt.

7. Deum pœnituisse, & non esse hominem ut pœnitentiam agat.

7. Ibidem Gen. cap. 6. vers. 6. dicitur de Deo: *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra.* Sed huic textui repugnat alter iste, 1. Reg. cap. 15. vers. 29. de Deo dicens, *Neque enim homo est ut agat pœnitentiam.* Ergo, &c. Resp. neg. min. quia non ad litteram, sed metaphoricè sunt intelligenda illa divinæ Scripturæ verba, ubi Deum pœnitere dicit; loquitur enim de Deo Scriptura more humano, inquit S. August. 15. de civitate Dei c. 7. Unde dum Deum pœnitere docet, non secundùm affectum, sed effectum intelligi debet; non enim more pœnitentium, priorem revocat affectum Deus; sed retractat ea quæ fecit, & quæ retractanda decreverat, in tali circumstantia temporis.

8. Mathusalā 969. annos vixisse, & in arca Noe non fuisse.

8. Ibidem Gen. cap. 5. vers. 27. *Mathusala* dicitur 969. vixisse annos: *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.* Ac proinde dicitur ad finem usque diluvii vixisse, & consequenter in arca Noe fuisse tempore diluvii, cùm tot præcisè fluxerint anni à na-

nato Mathusala usque ad finem diluvii. Atqui hoc contradicit & repugnat sexto ejusdem Geneseos capiti dicenti, in arca Noe fuisse octo dumtaxat, scilicet *Noe*, *Sem*, *Cham*, & *Japheth*, cum sua quemque uxore. Ergo, &c. Resp. neg. min. Hæc enim facilè conciliari possunt dicendo, ultimum *Mathusalæ* vitæ annum non fuisse completum, sed dumtaxat inchoatum, cùm constet illum non fuisse in arca Noe, sed ut tradunt Hebræi, septimo ante inchoatum diluvium obiisse die. Quòd autem in Græca Septuaginta Interpretum versione legatur, illum quatuordecim post diluvium vixisse annos, mendum Græcæ versionis esse, post *Augustinum*, cum aliis, & Bellarmino, dicendum.

9. Dicitur ibidem cap. 11. vers. 26. quòd *Thare* 70. attigerat annos, quando genuit *Abrahamum*, & quòd mortuus sit Abrahamo 75. suæ ætatis annos computante; mortuus est enim Thare in urbe *Haran*, antequam egrederetur Abraham de *Haran*. Quando autem ex illa egressus est Abraham, 75. tantùm suæ ætatis computabat annos, juxta illud Geneseos c. 12. vers. 4. *Septuaginta quinque annorum erat Abraham cùm egrederetur de Haran*: quo posito sequitur 145. dumtaxat annos vixisse *Thare*. Atqui hoc apertè contradicit ultimo ejusdem undecimi capitis versui, illum 205. vixisse annos asserenti, sicque dicenti: *Et facti sunt dies Thare ducentorum & quinque annorum, & mortuus est in Haran*. Ergo, &c. Resp. gravem quidem ibi difficultatem esse, & inextricabilem olim à S. Hieronymo dictam; levem tamen solutuque facilem invenies, contradictionemque reperies nullam, si ad Samaritanum textum recurras; ex illo enim Samaritano textu, versum illum undecimi capitis ultimum, ducentos & quinque annos Thare vixisse dicentem, mendosum esse constabit, cùm anteriores Vulgatæ nostræ textus præfati, (ex quibus apertè illum 145. annos dumtaxat vixisse patet,) rectè congruant cum Samaritano textu, Gen. cap. 11. vers. 32. expresse dicente: *Et fuerunt dies Thare centum & quadraginta quinque annorum, posteà mortuus est Thare in Haran*.

9. Dies Thare fuisse 145. annorum, & mèdosè dici fuisse 205.

10. Dicitur denique ibidem cap. 46. vers. 26. quòd *cunctæ animæ quæ ingressæ sunt in Ægyptum, sexaginta sex fuerunt*. Et versu 27. immediatè sequenti dicuntur fuisse septuaginta: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta*. Imò & Actorum cap. 7. vers. 14. septuaginta quinque fuisse dicuntur sic: *Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque*; sed hæc dici nequeunt sine contradictione manifesta. Ergo. Resp. neg. min. ibi enim contradictio nulla; quia dum vers. 26. cunctæ animæ quæ ingressæ sunt in Ægyptum cum Jacob dicuntur fuisse 66. hoc in numero non includuntur *Jacob* & *Joseph*, nec duo Josephi filii, nimirum *Ephraim* & *Manasse*; qui quatuor si præfato addantur numero, reperientur septuaginta, id est tot, quot reperiuntur ingressæ versu 27. sequenti: & si istis insuper addantur quinque Josephi nepotes, ut re ipsa adduntur à Septuaginta Interpretibus, reperientur septuaginta quinque, qui est numerus Actorum cap. 7. expressus.

10. Animas in Ægyptũ ingresas dici uno in textu 66. & in alio 75.

Ex Libro Exodi.

11. Dicitur Exodi cap. 14. vers. 20. de nube Hebræos mare rubrum transeuntes ducente, *Erat nubes tenebrosa illuminans noctem*, quod manifestam involvit contradictionem; nam si tenebrosa nubes illa erat illuminans; ergo te-

11. Nubem Hebræos ducentem tenebrosã

fuisse, simul & illuminantem. tenebrosa & non tenebrosa, illuminans & non illuminans: Ergo; &c. Resp. hæc duo, de nube illa, rectè dici posse sine ullo contradictionis periculo; erat enim verè tenebrosa simul & illuminans, sed respectu diversorum, & secundùm diversam sui partem, anteriorem videlicet & posteriorem; tenebrosa nempe respectu Ægyptiorum, illuminans respectu Hebræorum, tenebrosa secundùm anteriorem sui partem, illuminans secundùm posteriorem: Angelus enim hujusmodi nubis quasi nauclerus ac moderator, qui solebat, Hebræis monstrando viam, præire, eorumque castra præcedere, eo tempore, quo fuit eis Mare rubrum transire jussum, & hostes insequerentur Ægyptii, migravit à fronte castrorum Hebræorum ad tergum; ut sic posita nubes inter Hebræos & Ægyptios insequentes, parte sui posteriore, quæ respiciebat Ægyptios, quæque densior atque latior erat, atque ideò tenebrosa, præpediret, & aspectum Ægyptiis, & eorum accessum ad Hebræos; & econtrà parte sui anteriore, qua respiciebat Hebræos, quæque lucida erat & flammea, ac proinde illuminans, monstraret Hebræis, nocte per mare transeuntibus, viam: & sic tenebrosa simul & illuminans dicitur nubes illa mirabilis, absque ulla contradictionis umbra.

12. Deum visitare iniquitatē patrum usque ad quartam generationem; & filium non portare iniquitatem patris.

12. Dicitur ibidem Exodi cap. 20. vers. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*. Sed oppositum docet alter iste Ezechielis textus dicens cap. 18. vers. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Ergo. Resp. neg. min. nullatenus enim sibi contradicunt illi duo textus, cùm prior loquatur de pœna temporali, posterior verò de pœna spirituali, privationis gratiæ videlicet, & damnationis æternæ; pœna autem temporalis transit in filios, non pœna spiritualis, excepto originali peccato, de quo non est hìc quæstio; vel, ut explicant alii, prior textus loquitur de filiis, iniquorum parentum mores imitantibus, posterior verò de filiis, iniquorum parentum vitia fugientibus.

13. Testimonii tabulas digito Dei, & à Moyse scriptas.

13. Dicitur ibidem cap. 31. vers. 18. *Dedit Dominus Moysi... duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei*. Et tamen ibidem cap. 34. vers. 28. dicuntur illæ testimonii tabulæ à Moyse scriptæ, dum dicitur: *Fuit ergo cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes; panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem*: ergo non digito Dei scriptæ. Ac proinde contradicunt sibi duo textus illi. Resp. neg. conseq. & inde sequi contradictionem ullam, si advertamus Moysen ob vituli adorationem indignabundum, acceptas à Deo tabulas, ipso Dei digito scriptas, confregisse; & duas alias prioribus similes præcidisse, & in eis, dictante Deo, fœderis verba scripsisse, juxta illud ibidem cap. 34. vers. 1. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*. Scribam, dictando videlicet. Prior ergo textus præfatus, quo digito Dei dicuntur scriptæ tabulæ, intelligitur juxta S. August. de prioribus tabulis à Moyse confractis; posterior verò de posterioribus à Moyse de novo præcisis, & Deo dictante conscriptis: & sic contradictio nulla.

Resp. 2. cum Cornelio à Lapide, & conformiùs ad Scripturam, & dico tam posteriores, quàm priores tabulas fuisse à Deo, & non à Moyse conscriptas; quando autem dicitur in secundo illo citato Exodi textu cap. 34. vers. 28. *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*, hoc non de Moyse, sed de Deo intelligi debet. Ut manifestè constat ex

eo

eo quòd Deus ibi verſ. 1. Moyſi promiſit ſe ſcripturum, in hujuſmodi tabulis ſecundis, verba fœderis quæ fuerunt in prioribus, dicens, *Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti*. Idque manifeſtiùs patet ex Deuteron. cap. 10. verſ. 1.2.3.4. ubi hæc eadem repetitur hiſtoria, & expreſsè notatur, Deum, & non Moyſen, ſcripſiſſe Legem ſeu verba decem, ſive Decalogum in hujuſmodi ſecundis tabulis à Moyſe præciſis & dolatis, dum ſic dicitur, *In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: facieſque arcam ligneam, & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas antè confregiſti, poneſque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis ſetim. Cùmque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem, habens eas in manibus. Scripſitque in tabulis juxta id, quod priùs ſcripſerat, verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus eſt: & dedit eas mihi*. Ex quibus manifeſtè conſtat, Deum, & non Moyſen has etiam poſteriores ſcripſiſſe tabulas, ac proinde non de Moyſe, ſed de Deo intelligi debet ille Exodi textus citatus, qui dicit cap. 34. verſ. 28. *Scripſit in tabulis verba fœderis decem*, & conſequenter ibi contradictio nulla inter duos præfatos Exodi textus, cùm uterque tabulas à Deo conſcriptas aſſerat.

Nec obſtat, quòd in eodem Exodi cap. 34. verſu immediatè præcedenti, ſeu verſ. 27. dicat Deus ad Moyſen, *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſrael pepigi fœdus*: Licèt enim hoc dicat Moyſi Deus, per hoc non probatur, Moyſen ſcripſiſſe has poſteriores teſtimonii tabulas, ſeu verba fœderis decem, ſive Decalogum in his poſterioribus tabulis, quia ibi verſ. 27. ſcilicet, dum dicit Moyſi Dominus: *Scribe tibi verba hæc, &c.* non loquitur Dominus de verbis ſeu præceptis Decalogi ſcriptis in tabulis illis, ſed de præceptis cæremonialibus, quaſi dicens: Hæc præcepta cæremonialia à me enumerata, cùm deſcenderis de monte, ſcribe in libro aliquo, in perpetuam mei cultus & fœderis memoriam; & re ipſa, Moyſes poſt ſuum è monte deſcenſum hæc ſcripſit, hìc in hoc Exodi libro. Vide C. à L. in Exodi cap. 34.

Ex Levitico.

14. Dicitur Levitici cap. 2. verſ. 1. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio; fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus*. Et contra ibidem c. 5. verſ. 11. dicitur: *Offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam; non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt*. Ergo, &c. Reſp. neg. conſeq. ibi enim de diverſo ſacrificii genere mentio fit; nempe de ſacrificio euchariſtico, ad gratiarum actiones pro beneficiis acceptis ordinato; & de expiatorio, ſeu de ſatisfactorio pro peccato. De priori ſacrificio loquitur prior textus, & de poſteriori poſterior; in iſto enim poſteriori pro peccatis ſacrificio, prohibetur & oleum & thus, quia iſta ſunt virtutis & lætitiæ ſymbola, quæ in peccatis locum non habent; imò quia oleum & thus ad delicias & jucunditatem conferunt, quæ à peccatore pœnitente procul abeſſe debent.

14. Oleum & thus in ſacrificio præcipi, & poſtea prohiberi.

15. Dicitur ibidem Levitici cap. 18. verſ. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*. Et tamen hujus oppoſitum præcipitur Deuteronom. c. 25. verſ. 5. dum dicitur: *Fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, & ſuſcitabit*

15. Turpitudinè uxoris fratris non

revelare, & defuncti fratris uxorem accipere.

tabit semen fratris sui. Ergo pugnantia dicunt duo textus illi. Resp. neg. conseq. quia prior Levitici textus prohibet solùm uxorem fratris ducendam, fratre adhuc vivente, vel eo mortuo, si liberos reliquerit. Alter econtrà Deuteronomii jubet ducendam, si frater sine liberis obierit: in quo repugnantia, sive contradictio nulla.

Ex Libro Numeri.

16. Caleb & Josue tantùm Terram promissam ingressuros, & Eleazarum fuisse ingressum.

16. Dicitur Num. cap. 14. vers. 29. *Omnes qui numerati estis à viginti annis & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun*. Et tamen summum Sacerdotem *Eleazarum*, licèt viginti annis majorem, in eam ingressum esse constat ex lib. *Josue* cap. 14. vers. 1. dicente: *Hoc est, quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun*. Ergo contradicunt sibi duo textus illi. Resp. neg. conseq. Verum enim esse illum utrumque textum clarè patebit, si attentè consideremus, hæc prioris textus comminatoria Moysis verba, dirigi ad Hebræos solùm illos, qui ad reditum exploratorum Terræ promissæ falsò detrahentium Terræ illi, quòd esset mala, murmuraverunt contra Moysen, dicentes: *Utinam mortui essemus in Ægypto! Nonne melius est reverti in Ægyptum?... Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum*. Quorum murmuris & rebellionis cùm non fuerit conscius Eleazar sacerdos, multique Levitæ alii, nec debuerunt eadem pœna, cum murmurantibus & rebellantibus, puniri, & promissa Terra privari; unde licèt illa privati fuerint murmuratores omnes, quotquot erant, hoc est sexaginta tria armatorum millia, quingenti & quinquaginta, quot nempe à vigesimo vitæ anno ad quinquagesimum numerati fuerant ab egressu ex Ægypto, quia omnes in deserto intra 40. annorum spatium tandem mortui, exceptis *Josue* & *Caleb*, & cùm hoc in numero non comprehendantur senes supra quinquagesimum ætatis annum, neque pueri, sive adolescentes infra vigesimum, nec fœminæ, neque Levitæ ulli; & ex istis omnibus licèt fuerint multi murmurantium & rebellantium criminis conscii, eademque pœna puniti: verisimile tamen est, ex illis insontes fuisse multos, ac proinde Terram promissam ingressos; nec obstat quòd ibid. Num. cap. 14. vers. 1. omnis turba vociferasse dicatur contra *Moysen* & *Aaron*, quia vox illa *omnis*, ibi limitatè, sive restrictivè sumenda, pro scilicet majori parte.

Ex Deuteronomio.

17. Fœnerari alieno, & mutuum dare nihil sperando.

17. Dicitur Deuteronomii cap. 15. vers. 6. *Fœnerabis gentibus multis*; & cap. 23. vers. 19. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*. Et econtrà Psal. 14. vers. 5. dicitur: *Quis habitabit in tabernaculo tuo? qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Et Luc. cap. 6. vers. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Contradicunt ergo sibi textus illi, cùm duo priores usuram approbent & permittant, quam duo posteriores reprobant & prohibent. Resp. neg. conseq. Usuræ enim jure naturali, divino & humano vetitæ, ex nullo ex iis textibus possunt colligi permissæ & approbatæ: nam dum priori dicitur, *Fœnerabis gentibus multis*, idem significatur ac si dicatur, *Mutuum dabis gentibus multis*. Ut colligitur 1. ex immediatè sequenti antithe-

tithesi, quæ sic est, *Et ipse à nullo accipies mutuum*. 2. Ex eo quòd in Hebræo, Chaldæo & Græco Septuaginta Interpretum textu legatur *mutuabis*; quod idem significat ac latinè ibi *fænerabis*, seu mutuum dabis. Et 3. quia hoc ipse indicat sensus; sensus enim est, quòd tanta tibi erit facultatum copia, ut possis non solùm contribulibus tuis, sed etiam gentibus aliis multis, mutuas dare pecunias, quin tu à nullo alio mutuas accipere cogaris. Ex altero verò ejusdem Deuteronomii textu, quo dicitur: *Non fæneraberis fratri tuo, sed alieno*; solùm colligi potest, usuras, licèt jure naturæ vetitas, Judæis tamen, ad duritiam cordis, fuisse exigi permissas, non à fratribus suis Judæis, sed ab alienis, idque ad majus vitandum malum, ne scilicet à fratribus suis usuras exigerent & extorquerent, eosque sic gravarent & opprimerent. Imò *S. Ambr. lib. de Tobia, cap.* 15. per alienos intelligit gentes hostiles, ut *Amalecitas, Amorrhæos, Chananæos*: sic enim ait, *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalec, nisi Amorrhæus, nisi hostes? ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere; ergo ubi jus belli, etiam jus usuræ*; quos ergo poterant occidere sine crimine, eorum & bona rapere, vel apertè, vel occultè, & dolosè per usuram. Idque permisit meritò Deus; potuit enim quatenùs rerum omnium Dominus, supremi dominii potestate, supercrescens Judæis concedere fœnus, sicque ad duritiam permittere, usuras ab alienis exigere, eo modo quo eisdem permisit olim Ægyptios spoliare, libellum repudii dare, & plures uxores habere, quamvis vetita hæc omnia. Verùm cùm hæc jamdudum cessaverit concessio, cùm cessaverint omnia Synagogæ privilegia, finierit & ipsa Synagoga, omnibus, etiam Judæis, jure naturæ vetita remanet usura.

Ex Libro Josue.

18. Dicitur Josue cap. 10. vers. 13. & 14. *Quòd stetit Sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit anteà nec posteà tam longa dies*: una enim dies facta est quasi duæ, ut dicitur Ecclesiastici cap. 46. vers. 5. Atqui 1. Paralip. c. 4. vers. 22. mentio fit de viro, qui etiam Solem stare fecit: & Isajæ cap. 38. vers. 8. dicitur quòd tempore Ezechiæ, *Sol reversus est decem lineis per gradus, quos descenderat*, sicque ter percurrit idem decem linearum spatium, fecitque sic diem circiter 32. horarum; ergo falsum est, quòd non fuerit umquam tam longa dies, quàm tempore Josue, ac proinde contradicunt sibi duo textus illi. Resp. neg. conseq. quia, ut notat Liranus, tempore *Josue*, statio Solis contigit in solstitio æstivo, & tempore *Ezechiæ* in hiemali; & ideò longior fuit Solis statio sub Josue, quàm sub Ezechia; cùm dies duplicata, in æstate correspondeat quadruplicatæ hiemali: respondent tamen communiter alii, in Josue Libro sermonem esse de longitudine diei respectu Palæstinæ, in qua tam longa dies numquam fuerat visa.

18. Tempore Josue solem stetisse spatio unius diei, nec fuisse diem anteà & posteà tã longam; & tempore Ezechiæ reversum esse solem decem lineis.

Ex Libro 1. Regum.

19. Dicitur 1. Regum cap. 13. vers. 13. *Dixitque Samuel ad Saul: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum.* Et jam longè antè fuerat promissum ejusmodi sceptrum tribui Ju-

19. Sceptrũ promitti permansurum in sempiternum in

Judæ, ut constat ex illo vaticinantis Jacobi Patriarchæ dicto, Gen. cap. 49. vers. 10. *Non auferetur sceptrum de domo Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Sibi ergo contradicunt duo textus illi, cùm unus, posterior scilicet, sceptrum in domo Juda usque ad Messiæ adventum permansurum promittat, & alter econtrà sceptrum idem Israeliticum, apud Saulis posteros in sempiternum permansurum prædicat. Resp. neg. conseq. quia non eodem modo promittunt, sive prædicunt *Sauli & Judæ* textus illi; prior enim conditionatè tantùm promittit Sauli; posterior non conditionatè, sed absolutè promittit Judæ; hoc est, Sauli promittitur sub conditione, seu ex hypothesi, quòd fideliter Dei mandata servasset; & quia longè antè præviderat Deus in suo decreto permissivo, Saulem à tali conditione deflexurum, & mandata sua non fideliter servaturum; ideò longè antè, absolutè, ore Jacobi prædicere potuit, sceptrum illud in domo Juda permansurum usque ad Messiæ adventum.

domo Juda, & in posteris Saulis.

Ex Libro 2. Regum.

20. Filios David Sacerdotes fuisse, & de tribu Juda, & non de tribu Levi.

20. Dicitur 2. Regum cap. 8. vers. ultimo: *Filii autem David Sacerdotes erant*, & tamen David non erat de tribu Levi, sed de tribu Juda, *in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*, inquit Paulus ad Hebræos cap. 7. vers. 14. ergo pugnantia dicunt duo textus illi. Resp. neg. conseq. quia licèt vox illa Hebraica *Chohen* significet Sacerdotem propriè dictum, usurpatur tamen interdum ad designandum principem, magnatem, præsidem, vel populi ducem, qui omnes, quia apud Regem ita familiares, ac Sacerdotes apud Deum; ideò per *catachresim* familiares apud Regem, seu Magnates & primi apud Regem vocantur interdum, ut in hoc casu filii David, Sacerdotes; quia filii David primi ad manum Regis erant, ut habetur 1. Paralip. cap. 18. vers. 17.

Ex Libro 3. Regum.

21. Templū dici cœptū & perfectū intra 7. annos, & 46. annis ædificatum esse.

21. Lib. 3. Reg. cap. 6. vers. 38. Templum Judaicum à *Salomone* ædificatum, dicitur cœptum & perfectum intra 7. annos, cùm fuerit cœptum anno regni Salomonis quarto, & perfectum undecimo, ut ibi expressè sic habetur; *Anno quarto fundata est domus Domini.... & in anno undecimo.... perfecta est in opere suo*; & tamen Joan. cap. 2. vers. 20. dicitur à Judæis non fuisse ædificatum nisi intra 46. annos, *Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* ergo contradicunt sibi duo textus illi. Resp. neg. conseq. quia non de Templo à Salomone primitùs ædificato loquuntur Judæi, sed de Templo ab Herode reædificato; ter enim ædificatum legitur Templum Jerosolymitanum, scilicet primò à Salomone per 7. annos, juxta illud lib. 3. Reg. cap. 6. vers. 38. *Ædificavitque eam annis septem*, scilicet domum Dei sive Templum. Secundò post reditum è captivitate Babylonica Templum hoc à Chaldæis combustum, reædificatum est à *Zorobabele*, & sociis, ut habetur lib. 1. Esdræ cap. 3. vers. 6. Tertiò denique reædificatum est ab *Herode* Ascalonita, qui hanc tertiam Templi fabricam cœpit, Josepho teste lib. 15. antiq. c. 14. anno regni sui 18. Unde cùm Christus natus sit anno regni Herodis 35. sequitur à cœpta illa tertia Templi Herodis fabrica, usque ad nativitatem Christi, fluxisse annos 16. quibus si addantur 30. anni vitæ Chri-

Christi, reperientur 46. anni; nam anno trigesimo vitæ Christi, quo baptizatus est, & cœpit prædicare Christus, contigit hæc Christi cum Judæis disputatio, in qua dixere Judæi Christo, *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* ac proinde ibi contradictio nulla, & benè conveniunt duo textus præfati: quòd autem ibi loquantur Judæi de hoc tertio Herodis Templo, patet tum ex hoc quòd quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, tum quia ly *hoc* demonstrat & indicat Templum præsens, quale erat tunc Templum reædificatum ab Herode, non verò duo priora, *Salomonis* scilicet, & *Zorobabelis*, jam diruta & eversa. Quòd si quis objiciat hoc Herodis Templum, juxta Josephum loco citato, fuisse ab Herode octo annis perfectum, id de eo quoad primarias & præcipuas partes spectato intelligi, dicendum; nam in eo perficiendo & exornando, quoad alias, multis annis laboravit per se, vel per suos posteros Herodes usque ad annum Christi trigesimum.

22. Dicitur etiam 3. Reg. cap. 15. vers. 14. de Rege Asa: *Excelsa autem non abstulit*; & econtrà, 2. Paralip. cap. 14. vers. 2. *Fecit autem Asa quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subvertit altaria peregrini cultus, & excelsa;...*& vers. 5. *Et abstulit de cunctis urbibus Juda aras, & fana*. Sed hæc nequeunt sine contradictione dici. Ergo, &c. Resp. neg. min. Erant enim, apud Judæos, duplicis generis excelsa, hoc est altaria, templaque in altioribus locis erecta, videlicet alia quæ erant falsis numinibus dicata, alia quæ vero Deo sacra; priora abstulit & evertit Asa, ut habetur 2. Paralip. posteriora verò non abstulit, ut habetur loco citato 3. Regum, & sic veri sunt, nec sibi contradicunt textus præfati.

22. Regem Asa excelsa abstulisse, & non abstulisse excelsa.

Ex Libro 4. Regum.

23. Dicitur 4. Regum cap. 8. vers. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset*, & tamen dicitur 2. Paralip. cap. 22. vers. 2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset*; ergo, duos inter illos textus, manifesta contradictio. Resp. mendosum illum 2. Paralip. cap. 22. textum, ac vitiatum esse, in eoque ponendum ac legendum esse, *viginti duorum*, ut 4. Regum cap. 8. legitur, non *quadraginta duorum*. Ratio est; 1. quia tam in Syriaco, quàm in Arabico textu legitur *viginti duorum*, & non *quadraginta duorum*. 2. quia aliter sequeretur dicendum *Ochoziam*, suo patre *Jora*, biennio seniorem fuisse; nam *Ochozias* statim & immediatè post patrem suum *Joram* cœpit regnare; vixit autem *Joras* pater quadraginta dumtaxat annos; ergo si quadraginta duorum annorum fuisset Ochozias cùm regnare cœpit, & cœpit immediatè post patrem, qui erat quadraginta dumtaxat annorum, sequitur evidenter dicendum *Ochoziam* fuisse, suo patre *Jora*, biennio seniorem, quod est plusquam absurdum.

23. Ochoziā 22. annorū dici, & mendosè 42. quando regnare cœpit.

Ex Libro 1. Paralipomenon.

24. Dicitur 1. Paralipomenon cap. 2. vers. 15. quòd David fuerit *Septimus & ultimus filius Isai*. Et tamen 1. Regum cap. 16. vers. 11. dicitur quòd cùm septem filios suos coram Samuele adduxisset Isai, & ab eo petiisset Samuel, *Numquid jam completi sunt filii? qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves*, videlicet David; ergo septimus, & non septimus,

24. David septimū dici Isai filiū, & post septimum à patre corā Samuele ductum.

mus, sed octavus fuit David. Resp. verè septimum & ultimum fuisse David; tamen quia præter septem à se genitos, alium octavum habebat *Isai* filium adoptivum, nempe *Jonathan* filium Samaa, seu nepotem ex tertio filio suo Samaa, quem cùm haberet domi, etiam & eum sistere voluit coram Samuele, ne fortè is esset, quem eligeret Deus in Regem; & ideò verè David septimus & ultimus *Isai* filius dictus, licèt illum alium octavum adoptivum habuerit Isai filium.

Ex Libro 2. Paralipomenon.

25. Zachariam esse interfectũ in atrio domus Domini, & occisum inter templum & altare.

25. Lib. 2. Paralip. cap. 24. vers. 21. Zacharias dicitur *interfectus in atrio domus Domini*. Et tamen Matth. cap. 23. vers. 35. dicitur occisus inter templum & altare, *quem occidistis inter templum & altare*. Ergo non conveniunt, sed secum pugnant duo textus illi. Resp. facilè conciliari posse textus illos, dicendo templum, sive domum Domini, sumi posse strictè, vel latè; templum Dei strictè sumptum significat solam partem tectam, largè verò sumptum significat totum spatium muris clausum, ac proinde quatenus aream comprehendit, in qua erat sub dio altare holocaustorum; quando autem Zacharias dicitur occisus *in atrio domus Domini*, ly *domus Domini*, sive templum sumitur strictè; quando verò dicitur occisus inter templum & altare, sumitur latè, pro toto spatio muris clauso, ita ut sensus sit, quòd sit occisus inter templum muris clausum, & altare holocaustorum, sub dio positum.

Ex Libro Job.

26. Job dicere se peccasse, & se ipsum non reprehendere cor suum in omni vita sua.

26. Lib. Job cap. 7. vers. 20. Job dixisse fertur, *Peccavi, quid faciam tibi ò custos hominum?* Et tamen cap. 27. vers. 6. dicit idem, *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*; ergo sibi manifestè contradicit. Resp. neg. conseq. dum enim priori loco dicit, *Peccavi*, loquitur de levi aliquo peccato, suam ante tribulationem commisso; cùm econtrà dicit, *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*, loquitur de gravibus illis peccatis sibi ab amicis suis objectis, seu de peccatis illis gravibus, quæ conscientiam stimulare solent & torquere.

27. Elephãtũ esse principium viarum Dei, & multa ante illum à Deo producta.

27. Dicitur ibidem cap. 40. vers. 14. *Ipse elephas est principium viarum Dei*, sed hoc apertè contradicit primo Geneseos capiti recensenti multa alia à Deo producta, antequam elephas, cæteraque omnia producerentur animalia. Ergo, &c. Resp. neg. min. quia dum elephas ibi dicitur principium viarum Dei, non id in eo sensu dicitur, ut intelligatur quòd sit prima creatura, seu res primò à Deo producta, sed solùm quòd sit præcipuum omnium operum, animaliumque terrestrium, tum ratione magnitudinis, tum ratione fortitudinis, tum ratione docilitatis, & quasi prudentiæ naturalis, qua & sui heri, rectorisque sui linguas intelligit, & plura alia ferè incredibilia præstat elephas.

Ex Libro Psalmorum.

28. Tacuisse Prophetã, & clamasse tota die.

28. Psalmo 31. vers. 3. dicit Propheta Regius: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*. Ubi sibi manifestè contradicit Propheta: nam si tacuit, quomodo clamavit; si clamavit, quomodo tacuit? ergo, &c.

&c. Reſp. neg. ſibi ipſi contradicere Prophetam, quia non eodem ſenſu, nec de eodem tacuit & clamavit, tacuit enim ab imploratione veniæ, ſuique peccati confeſſione; adulterii videlicet cum *Uriæ* uxore commiſſi, quod per novem menſes ſilentii velamine texit, nec confeſſus eſt, donec publicè fuerit increpatus à Propheta; dum interim clamaret tota die, ob oſſa morbo inveterata, ob dolorem in delicti pœnam à Deo miſſum.

29. Litteraturam non cognoviſſe, & ſuper docẽtes ſe intellexiſſe.

29. Pſalmo 70. verſ. 15. idem Propheta pſallens ait: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*. Et tamen Pſalm. 118. verſ. 99. ait: *Super omnes docentes me intellexi*. Sibi ergo manifeſtè contradicit; nam ſi litteraturam non cognovit, quomodo ſuper docentes ſe intellexit; vel econtrà ſi ſuper docentes ſe intellexit, quomodo litteraturam non cognovit? Reſp. ibi non contradictoriè, ſed ſapienter loqui Prophetam; dum enim ait, ſe litteraturam non cognoſcere, intelligendus eſt loqui de profana & humana ſcientia, vel eloquentia; dum econtrà dicit ſe intellexiſſe ſuper omnes docentes ſe, intelligendus eſt loqui de ſcientia ſalutis, ſive de neceſſariis ad Deum laudandum, & colendum; ita ut dum ait: *Quoniam non cognovi litteraturam*, idem ſit, ac ſi dicat, Quoniam non ſum in humana ſcientia & eloquentia verſatus, cùm ſemper vel paſtor ovium fuerim, vel miles, tamen *Introibo in potentias Domini*, id eſt, inquit *S. Hieronymus*, Ingrediar ad contemplanda & miranda Dei omnipotentis opera, hæc mihi pro Libris & Magiſtris erunt, & ſatis ſuperque docebunt noſſe, laudare & colere Deum, & *hæc* ſcientia mihi abundè ſufficit, quam docuiſti me à juventute mea, imò à pueritia, vel per inſpirationem internam, vel per pios parentes meos; quando verò dicit: *Super omnes docentes me intellexi*, id eſt pluſquam omnes docentes me intellexi, quid neceſſariò agendum ſit, vel expediat, videlicet ad ſalutem, de qua verè dicitur Luc. cap. 10. verſ. 42. *Porrò unum eſt neceſſarium*.

30. Mendacẽ eſſe omnem hominem, & non mẽtiri Prophetã hoc aſſerentem.

30. Pſallit idem Pſalm. 115. verſ. 2. *Omnis homo mendax*. Cui dici poteſt & objici, ſi omnis homo mendax: ergo & tu, ergo tam falſa tua ſcientia quàm mendax & tu; ſi verò tu non mendax, ergo non omnis homo mendax, ergo, &c. Reſp. notandum eſſe cum ſancto Juliano Toletano Epiſcopo, quid præmittat Propheta, ait enim: *Ego dixi in exceſſu meo*: *Omnis homo mendax*, id eſt ego in exceſſu mentis meæ, id eſt in elevatione mentis meæ ſupra hominem, dixi, *Omnis homo mendax*; ego autem in quantum homo ſum, mendax ſum ſicut cæteri; ſed in quantum per exceſſum mentis ſuper hominem fui, non ſum mendax, ac proinde, dum hæc dixi, verum dixi, nec mihi ullatenus contradixi.

Ex Libro Proverbiorum.

31. Reſpondere & non reſpondere ſtulto, juxta ſtultitiã ejus.

31. Dicitur Proverb. c. 26. v. 4. *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*; & verſ. 5. immediatè ſequenti, *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*; ergo ibi contradictio manifeſta. Reſp. neg. conſeq. quia licèt ibi reſpondere, & non reſpondere ſtulto, doceant illi duo textus, non tamen in eodem ſenſu, & in iiſdem circumſtantiis; nam prior ſic intelligendus, ut doceat non imprudenter reſpondendum ſtulto, verbis ſcilicet reciprocis, hoc eſt ſpurca & probroſa, ab illo prolata, in ipſum regerendo verba; quia id fruſtrà fieret, idque eſſet eum imitari, eique ſimilem fieri; poſterior verò docet, ſtulto tamen eſſe reſpondendum interdum, maximè quando ejus ſtultitia vergit in offenſam Dei, non

quidem verbis, sed loco verborum reponendo verbera, puniendo scilicet & corrigendo illum, non zelo vindictæ, sed justitiæ, vel charitatis. Ne si fortè impunitus abeat, deterior fiat, & petulantior evadat.

32. Salomonem fuisse stultissimũ virorum, & præcessisse omnes sapientia.

32. *Salomon*, qui libri Proverbiorum auctor est, sicut & Ecclesiastæ, ac Cantici canticorum, ait cap. 30. Prover. vers. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum*; & econtrà in lib. Ecclesiastæ cap. 1. vers. 16. dicit: *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem*. Ergo ibi manifesta contradictio. Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est, quia quamvis certum sit hos tres præfatos libros, videlicet Proverbiorum, Ecclesiastæ, & Cantici canticorum genuinos esse Salomonis libros, dubium tamen est, utrùm Salomon sit auctor duorum ultimorum capitum libri Proverbiorum, licèt certum sit, illa duo capita esse æquè canonica ac reliqua alia: ratio dubitandi oritur ex eo, quòd initio capitis penultimi seu trigesimi ejusdem libri leguntur verba ista: *Verba Congregantis filii Vomentis, &c.* Et initio capitis ultimi reperiantur ista: *Verba Lamuelis Regis, &c.* Quæ non videntur convenire Salomoni, & sic nihil inde concludi potest, nec dici, sibi Salomonem contradicere.

Ex Libro Ecclesiastæ.

33. Unum esse interitũ hominis & jumentorũ, & spiritum hominis ad Deum redire.

33. Dicitur Ecclesiastæ cap. 3. vers. 19. *Unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento ampliùs.... Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Et tamen ibidem cap. 12. vers. 7. dicitur: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*; Ergo pugnantia dicunt illi duo Scripturæ textus. Resp. neg. conseq. Loquitur enim Scriptura in priori illo textu in persona & sententia hominum carnalium, & voluptatibus corporeis ita indulgentium, ut sibi persuadere nitantur, non aliam post mortem superesse vitam, morique homines sicut & bruta, etiam quoad animam; in posteriori verò loquitur in persona atque sententia hominum verè fidelium, pièque ac verè de immortalitate animæ, & de altera post mortem futura vita, sentientium; unde nulla, duos inter illos textus, pugna.

Ex Libro Ecclesiastici.

34. Monere ut non indigeat, & velle ut omnia vendat homo.

34. Dicitur Ecclesiastici cap. 40. vers. 29. *Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quàm indigere*; sed hic textus apertè pugnat cum isto Christi apud Matth. cap. 19. vers. 21. dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; ergo, &c. Resp. neg. min. Prior enim ille Ecclesiastici textus solam damnat otiosi hominis inertiam, quæ illum ad egestatem & mendicitatem redigat, sed non paupertatem Euangelicam, quam Christus in posteriori textu, hominibus ad perfectionem aspirantibus suadet & inspirat.

Ex Isaja.

35. Dicitur Isajæ cap. 58. vers. 1. *Clama, ne cesses*; & Paulus ad Eph. cap.

cap. 4. vers. 31. econtrà dicit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis*. Ergo, &c. Resp. neg. conseq. Ratio est quia alius est clamor, qui de prædicatione, vel postulatione veniæ, alius qui de ira procedit, & hunc qui de ira procedit, prohibet clamorem Apostolus, non alterum qui de prædicatione, vel de postulatione veniæ peccatorum oritur, quem imperat Isajas, & qualis est ille, quo Propheta Regius ait: *De profundis clamavi, &c.* & alibi, *Voce mea ad Dominum clamavi*.

35. Præcipere ut clamet & non cesset, & velle ut omnē clamorem tollat.

Ex Jeremia.

36. Dicitur Jeremiæ cap. 36. vers. 30. contra Regem Joakim: *Non erit ex eo qui sedeat super solium David*, & lib. 4. Regum cap. 24. vers. 5. dicitur: *Et dormivit Joakim cum patribus suis: & regnavit Joachin filius ejus pro eo*. Contradicunt ergo sibi duo textus illi. Resp. neg. conseq. Ratio est quia etsi solium David conscendere tentaverit *Joachin* filius *Joakim*, per tres circiter menses, jure sibi devoluto sceptro: tamen quia non pacificè sedit in eo, sed abductus in Babylonem cum sua universa familia, ideò non est sedisse dicendus; posteri verò ejus, Reges verè non fuere, sed ad summum quasi duces, vel Regibus Persarum tributarii principes.

36. Nullum esse futurū ex Joakim qui regnet, & regnasse filium ejus.

Ex Ezechiele.

37. Ezechielis cap. 1. vers. 12. de quatuor mysticis animalibus ab Ezechiele Propheta visis dicitur: *Illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent*. Et econtrà ibidem vers. 14. de iisdem asseritur, *Et animalia ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis*. Contradictoriè loquitur ergo Propheta. Resp. neg. conseq. In priori enim textu significat solùm, hæc animalia ita fuisse ad obediendum suo aurigæ Deo parata, ut illuc rectà pergerent, quò ducebantur, quin retrocederent, vel deviarent usquam, ut solent interdum in loco declivi, nimis oneratum currum trahentes, vel protervi, aut fræni impatientes equi: in posteriori verò indicat solùm, eadem animalia, eo ipso, quo præscriptam sibi cursus metam attigerant, eodem impetu, eademque velocitate fuisse reverti solita, ad aliò pergendum, quocumque ducere vellet auriga Deus.

37. Animalia mystica illuc gradi nec reverti, & ire ac reverti.

Ex Daniele.

38. Dicitur Danielis cap. 1. vers. 21. *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri Regis*; & iterùm cap. 6. vers. 28. *Porrò Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ*. Et tamen cap. 10. vers. 1. dicitur: *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli*. Ergo contradicunt sibi textus illi, cùm prior, primo regni Cyri anno Danielem obiisse significet, & posterior, tertio ejusdem Cyri anno eumdem adhuc vivere notet. Resp. neg. conseq. quia in priori significatur solùm Danielem in Regis aula, maximoque in honore & gloria, usque ad primum Cyri regnantis annum fuisse, hoc est, toto tempore captivitatis, servitutis & Babylonicæ Judæorum afflictionis; quod non excludit, eumdem Danielem, relicta aula, & Jerusalem reversum, privatam adhuc per duos annos egisse vitam, usque ad tertium Cyri regis annum, ut posterior indicat textus.

38. Danielē fuisse usque ad annum primū Cyri, & esse anno tertio Cyri Regis.

39. Darium esse Assueri filium, & Assuerum Dario posteriorem esse.

39. Danielis cap. 9. vers. 1. dicitur Darius Assueri filius, *Anno primo Darii filii Assueri*; & tamen 1. Esdræ cap. 4. vers. 6. & Esther cap. 1. vers. 1. Assuerus longè posterior *Dario* dicitur; ergo Darii pater dici nequit; ergo, &c. Resp. neg. conseq. quia dum ibi Darius Assueri vocatur filius, idem est ac si dicatur filius Magni principis, seu Regis Medorum, nempe Astyagis; *Assuerus* enim non erat nomen proprium, sed commune Regibus Medorum, sicut *Artaxerxes* Regibus Persarum: unde est quòd *Cambyses*, & maritus Esther, aliique secundæ Monarchiæ reges vocentur nunc *Assueri*, nunc *Artaxerxes*, prout *Medis*, vel *Persis*, quibus utrisque præerant, proprio gentium illarum nomine contingebat eos appellari.

Ex Matthæo.

40. Joannē non mãducare neque bibere, & escam ejus esse locustas & mel.

40. Dicitur Matth. cap. 3. vers. 4. de Joanne, *Esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre*. Et tamen posteà cap. 11. vers. 18. de eodem legitur, *Venit Joannes neque manducans, neque bibens*. Ergo sibi manifestè contradicit ibi S. Matth. Resp. neg. conseq. Quia etsi locustis, & silvestri nutriretur melle & aqua Joannes; tamen quia ille cibus & potus, ita parcus, vilis, & alienus erat, nedum à lautioribus, sed etiam à vulgaribus Judæorum mensis, ut pro nullo sit reputandus, eo ferè modo, quo parum pro nihilo reputari solet.

41. Non ire in viam gētium, & docere omnes gentes.

41. Ibidem Matth. cap. 10. vers. 5. legitur Christum suis dixisse Apostolis, *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*; & tamen cap. 28. vers. 19. ejusdem Matth. eisdem à Christo dictum legitur, *Euntes docete omnes gentes*. Ergo contradictoria præcipiuntur ibi. Resp. neg. conseq. Hæc enim contradictoria non esse, facilè percipiet quisquis tempora, quibus hæc fuere præcepta, perpendet. Hos siquidem duodecim, quos fecit Apostolos Christus, misit primò ad prædicandum Euangelium, ut officium, ad quod vocati erant, obire inciperent, & quasi tyrocinium sub se ponerent, quod deinde Sacerdotes & Episcopi consecrati Spirituque sancto roborati, post mortem, & ascensionem Christi plenissimè prosequantur & consumment: ut verò jam initium à faciliori palæstra ducant, vetat eis, ne Judææ fines transiliant, & se ad Gentiles conferant, dum ait, *In viam gentium ne abieritis*. Ubi verò planè roborati fuerint & experti, præcipiet eis, ut per universum terrarum orbem Euangelium prædicent, dum post resurrectionem dicet eis: *Euntes docete omnes gentes*. Unde patet, non hìc contradictoria præcipi, cùm hæc non sint pro eodem, sed pro diversis temporibus, à Christo prolata.

42. Nō possidere pecuniā, neque peram, neque virgam in via; & tollere virgam in via.

42. Christus, Matth. cap. 10. vers. 9. prohibet suis Discipulis virgam deferre, dicens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo*. Et tamen Marci cap. 6. vers. 8. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*. Ergo, &c. Resp. nullo modo sibi contrarios esse textus illos, si eos cum *S. Juliano* Toletano Episcopo sic intelligamus, ut cùm Christus ordinaverit, ut hi qui Euangelium annuntiant, de Euangelio vivant, cùm dignus sit operarius mercede sua; seu dederit potestatem Euangelium annuntiantibus de Euangelio vivendi: ideò præcepit eis Matth. cap. 10. ut nulla vitæ necessaria secum deferant, imò nec virgam, id est, nec minimas quidem res, ibi per virgam intellectas. Dum verò Marci 6. dicit eisdem, *nisi virgam tantùm*,

per

per hoc intelligit solum jus, vel solam illam Euangelium annuntiandi, & de Euangelio vivendi potestatem, *virga* nomine significatam, per quam, etiam quæ non portantur, invenient.

43. Ibidem Matth. cap. 26. vers. 29. ait Christus: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Et tamen Actorum cap. 10. vers. 41. testatur S. Petrus se, & alios post resurrectionem cum illo manducasse, & bibisse, dicens: *Manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*. Ergo pugnantia dicunt hi duo textus. Resp. neg. conseq. quia etsi Christus Dominus post resurrectionem suis cum Apostolis manducaverit, & biberit vinum naturale, seu de genimine vitis, non tamen consueto & ordinario modo, nec ad serviendum naturæ necessitati, quo solo modo, negaverat ante Passionem, se deinceps cum illis comesturum & bibiturum, sed solùm ad majus suæ veræ Resurrectionis indicium. 43. Christū non bibiturum de hoc genimine vitis usque, &c. postea post Resurrectionem bibisse.

Ex Marco.

44. Marci cap. 11. vers. 13. dicitur de Christo, quòd *cùm vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in ea; & cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet*. Et ut loquitur Matth. cap. 21. vers. 19. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea*. Ergo, inquies, contradicere videtur sibi Christus exsiccando, & arefaciendo arborem illam à se productam, exigendo fructus ab ea, præter virtutem illi in productione datam, & extra tempus his producendis à natura destinatum. Resp. neg. conseq. ibi enim nulla contradictio, sed mira Christi sapientia. Voluit siquidem Christus supremus rerum omnium Dominus, hoc signo manifestare Judæis, arefaciendo videlicet arborem illam, quamvis ex se nihil tale promeruerit, multò magis & à fortiori Synagogam illorum, licèt arborem à Deo plantatam & excultam, brevi, subtracto cœlestium gratiarum humore, arefactum, reprobatum, & eradicatum iri, quia nihil Deo offerentem præter mera sterilium cæremoniarum folia, cùm illud sit inter arbores & homines discrimen, ut illæ non nisi certo anni tempore fructus dare, isti verò toto vitæ suæ tempore teneantur benefacere, & dignos pœnitentiæ fructus afferre. 44. Produxisse ficum, & exsiccasse eam non ferentē fructus extra tempus.

Ex Luca.

45. Lucæ cap. 2. vers. 34. de Christo dicitur à Simeone: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Et cap. 9. vers. 56. econtrà dicitur: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Sed hæc sibi manifestè contradicunt. Ergo, &c. Resp. neg. min. Quia dum Lucæ c. 2. Christus dicitur positus in ruinam multorum, sensus est, non quòd debeat esse causa formaliter, per se, & directè ruinæ multorum, sed solùm occasionaliter, per accidens & indirectè, quatenus multi ejus gratiæ, doctrinæque resistentes, majorem sibi damnationem acquirent. 45. Christū positū esse in ruinam multorum, & non venisse perdere sed salvare.

46. *Matthæus* & *Lucas* sibi manifestè contradicunt in texenda Josephi, B. Mariæ, & Christi genealogia, cùm Matthæus dicat c. 1. v. 16. Joseph fuisse filium Jacob, dum ait, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de* 46. Joseph esse filium Jacob, & esse filium Heli.

qua natus est Jesus; & Lucas econtrà dicat eum fuisse filium Heli, sive Joachim, dum cap. 3. vers. 23. sic ait, *Joseph qui fuit Heli*. Ergo, &c.

Resp. 1. ibi sibi non contradicere Matthæum & Lucam, quia, ut explicant SS. PP. *Justinus*, *Ambrosius*, *Hieronym.* & *Thomas*, imò & *S. August.* 2. Retract. cap. 7. Joseph fuit verè filius naturalis Jacob, & filius legalis Heli: Lex enim jubebat, quòd mortuo fratre sine liberis, frater ejus superstes viduam ejus in uxorem duceret, ut mortui fratris semen suscitaret, seu prolem, quæ familiæ nomen retineret & hæreditatem. *Jacob* autem & *Heli* erant fratres, & cùm sine liberis mortuus esset *Heli*, *Jacob* frater ejus duxit in uxorem viduam ejus, è qua genuit *Joseph*, qui ideò verè fuit naturalis filius *Jacob*, & filius legalis *Heli*; dum autem Matthæus dicit *Joseph* fuisse filium *Jacob*, & Lucas dicit illum fuisse filium *Heli*, Matthæus loquitur de filio naturali, Lucas verò de filio legali, sicque sibi nec contradicentes nec oppositi. Verùm quia hæc responsio non satisfacit omnibus, ex eo quòd *Jacob* & *Heli* non fuerint fratres germani ex eodem patre nati, sed uterini tantùm; pater enim *Jacob* erat *Mathan*, ut ait Matthæus ibid. cap. 1. & pater *Heli* erat *Mathat*, ut ait Lucas pariter ibid. cap. 3. Lex autem jubens fratri sine liberis mortuo suscitare semen à superstite fratre, loquitur de fratribus germanis ex eodem patre natis, qui soli jus habebant retinendi nomen & hæreditatem; ideò aliqui

Respondent 2. cum Cor. à Lap. in Luc. & dicunt, *Joseph* dici à Luca fuisse *Heli*, dum sic ait, *qui fuit Heli*, non quòd fuerit filius *Heli*, sed quia fuit gener *Heli*, seu sponsus B. Mariæ filiæ *Heli*; unde est, quòd *Lucas* non utitur verbo *genuit*, quo utitur *Matthæus*, sed verbo *fuit*, ut indicet, quòd licèt Joseph fuerit Heli, non tamen fuit filius Heli, sicut dum infrà dicit, *Adam qui fuit Dei*, licèt Adam non fuerit filius Dei, sed solùm plasma vel opus Dei, quia à Deo non genitus Adam, sed plasmatus, sicut & ipse Matthæus pariter cap. 1. vers. 6. dum dixit, *David Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ*, per ly *quæ fuit Uriæ* noluit dicere, quòd *Bethsabee*, ex qua David genuit Salomonem, fuerit filia *Uriæ*, seu genita ab Uria, sed solùm quòd fuerit uxor *Uriæ*, quam, post Uriæ mortem, suam in uxorem duxit David, & ex qua Salomonem genuit.

Respondent 3. alii apud eumdem, & dicunt, quòd sicut Christus censetur & dicitur filius Joseph, licèt non sit genitus à Joseph, sed ex eo solùm quòd sit filius sponsæ Joseph, scilicet Mariæ, ita & Joseph censeri potest, & dici fuisse *Heli*, licèt non fuerit ex *Heli* natus, sed ex eo præcisè quòd sit sponsus Mariæ filiæ *Heli*, præsertim cùm vir & uxor per conjugium fiant unum, & quasi una persona civilis, habeantque communia omnia.

Ex Joanne.

47. Testimonium Christi non esse verum, & testimonium Christi esse verum.

47. Christus apud Joannem cap. 5. vers. 31. ait: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Et econtrà cap. 8. vers. 14. *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum*. Ergo ibi manifesta contradictio. Resp. neg. conseq. quia hi duo textus, non sub eodem, sed sub diverso sensu à Christo prolati; nam in priori loquitur de suo testimonio de seipso prolato; in posteriori verò loquitur de suo quidem testimonio, sed non solo, sed sui Patris testimonio firmato. Unde in priori dicit, & gratis, quasi permittens, *testimonium meum non est verum*, id est, fir-

firmum & sufficiens vestro judicio; quia testimonium unius, juxta vulgarem hominum sententiam, non est firmum, & à fortiori quando est unius de seipso testantis. In posteriori verò dicit, *testimonium meum est verum*, quia non unius tantùm, sed duorum, mei scilicet, & Patris mei testimonium perhibentis de me, qui sumus duæ personæ divinæ, duoque de mea divinitate testes, omni exceptione majores.

48. Joannis cap. 11. vers. 4. de infirmo Lazaro legitur dixisse: *Infirmitas hæc non est ad mortem*. Et tamen ibidem vers. 14. legitur: *Lazarus mortuus est*. Ergo pugnantia dicuntur ibi. Resp. 1. neg. conseq. quia dum priori loco Christus ait, *Infirmitas hæc non est ad mortem*, intelligit mortem talem, qualis communiter est hominum mors, qua qui moriuntur, mortui manent, nec ad vitam redeunt, inquit S. Aug. lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 79. & hoc modo, nec ipsa infirmitas, nec ipsa mors Lazari erat ad mortem, sed potiùs ad miraculum, pro Dei manifestanda gloria per defuncti resurrectionem Lazari. Quo miraculo per Christum facto, crederent homines in Christum, & reipsa multi crediderunt, ut testatur Joannes ibid. vers. 45. dicens, *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum*. Responderi præterea, & dici potest 2. quòd ideò hæc infirmitas Lazari non erat ad mortem, licèt tamen mortuus fuerit posteà Lazarus, quia hæc Lazari mors, non tam fuit mors, quàm somnus, à quo illicò evigilavit & resurrexit excitatus à Christo, juxta illud Christi ibid. vers. 11. dicentis, *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum*.

48. Infirmitatē Lazari non esse ad mortem, & ex ea mortuum esse Lazarum.

49. Ibidem c. 15. v. 15. Christus ait: *Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Et cap. 16. vers. 12. eosdem alloquens ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò*. Ergo si multa adhuc habeat dicenda, non omnia eis nota fecit, ac proinde sibi contradicit. Resp. nullam ibi contradictionem esse. Dum enim, inquit *S. Chrysostomus*, Christus suis Apostolis omnia audita à Patre suo, nota fecisse dicit, de solis ad ipsos ipsorumque munus spectantibus loquitur. Dum autem cap. 16. se adhuc eis multa dicenda declarat habere, de aliis ad totius Ecclesiæ regimen & statum pertinentibus loqui dicendus; inter quæ sunt v. g. abolitio legalium observationum, rituum ecclesiasticorum institutio, & alia similia, de quibus ait illis Joan. cap. 14. vers. 26. *Ille vos docebit omnia*.

49. Christū omnia nota fecisse discipulis, & adhuc multa habere eis dicere.

50. Ibidem cap. 9. vers. 29. de Christo dicitur: *Hunc autem nescimus unde sit*. Et cap. 7. vers. 27. anteà de eodem Christo Domino dicitur: *Hunc scimus unde sit*. Sed hoc nihil contradicentius dici potest. Ergo, &c. Resp. neg. min. quia illud utrumque sub diverso sensu intelligi debet; nam prior textus de Christi missione intelligendus, ita ut sensus sit, *Nescimus unde sit*, id est, à quo, seu cujus auctoritate sit missus; posterior verò de Christi patria & parentibus, ita ut sensus sit, *Hunc scimus unde sit*, id est, è qua patria, è quibus parentibus sit ortus.

50. Hunc nescire unde sit, & hunc scire unde sit.

Ex Actibus Apostolorum.

51. S. Lucas Act. cap. 1. vers. 1. sic ait: *Sermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere, usque in diem .... qua assumptus est à nobis*. Et tamen S. Joannes in ultimo suæ Historiæ Euangelicæ capite ait: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Sed hæc

51. Sermonem fecisse Lucam de omnibus, quæ fecit Jesus, & mundum

scripto capere non posse singula quæ fecit Jesus.

hæc manifestam involvunt contradictionem. Nam si libros de Christi gestis scribendos non possit mundus capere, quomodo omnia Christi gesta & documenta potuit solus scribere Lucas? Ergo, &c. Resp. neg. min. quia S. Lucas non de omnibus absolutè loquitur, sed solùm de præcipuis Christi gestis ac documentis, à prima infantia, ad ejus usque in cœlum ascensum; S. verò Joannes de omnibus absolutè loquitur.

52. Visum esse Spiritui S. & Apostolis abstinendum ab immolatis, & dæmoniorum doctrinam esse abstinere à cibis.

52. Ibidem Actorum cap. 15. vers. 28. Apostoli simul congregati definiendo ajunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum*. Et tamen Paulus 1. ad Timoth. cap. 4. vers. 3. ait doctrinam esse dæmoniorum abstinere à cibis, quos Deus creavit, dum ait: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit*. Ergo Spiritui sancto & Apostolis contradicit Apostolus. Resp. neg. conseq. quia non dicit Apostolus ibi, quòd abstinere absolutè à certis cibis sit doctrina dæmoniorum, sed abstinere ab illis superstitiosè, hoc est, abstinere ab illis quasi immundis, ut Judæi solebant, vel quasi per se malis, & à malo Deo seu dæmone procreatis, eo modo quo *Simoniaci*, *Saturniani*, *Ebionitæ*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, & alii nonnulli abstinebant Hæretici. Unde abstinere à certis quibusdam cibis obedientiæ, temperantiæ, vel pœnitentiæ motivo, exemplo S. Joannis Baptistæ, & in eo sensu, quo interdum abstinere præcipit Ecclesia, non dæmoniorum, sed Spiritus sancti doctrina est.

Ex Paulinis, aliisve canonicis Epistolis.

53. Paulum nō esse missum ad baptizādum, & audiisse à Christo, Docete omnes gentes baptizantes eos.

53. Paulus Apostolus 1. ad Cor. cap. 1. vers. 17. ait: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Et tamen Matth. cap. ultimo vers. 19. ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ergo Christo contradicit Paulus. Resp. neg. conseq. quia dum Paulus ait, se non à Christo missum ut baptizaret, vel alia Sacramenta Parochis committi solita ministraret, intelligit principaliter vel ordinariè, ut significet primarium sui Apostolatus, suæque legationis munus esse prædicare. Unde & Tridentinum prædicandi munus exercere præcepit Episcopis.

54. Omnes manifestari ante tribunal Christi, & impios non resurgere.

54. Idem Paulus 2. ad Cor. cap. 5. vers. 10. ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Sed illud contradicit Psalmistæ dicenti Psalm. 1. vers. 5. *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum*. Ergo, &c. Resp. neg. min. quia sensus Psalmistæ dicentis, *Non resurgent impii*, est, juxta Hebraicum textum, quòd *non stabunt*; juxta Chaldaicum, *non consistent*, quia videlicet causa cadent, & damnabuntur, quando coram divino Tribunali, simul cum justis, congregati judicabuntur, & summa cum ignominia procul à Deo, & à justorum cœtu damnati discedent.

55. Præcipere ut mulier sileat, & non doceat, & ut anus sint benè docentes.

55. S. Paulus 1. ad Tim. cap. 2. vers. 11. ait: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto*. Et tamen ad Titum cap. 2. v. 3. ait: *Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes*. Vult ergo ut anus doceant, nec permittit mulieri docere; sibi ergo contradicit. Resp. benè hæc duo sine contradictione dici: non permittit quidem Paulus mulieri ut publicè, hoc est,

in Ecclesia, vel in publico cœtu doceat; sed nullatenus vetat, imò suadet, ut privatim & domi suæ sapientes prudentesque matronæ suas filias, ancillas, & ignaros cæteros domesticos erudiant de rebus ad salutem necessariis. Unde ait: *Anus sint benè docentes*, id est, non levia, inutilia, turpia, mala, sed solida, sana, pia, & ad salutem utilia doceant.

56. Paulus iterùm 2. ad Timoth. cap. 4. vers. 8. constanter ait: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Sed hoc contradicit Ecclesiastæ c. 9. v. 1. dicenti: *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit.* Ergo, &c. Resp. neg. min. quia dum dicit Ecclesiastes, nescire hominem, an odio, vel amore dignus sit, intelligit id sciri non posse naturaliter; quod non impedit quominùs id divinitùs & per revelationem cognosci possit, ut cognoverat Paulus, dum asserit sibi repositam esse justitiæ coronam, à Domino justo judice reddendam.

56. Paulum esse certum de sua justitię corona, & neminem scire, an amore vel odio dignus sit?

57. Videtur sibi contrarius pariter Paulus, dum 2. ad Timoth. c. 4. v. 2. monens Timotheum ait: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et posteà ad Titum scribens ait cap. 2. vers. 15. *Argue cum omni imperio.* Resp. pariter ibi minimè sibi contradicere Paulum; sed tanta arte suam doctrinam dispensare, ut cuilibet ex his duobus Discipulis congruum distribuat monitum, dum *Timotheo* patientiam, & *Tito* præscribit imperium: Timotheo, quia ferventioris animi viro, patientiam; & Tito, quia levioris spiritus, imperium; ut sic illum per lenitatem patientiæ temperet, & istum per æmulationis studium inflammet, dicens: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

57. Monere Timotheũ ut arguat in omni patiẽtia, & Titũ ut arguat cum omni imperio.

58. Idem Paulus ad Rom. cap. 7. vers. 18. ait: *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio.* Et ad Philip. cap. 4. vers. 13. econtrà dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Sibi ergo ibi contradicit Apostolus. Resp. neg. conseq. quia dum ait, se omnia ad salutem posse, loquitur de seipso, divinæ gratiæ juvamine roborato. Et dum econtrà ait sibi velle adjacere, & perficere non invenire, id de seipso fatetur, propriis naturæ viribus relicto.

58. Paulum non invenire perficere, & omnia posse.

59. Paulus ad Hebræos cap. 9. vers. 4. dicit in arca testamenti fuisse urnam auream habentem manna, virgam Aaronis, & duas tabulas Testamenti, dum sic ait: *Et arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti.* Sed hoc contradicit lib. 3. Regum cap. 8. vers. 9. dicenti: *In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.* Ergo, &c. Resp. neg. min. quia dum dicitur à Paulo hæc omnia in arca fuisse, ly *in* sumitur pro *cum*, vel pro *juxta*: est enim Hebraismus, quo fit, ut sæpè præpositio *in* aliarum præpositionum vicem gerat. Unde dum Paulus ait *in arca*, id est, *juxta* arcam, vel *cum* arca, erat urna illa, cum manna & virga Aaronis, seu ad latus, vel juxta latus arcæ; nam in ipso interiori arcæ sinu, nihil præcisè aliud, præter duas Testamenti tabulas, erat.

59. In arca Testamenti fuisse urnã cum mãna, virga Aaron, & Tabulis; & in arca nihil fuisse præter tabulas Testaméti.

60. In Epistola S. Jacobi cap. 1. vers. 12. dicitur quòd *Deus neminem tentat.* Sed hoc contradicit capiti Geneseos 22. vers. 1. dicenti: *Tentavit Deus Abraham*; & Deuteronomii cap. 13. vers. 3. sic loquenti: *Tentat vos Deus vester.* Ergo, &c. Resp. hoc utrumque esse sine ulla contradictione verum: duplex enim potest esse tentatio; una videlicet seductionis, quæ incitat ad peccatum; altera probationis tantùm, quæ est ad majus meri-

60. Deum neminem tentare, & Deum tentasse Abraham.

tum, nobilioremque coronam. De priori loquitur Jacobus dicens, Deum neminem tentare. De posteriori verò sermo est, dum in Scriptura dicitur alibi, Deum tentasse Abraham, Hebræos, &c. hac enim sola probationis tentatione dicitur tentare Deus, ut det materiam luctæ, victoriæ, meritorum, & gloriæ.

Ex Apocalypsi.

61. Nec denique contradictio est, dicere auditum esse signatorum numerum ex omni Tribu, & nullum recenseri ex Tribu Dan.

61. In Apocalypsi cap. 7. vers. 4. dum recensetur signatorum electorum numerus, dicitur: *Audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel*. Et tamen ibidem nulli referuntur ex tribu *Dan*, nulli pariter ex tribu *Ephraim*. Ergo non ex omni tribu, ac proinde contradicit sibi caput illud. Resp. neg. conseq. Verè enim ex omni tribu referuntur. Sed quia hi non ita multi sunt futuri ex tribu Dan, ex illis plerisque adhærescentibus Antichristo ex tribu Dan orituro; ideò *tribus* ista *Dan* hìc omittitur, ut tenent SS. *Irenæus*, *Ambrosius*, *Hippolytus*, *Augustinus*, & alii; tribus verò *Ephraim* non est omissa, quia tribus *Joseph* est tribus *Ephraim*, quæ quia amplior & nobilior, utpote regalis, præ tribu *Manaße*, licèt senioris, per antonomasiam, nomine patris sui *Josephi*, nominatur in Scriptura.

62. Nec dicere qui nocet noceat adhuc, & nemini mãdare impiè agere.

62. Ibidem cap. 22. vers. 11. dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Et Eccles. cap. 15. vers. 21. legitur: *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi*. Quinimò peccatum fugere passim strictè præcipit, dicens alibi: *Declina à malo, & fac bonum*: *Quasi à facie colubri fuge peccatum*: *Anima quæ peccaverit, ipsa moriatur*. Ergo suadet simul & vetat peccatum, ac proinde contradicit sibi, his in locis, Scriptura sacra. Resp. neg. conseq. Non enim, quod ubique vetat, damnat, ac reprobat Scriptura peccatum, suadet ibi, dum dicit: *Qui nocet, noceat adhuc*; sed solùm per hoc significat se, hominem quemque pium & impium suæ permittere libertati, & relinquere in manu consilii sui, quasi dicens: Qui nocet & injurius est proximo suo, noceat adhuc, sua utatur libertate, non impedio: sed quò ille magis nocebit, & injurius erit proximo suo, & deteriùs se geret; ille econtrà qui justus est, justificetur adhuc, ita ut, sicut ille auget suum, impiè agendo, demeritum, iste sua, piè agendo, augeat merita; quia ut ibid. legitur Apoc. c. 22. vers. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua*.

Ex iis ergo sufficienter ita prælibatis, etiam omissis innumeris aliis, pugnantia quæ videntur in Scripturis, non ita esse, facilè percipiet quilibet Candidatus, eo ipso, quo tantisper erit in divinis legendis & scrutandis Scripturis assuetus.

ARTICULUS XIV.

Explicantur antiquorum pondera, monetæ, mensuræ, atque vasa passim in sacris Scripturis obvia.

QUia frequens est in divina Scriptura mentio de antiquis ponderibus, monetis, mensuris, atque vasis, quorum apud nos hodie usus ferè nullus; ideò, ne tyrones hæc aliquando morentur & gravent, juvat hìc cursim & breviter horum species prænotare, ac delineare singulas, monendo in primis, antiquos *ære* appenso, & non signato, sicut nos, uti solitos olim, primumque æris signati usum temporibus Patriarchæ *Jacob* inveniri, Genes. cap. 33. vers. 19. ubi dicitur Jacob emisse *partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel*. Dum autem dicitur ibi, *centum agnis*, id non de centum agnis ovium filiis intelligi debet, sed de centum nummis agnæ figura signatis, ut colligitur ex Act. cap. 7. vers. 16. ubi defunctus dicitur Jacob, & positus in sepulchro, quod emerat Abraham *pretio argenti à filiis Hemor*. Et similiter dum lib. Job cap. ult. vers. 11. dicitur, singulos Jobi cognatos dedisse ei *Ovem unam*, ibi per ovem intelligunt multi, non veram re ipsa ovem ex alia ove natam, sed nummum ovis figura signatum. Usus ergo illo tempore jam erat, ut ovis, sive agnæ figura signarentur nummi, seu monetæ; & inde est, quòd moneta in genere, à pecude illa sibi primùm priscis illis temporibus impressa, *pecunia* creditur dicta. Sunt autem ponderum & monetarum species antiquæ, quæ passim in Scripturis occurrunt, præsertim sequentes istæ, videlicet, *as*, *obolus*, *denarius*, *drachma*, *didrachma*, *siclus*, *stater*, *mna*, sive *mina*, & *talentum*.

Antiquorum pondera atque monetę, de quibus fit in Scriptura mentio.

Sunt quæ sequuntur.

De Asse.

As (de quo Matth. cap. 10. vers. 29. dicitur, *Nonne duo passeres asse væneunt*) antiquitùs erat pondus vulgatissimum, & generali ac indeclinabili nomine neutrius generis dicebatur *pondo*, vel declinabili nomine *pondium*, & duo asses *duo pondo*, vel *dupondium*; vel *duo pondia* vocabantur, sicut tres asses *tripondium*, & centum asses *centum pondium*. Constabat autem tunc *as* libra æris; unde *as* quasi æs librale creditur dici. Hanc æris libram, seu *assem* divisere posteà Romani juxta 12. anni menses, in 12. partes, quas uncias vocarunt; unde *uncia* erat pars assis duodecima, *sextans* erat sexta pars, *quadrans* quarta pars, *triens* tertia, & *semis* sive *semissis* dimidium. Sed quia temporis successu factum est, ut loco *æris* appensi, cœptum sit uti ære signato, & longè levioris ponderis, valorque cujuscumque monetæ desumi cœpit, non tam à materia monetæ, quæ paulatim magis ac magis imminuta est, sed à figura monetæ impressa. Inde est, ut hodie *as* seu pondo, non 12. æris uncias contineat, sicuti tunc, sed sit parva admodum moneta ærea, unum valens dumtaxat *bajocum* Italicum, seu medium obolum Hebræum, seu decimam partem Julii Italici, vel Regalis Hispanici, sive drachmæ Atticæ, sive denarii.

As, sive pondo, *de quo Matth. c. 10. v. 29.*

De Obolo.

Obolus, *de quo Levit. c. 27. v. 25.*

Obolus, alius est *Atticus*, sive Atheniensis, alius Hebræus. Obolus Atticus est sexta pars drachmæ Atticæ, seu obolus apud Athenienses, est minimum numisma, quod sexies sumptum, explebat drachmam Atticam; vel, ut explicant alii, obolus Atheniensis est sex æreolorum, æreolum verò est septem minutiarum, & minutia manet indivisa. *Obolus* autem *Hebræus* (de quo Levit. cap. 27. vers. 25. dicitur, *Siclus* viginti *obolos habet*) erat genus ponderis, seu monetæ valens vigesimam partem sicli argenti, seu duos asses, cùm siclus argenti quadraginta valeat asses. Atticus verò obolus erat Hebræo minor, quia erat tantùm vigesima quarta pars sicli argenti.

De Denario.

Denarius, *de quo Matthæi, c. 20. v. 13.*

Denarius, de quo non semel, sed pluries sacri loquuntur Euangelistæ, aut potiùs per Euangelistas loquitur Christus, ut v. g. Matth. cap. 20. vers. 13. dum uni ex operariis primis ad vineam conductis murmuranti, quòd non plus acciperet pro mercede, quàm novissimi, sed singuli singulos acciperent denarios, ait in persona patris-familias, *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?* & Marc. cap. 12. vers. 15. dum Herodianis quærentibus an liceat Judæis tributum dare Cæsari, respondet: *Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.* Et Luc. cap. 7. vers. 41. dum Simoni Pharisæo hospiti suo, occasione Magdalenæ Christi pedes ungentis & osculantis, Christus parabolam de duobus debitoribus proponit dicens: *Duo debitores erant cuidam fæneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta, &c.* Denarius, inquam, ille juxta *Budæum* apud Romanos, nummus erat argenteus, quatuor valens sextertios, ita denarii nomine dictus, quòd pro decem assibus in solutionem cedebat: seu ut explicant alii, erat nummus aureus vel argenteus; aureus decem valebat argenteos, unde denarius dictus; argenteus verò decem valebat cupri asses, unde & denarius pariter vocatus: erat enim certa monetæ species unius drachmæ argenti valens 10. asses, sive 10. bajocos, eratque statutum diurni laboris præmium, & ejusdem valoris ac Regalis Hispanicus, vel Julius Italicus.

De Drachma.

Drachma, *de qua 2. Mach. c. 12. v. 43. & Luc. c. 15. v. 9.*

Drachma (de qua dicitur 2. Machab. cap. 12. vers. 43. quòd Judas *duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans*; & Lucæ cap. 15. vers. 9. *Inveni drachmam quam perdideram*) duplex est, alia Hebræa, alia Attica: Drachma Hebræa duas valet Atticas, estque dimidium sicli; drachma enim Attica argenti, de qua vulgò loquimur, est quarta tantùm sicli pars, potestque considerari, vel ut est genus ponderis, vel ut est genus numismatis seu monetæ; ut est genus ponderis, est octava pars unciæ ex 18. siliquis, seu ex sex obolis, vel ex tribus scrupulis constans; est autem siliqua, juxta *Budæum*, apud Romanos, minimi ponderis genus, tertiam oboli, sextam scrupuli, & decimam octavam drachmæ partem conficiens;

tres

tres enim siliquæ faciunt obolum, duo oboli scrupulum, tria scrupula drachmam, sicut & octo drachmæ unciam, & unciæ 12. libram minorem, sive communem, 16. verò unciæ majorem libram conficiunt. Drachma autem spectata, ut est genus numismatis, nihil est aliud, quàm certa monetæ species valens denarium Romanum, seu tres solidos Turonenses cum semisse, inquit *Budæus*.

De Didrachma.

Didrachma sive didrachmum erat certa numismatis, seu monetæ species duas pendens & valens drachmas Atticas, seu dimidium argenti siclum, hoc est, 20. asses, & de hujusmodi monetæ specie sermo est, dum 2. Machab. cap. 4. vers. 18. & 19. dicitur, *Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præsens esset, misit Iason facinorosus ab Jerosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis*. Sicut & dum Matth. cap. 17. vers. 23. dicitur, *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?*

Didrachma, *de quo 2. Mach. c. 4. v. 18. & Matth. c. 17. v. 23.*

De Siclo, seu *Statere*.

Siclus argenti (de quo dicitur Levit. cap. 27. vers. 2. 3. & 4. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus à vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarii: si mulier, triginta*) erat numisma, seu moneta apud Hebræos usitatissima, ponderans & valens semiunciam, seu quatuor drachmas Atticas argenti, duas verò tantùm Hebræas; æquivalens consequenter quatuor Juliis Italicis, vel quatuor Regalibus Hispanicis, seu Floreno Belgico valenti quadraginta asses, dicique solebat stater: stater enim græcè idem est ac hebraicè *scekel*, hoc est, siclus, sive pondus; tunc enim pecunia non erat figura signata sicuti nunc, sed ad pondus appendebatur tantùm, hoc est, tunc Judæi æquè ac Romani rudem æris, argenti, vel auri massam, ad certum pondus libratam & æstimatam adhibebant loco pretii, & pecuniæ, & siclus ponderabat 4. drachmas; cùmque deinde successu temporis hanc æris, argenti, vel auri massam, sive monetam figura consignarunt, siclus fuit ita figuratus & consignatus, *teste Aria Montano*, ut haberet ex una parte, *urnam cum manna*, cum hac inscriptione *Scekel Israel*, hoc est, siclus Israel, ex altera verò parte haberet *virgam Aaronis floridam*, cum hac inscriptione *Jerusalem Kedesta*, id est, Jerusalem sancta; qui siclus, licèt figura signatus, debebat etiam esse justi ponderis; idque ut servaretur ubique, & ne daretur fraudi locus, servabatur siclus unus in Sanctuario tanquam sacer & justissimi ponderis, ad quem appendi & examinari possent cæteri, & de quo sermo est, dum *Levit. cap. ult. vers.* 25. dicitur, *Omnis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabitur*; imò & dum Exodi c. 30. v. 13. dicitur, *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi*, hoc est, omnes filii Israel, qui numerabuntur, quasi ad bellum apti, tenebantur capitatim solvere dimidium sicli, juxta mensuram templi, id est, justi ponderis & pretii, ita ut sit æqualis ponderis cum siclo Sanctuarii justissimo.

Siclus sive stater, *de quo Levit. c. 27. v. 2. 3. & 4.*

Quod

Quòd autem hujusmodi *siclus* sit idem ac *stater*, patet ex eo quòd Christus ut solveret exactoribus hoc tributum, licèt non teneretur, seu illud dimidium sicli, vocat siclum nomine stateris, dum Matth. cap. 17. vers. 27. ait Petro: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Hoc est invenies staterem, seu siclum argenti ponderantem & valentem duas didrachmas, seu duo didrachma, & dabis tributi exactoribus, unum didrachma scilicet pro me, alterum pro te, quod erat tributum Judæis capitatim impositum in usum templi. Dixi siclum argenti; nam siclus auri 12. valebat siclos argenti, sicut una drachma auri 12. valebat argenti drachmas, cùm proportio pretii auri ad pretium argenti sit duo decupla, ita ut una auri uncia, 12. valeat argenti uncias, sicut una libra, 12. libras, &c.

Circa quod notandum, quòd quoties in Scriptura reperitur *argenteus* sine addito, vel *aureus* sine addito, intelligendus est *siclus*. Sic v. g. quando Christus dicitur à Juda venditus 30. argenteis, juxta illud Matth. cap. 26. vers. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos*, subintelligendum est siclos, ita ut sensus sit, quòd ei constituerunt 30. siclos argenteos. Fateor tamen locum illum à diversis diversimodè explicari.

Nam *S. Ambrosius* lib. de Spiritu sancto cap. 18. per argenteos illos, quibus fuit venditus Christus, intelligit *denarios*, seu Regales Hispanicos, seu Julios Italicos, ac proinde Christum fuisse venditum 30. *denariis*, idem est ac 30. *Juliis* fuisse venditum. Verba S. Ambrosii sunt: *O Juda proditor, unguentum Passionis ejus trecentis denariis æstimas, & Passionem ejus triginta denariis vendis?*

Baronius tamen ad annum Christi 34. post Rabbinos varios, putat *argenteum* sumi pro libra argenti; unde cùm libra communis uncias habeat 12. & quælibet uncia argenti valeat unum Philippicum, seu aureum Romanum, qui valet 10. Julios, sequitur juxta Baronium, quòd 30. argentei valeant 360. Philippicos; sed non est credibile, tantum pretium Judæ promissum fuisse à Judæis avaris, pro Christo prodendo ipsis quotidie satis obvio.

Maldonatus & Interpretes alii non pauci per *argenteos* intelligunt *siclos*. Unde juxta illos dum Christus dicitur venditus 30. *argenteis*, idem est ac si dicatur 30. *siclis* argenti, seu 30. *Florenis* Belgicis; quod idem est ac 60. *libris* Gallicis.

Suarez verò, & plures alii probabiliùs putant, per *argenteum* ibi intelligi non *siclum* integrum, sed sicli dimidium tantùm, eò quòd *Budæus* lib. 5. de asse, asserat, se vidisse Parisiis olim nummum unum ex his quibus venditus fuit Christus, eumque ponderasse duas drachmas Atticas, sive duos Julios. Quæ sententia licèt teneretur, nihilominus dici posset, per *argenteos* intelligi siclos argenti; quia sicut dimidius Regalis dicitur Regalis, ita dimidium sicli siclus dici potest.

De Mna sive *Mina*.

Mna sive mina, *de qua Luc. c. 19. v. 13.*

Mna sive *mina*, de qua Luc. cap. 19. vers. 13. dicitur, quòd nobilis homo quidam, vocatis decem servis suis, *Dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio*, & de qua unus ex illis, primus scilicet, paulò

post

pòst negotiatus veniens, ait ad Dominum suum: *Domine mna tua decem mnas acquisivit*. Illa, inquam, *mna* sive *mina*, vox Attica est significans, apud Athenienses, tam certam ponderis, quàm numismatis sive monetæ speciem, quæ dicta est Latinè *mina*, Græcè *mna*, & Hebraicè *manèh*, à radice *manàh*, numeravit, continet 100. drachmas, è quibus si demantur quatuor, fiet libra communis una, juxta illud *Fannii Poetæ*:

Accipe prætereà, parvo quam nomine Graji
Mnam vocitant, nostri minam dixere priores,
Centum hæ sunt drachmæ; quòd si modò dempseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.

Eratque mina illa, alia Attica, alia Hebræa; mina Attica 25. continebat siclos; Hebræa verò quia duplo major 50. sed utraque centum drachmas, Hebræa scilicet mina Hebræas, & Attica Atticas drachmas.

De Talento.

Talentum (de quo toties fit in Scriptura mentio, & præsertim Exodi cap. 37. vers. 24. dum dicitur, *Talentum auri appendebat candelabrum*; & cap. 38. vers. 26. *Fuerunt prætereà centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases Sanctuarii*; & de quo *David* enumerans summas pro Templi fabrica à se paratas, & filio suo Salomoni relictas, 1. Paralip. cap. 22. vers. 14. ait, *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.*) Talentum, inquam, illud, erat pariter certi generis numisma, seu moneta omnium maxima continens minas 60. quæ *minæ* cùm essent apud varios variæ, pro diversitate drachmarum, ita & talentum erat apud varios multiplex & varium; aliud enim erat Euboicum, aliud Ptolemaicum, aliud Syrium, aliud Tyrium, aliud Antiochenum, aliud Babylonium; sed inter illa omnia, duo celeberrima fuere, *Atticum* videlicet & *Hebræum*, quæque omnia licèt essent pondere & pretio disparia, in hoc tamen uno conveniebant & paria erant omnia, ut 60. sui generis minis constarent ubique singula, sicut & singulæ minæ centum ubique drachmis constabant: verùm inde sequebatur quòd cùm talentum quodlibet constaret 60. minis, & quælibet mina 100. drachmis, & drachmæ essent quibusdam in locis majores, & in aliis minores, ita & minæ erant majores vel minores pro diversitate drachmarum, & consequenter & talenta erant majora vel minora pro diversitate minarum; unde est quòd cùm drachma Hebræa sit duplo major Attica, ita & mina Hebræa est duplo major Attica, & consequenter & talentum Hebræum duplo majus Attico: valet enim talentum Hebræum tria millia siclorum; Atticum verò mille quingentos siclos tantùm, licèt utrumque 60. constet minis, quia Hebræum Hebræis duplo majoribus, & Atticum Atticis duplo minoribus constat minis. Talento Attico nedum Attici soli, sed cæteri Græci, & ferè nationes omnes aliæ, etiam Romani uti solebant, sed Hebræi Hebræo. Talentum insuper aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æneum, quæ omnia erant æqualis ponderis, sed pretii disparis; cùm enim proportio pretii auri ad pretium argenti sit duodecupla, ut dixi, sequitur quòd auri talentum unum 12. valeat argenti talenta.

Talentum, de quo Exodi c. 37. v. 24. & 1. Paralip. c. 22. v. 14.

Mensuræ atque vasa, sunt quæ sequuntur.

Species mensurarum, atque vasorum præcipuæ sunt

Corus, cadus, batus, ephi, amphora, urna, hydria, metreta, artaba, modius, hin, congius, sextarius, cabus, gomor, & cyathus.

De Coro.

Corus, *de quo Luc. c. 16. v. 7.*

Corus Græcorum, seu *chòmer* Hebræorum (de quo Lucæ cap. 16. vers. 7. debitor unus rogatus à Villico quantum deberet Domino, respondit, *centum coros tritici*) erat apud Hebræos aridorum mensura omnium maxima, quæ dicitur Hebraicè *chòmer* quasi *chamòr*, id est acervus, vel cumulus frumenti: inde quoque asinus dictus est *chamòr*, eò quòd hunc frumenti acervum bajulare possit; est enim *chòmer* mensura oneris, quod bajulare possit asinus, continetque decem ephi, seu decem amphoras Romanas, seu 30. modios, seu aquæ, vel vini 800. libras; & media pars, seu dimidium *cori* dicitur *lethek*, id est, elevatio, quia est onus, seu mensura oneris, quod robustus & vegetus adolescens elevare possit & asino imponere, continens quinque *ephi*, seu quindecim modios, seu libras aquæ 400.

De Cado.

Cadus, *de quo Luc. c. 16. v. 7.*

Cadus (de quo Lucæ cap. 16. vers. 7. ab eodem Villico rogatus primus debitor quantum Domino suo deberet, respondit, *centum cados olei*) erat apud Hebræos species vasis, seu mensuræ liquidorum, capiens sicut amphora Attica 3. urnas, seu 12. congios, seu aquæ, vel vini libras 120. & dicebatur Hebraicè *chad*, Græcè κάδος, Latinè *Cadus*, Gallicè *une cacque*, *un baril*, Italicè *barille*. Rustici Alpium incolæ creduntur primi, qui ligneos circulis cinctos invenere cados, de quibus Martialis cecinit olim lib. 13. Epigr. dum de Setia vulgò Sezza, Campaniæ urbe, dixit:

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe Cados.

De Bato.

Batus, *de quo 3. Reg. c. 7. v. 26.*

Batus (de quo dicitur 3. Reg. cap. 7. vers. 26. quòd mare æneum, quod fecit Salomon, *duo millia batos capiebat, & tria millia metretas*) est pariter liquidorum Hebrææ mensuræ genus, ejusdem capacitatis ac *Ephi*, capiens decimam partem *Cori*, sicut ephi, ut constat ex illo Ezechielis cap. 45. vers. 11. *Ephi, & batus æqualia, & unius mensuræ erunt: ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.* Ergo si decimam partem cori contineat batus, continet consequenter tres modios, qui sunt decima pars 30. modiorum, quos continet corus; seu capit 8. congios, sive 48. sextarios Romanos, vel duas urnas Romanas, ut ephi, & amphora Romana, seu aquæ, vel vini libras 80. tantùm.

De Ephi, vel *Epha*.

Ephi (de quo dicitur 1. Regum cap. 17. verſ. 17. *Accipe fratribus tuis Ephi polentæ, & decem panes iſtos*) erat ſpecies vaſis, ſeu menſuræ æqualis capacitatis cum amphora Romana, & bato; capiebat enim tres modios, ut expreſsè conſtat ex illo Ruth c. 2. v. 17. *Invenit hordei quaſi ephi menſuram, id eſt, tres modios*; ergo & 8. capiebat congios, ſeu ſextarios 48. libras verò aquæ, vel vini 80. ſicut batus & amphora Romana, vel pes cubicus. Ephi, *de quo* 1. *Reg. c.* 17. *v.* 17.

De Amphora.

Amphora (de qua dicitur Zachariæ c. 5. v. 10. *Quò iſtæ deferunt amphoram?*) erat vaſis ſpecies, ſeu certa liquidorum menſura duas habens anſas, quibus utrimque ferri poſſet, unde amphora dicta ab ἀμφὶ & φέρω, dicebatur alio nomine *quadrantal*, ſeu *pes cubicus*, ſeu *quadratus*, ex eo quòd eſſet figuræ ex omni parte quadratæ, habentis tam in longitudine quàm in latitudine, tam in profunditate quàm in altitudine pedem Romanum; capiebat autem hæc amphora Romana urnas duas, ſeu tres modios, ſeu 8. congios, ſive ſextarios 48. & libras 80. ſicut *batus* & *ephi*. Amphora, *de qua Zachar. c.* 5. *v.* 11.

De Urna.

Urna, de qua loquitur *Paulus* ad Hebræos deſcribens *Sanctum*, & *Sanctum Sanctorum*, eorumque vaſa, hoc eſt, deſcribens primam tabernaculi partem, quam vocat tabernaculum primum & *Sanctum*, imò & ad auxeſim more Hebræorum *Sancta*, & poſteriorem ſeu interiorem partem quam vocat tabernaculum ſecundum, & *Sanctum Sanctorum*, imò & ad majorem auxeſim, nedum in plurali *Sancta*, ſed *Sancta Sanctorum*, id eſt, ſanctiſſimum & ſacerrimum tabernaculum, quia hæc interior tabernaculi pars continebat arcam, propitiatorium, & Cherubim quaſi thronum Dei, ex quo Deus reſponſa dabat & oracula, has inquam duas tabernaculi partes earumque vaſa deſcribens Paulus de *urna* loquitur, dum ait c. 9. v. 4. *Et tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti*; & urna illa erat certum menſuræ genus 4. capiens congios, ſeu ſextarios Romanos 24. ſeu dimidium ephi, ſive amphoræ Romanæ; & ut explicant alii, *urna* erat, eſtque adhuc vas, quo aqua è puteis vel fluminibus hauriri ſolet, ita dictum quòd ſubter aquam demerſum, & inde rurſus ſurſum emergens urinantis ſpeciem referre videatur: antiquitùs tamen dicebatur urna apud veteres, vas illud in quo judicum ſuffragia colligebantur; imò & illud aliud, in quo recluſi ſervabantur defunctorum cineres, juxta illud Poetæ: Urna, *de qua ad Hebræos c.* 9. *v.* 4.

Aſpicite ò cives ſenis Ennii imaginis urnam.

De Hydria.

Hydria (de qua Joannis cap. 2. verſ. 7. *Implete hydrias aqua*) erat vas aquarium, ſeu vaſis genus ad continendam aquam deſtinatum, æqualis capaci- Hydria, *de qua Ioan. c.* 2. *v.* 7.

pacitatis cum *cado* & amphora Attica, tres continens urnas, seu 12. congios, seu aquæ libras 120. credibile tamen est, non omnes æqualis capacitatis fuisse hydrias, sed alias minoris, & majoris capacitatis alias, ut ex hydriis nuptiarum Canæ colligitur, de quibus dicitur, ibidem vers. 6. quòd erant *capientes singulæ metretas binas, vel ternas*, id est, aliæ binas, aliæ ternas.

De Metreta.

Metreta, *de qua 3. Reg. c. 7. v. 26. & Ioan. c. 2. v. 7.*

Metreta (de qua dicitur 3. Reg. cap. 7. vers. 26. & iterùm 2. Paralip. cap. 4. vers. 5. quòd mare æneum, quod fecit Salomon, *capiebat tria millia metretas*; & de qua Joan. cap. 2. vers. 6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas*,) est genus vasis, seu mensuræ, quod vulgò Græcè ἀπὸ τοῦ μετρεῖν, id est, à metiendo *metreta* vocatur, eratque eadem mensura Græcis, ac *bath* sive batus Hebræis, æqualisque capacitatis cum *ephi* continens, juxta Budæum, 10. *congios*, vel 12. juxta S. Epiphanium, seu sextarios 72. seu aquæ vel vini libras 120.

Dices, si metreta sit æqualis *bato*, cur mare æneum quod fecit Salomon dicitur 3. Reg. cap. 7. vers. 26. capere *duo millia batos*, & 2. Paralip. cap. 4. vers. 5. dicitur capere *tria millia metretas*. Resp. cum *Villalpando*, batum fuisse duplicem, majorem unum, & minorem alterum. Major *batus* capiebat metretam unam cum dimidia; minor verò unam tantùm capiebat metretam, seu metretæ æqualis erat; quando autem dicitur quòd mare æneum illud capiebat *duo millia batos*, hoc intelligi debet de batis majoribus: duo enim millia bati majores capientes singuli metretam unam cum dimidia, faciunt tria millia metretas, seu batos, minores & communes.

De Artaba.

Artaba, *de qua Dan. c. 14. v. 2.*

Artaba (de qua Dan. cap. 14. vers. 2. dicitur, *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim*) erat mensuræ genus 72. capiens sextarios, inquit S. Epiph. lib. de ponderibus & mensuris; verùm triplex erat, ut placet aliis, artaba, *Persica* nempe, *Medica* & *Ægyptia*; Persica capiebat medimnum & tres chœnices, Medica medimnum, Ægyptia verò, de qua est quæstio, quinque modios. *Medimnus* autem erat aliud mensuræ genus senos capiens modios, seu amphoras duas, seu Italici frumenti libras 120.

De Modio.

Modius, *de quo Deut. c. 25. v. 14.*

Modius (de quo dicitur Deuteronom. cap. 25. vers. 14. *Nec erit in domo tua modius major & minor; pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi*) erat genus mensuræ Romanæ, qua frumenta aliaque hujusmodi mensurabantur & dispensabantur; unde modius quasi modus, quo dispensanda erant, dicebatur; eratque tertia pars amphoræ Romanæ, sive *ephi*, capiens sextarios Romanos 16. seu 32. heminas, seu 26. libras aquæ, vel vini, frumenti verò 20. tantùm, & æqualis erat modius *sato*: *satum* enim erat genus mensuræ aridorum continens modium Italicum, de quo dicitur Matth. cap. 13. vers. 33. *Fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*, id est in tribus farinæ modiis.

De-

De Hin.

Hin dictio Hebraica est, de qua Exodi cap. 29. vers. 40. sermo est, ubi inter alia Moyses jussus dicitur offerre *Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejusdem mensuræ*. Ubi per quartam partem *Hin* tres intelliguntur sextarii: erat enim apud Hebræos, inquit *Josephus*, certum mensuræ genus, duos continens *choas*, sive *congios* duos, hoc est 12. sextarios Hebræos; duo enim choæ, sive congii duo, duodecim faciunt sextarios Hebræos, dictos Hebraicè *logim*, & Latinè *logos*, licèt octo dumtaxat faciant Romanos, ac proinde sequitur, quartam partem *Hin* olei tusi, fuisse tres Hebræos olei tusi sextarios, duos verò tantùm Romanos, seu 3. circiter olei tusi libras: dicit, *olei tusi*, quia ut notat Corn. à Lap. oleum hoc debebat esse, non attritu molæ expressum, quod impurius est, sed pilo benè tusum, vel certè sponte fluens, quod purius atque limpidius est. Hin, *de quo Exod. c. 29. v. 40.*

De Congio.

Congius, qui & alio nomine *chus*, sive *choa* dicebatur ab antiquis, erat certum liquidorum mensuræ genus, octavam juxta Budæum *Ephi* partem capiens, seu sextarios Romanos sex, hoc est *heminas*, sive *cotylas* Atticas 12. Cotyla enim, alio nomine dicta *hemina*, erat aliud mensuræ genus dimidium sextarii continens, ac proinde sex sextarios capiens, duodecim capiebat *heminas* sive *cotylas*, & ab illo mensuræ genere, *congio* dicto, *Novellius* Torquatus Mediolanensis fertur *Tricongius* cognominatus, eò quòd olim, coram Tiberio Cæsare, unico haustu tres vini congios siccasset. Congius, *octava pars Ephi, de quo 1. Reg. c. 17., v. 17.*

De Sextario.

Sextarius, qui est sexta congii pars, & de quo dicitur Lev. c. 14. v. 12. quòd sacerdos Leprosum purificans *tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium*: erat magnus scyphus, duas *heminas*, seu duas *cotylas*, sive sextam congii partem continens; unde sextarius dictus, inquit *Fannius*, sicut *quartanus* erat sextarii quarta pars, *acetabulum* octava, & *cyathus* duodecima; triplexque vulgò erat sextarius, videlicet *Romanus*, *Atticus* & *Hebræus*. Romanus erat Attico major, & Atticus Hebræo: capiebat enim Romanus 12. cyathos, Atticus & Hebræus dictus alio nomine *log*, sive *logus*, 8. tantùm, Romanus 20. uncias vini vel aquæ, Atticus 15. & Hebræus 13. dumtaxat continebat. Sextarius, *de quo Lev. c. 14. v. 12.*

De Cabo.

Cabus Hebræorum, sive *chœnix* Græcorum, erat certum mensuræ genus continens quartam partem modii, seu quatuor logos, seu sextarios Hebræos, eratque mensura victus diurni unius hominis, capiens 4. libras, & 5. uncias, unde quarta pars cabi erat libra una cum uncia una, sive 13. unciæ, & de hac quarta parte cabi sermo est, dum 4. Reg. c. 6. v. 25. dicitur quòd dum *Benadad* Syriæ Rex Samariam obsidione premeret olim, tanta fuit hac in urbe fames & escarum omnium penuria, ut *venumdaretur caput* Cabus, *de quo 4. Reg. c. 6. v. 25.*

asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis, hoc est quinque siclis, sive florenis Brabantinis.

De Gomore.

Gomor, de quo Exod. c. 16. v. 16. *Gomor*, sive *Assaron* (de quo Exodi cap. 16. vers. 16. dicitur: *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita*; & ibidem vers. 32. *Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes: ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti*,) erat mensuræ genus, quo maximè per quadraginta annos in deserto ad metiendum manna usi sunt Hebræi; eratque talis, ut caperet decimam partem *ephi*, & libras contineret octo aquæ, vel vini, vel frumenti Palæstinæ, sufficiebatque ad diurnum cujuscunque etiam robustioris hominis victum. Dixi quòd gomor contineret octo libras aquæ, vel vini, vel frumenti Palæstinæ, sed non octo libras *mannæ*; quia manna, cùm longè levius esset frumento, æqualis ponderis erat cum farina, & gomor manna plenum 50. circiter uncias, & non ultrà ponderabat; & hinc est, quòd Hebræi gomore uno manna pleno egerent pro victu diurno, eoque quotidie vescerentur singuli.

De Cyatho.

Cyathus, de quo Exod. c. 25. v. 29. *Cyathus* (de quo Exodi cap. 25. vers. 29. dicitur: *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina*,) erat vasculi, seu calicis genus, quo in conviviis ad metiendum hauriendumque vinum uti solet, Gallicè *un gobelet*, duodecimam sextarii Romani partem capiens; & sicut *ephi*, seu amphora Romana duas continebat urnas, urna quatuor congios, congius sex sextarios, sextarius 12. cyathos, ita & cyathus quatuor cochlearia, seu ligulas.

Cochleare autem, sive ligula, ab aliis lingula imperitè vocata, juxta illud Martialis, lib. 14. Epigram. dicentis:

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Est mensura omnium minima, seu vasculum, figuræ oblongæ, in formam lingulæ, omnium minimum, alio nomine *cochleare*, & per apocopen *cochlear* ideò dictum, quòd ad cochleas, aliasque hujusmodi escas, in mensis sumendas, vel hauriendas, inserviat, juxta illud ejusdem Martialis, ibidem canentis:

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis.
Numquid scis potiùs cur cochleare vocer?

Estque quarta pars cyathi, cyathum siquidem implent quatuor cochlearia.

Ca-

Cæteræ longitudinis mensuræ, de quibus interdum fit in Scriptura mentio, præcipuæ sunt istæ.

Cæteræ longitudinis mensuræ sunt.

Digitus, palmus, pes, cubitus, passus, ulna, stadium, milliare.

Digitus, de quo frequens est in divina Scriptura mentio, ut v. g. 3. Reg. cap. 12. vers. 10. dum dicitur à Roboam, *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei*; & Isajæ c. 40. v. 12. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* & rursus Psalm. 143. vers. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*; & quamvis sumatur ibi, & vulgò alibi, digitus pro una, seu pro singulari aliqua ex illis quinque manus nostræ partibus extremis, & ad omnes manuales usus miro ordine à natura digestis, unde & digitis vulgò vocatis; sumitur tamen interdum digitus pro quodam mensuræ genere, estque decima sexta pars pedis, seu mensura, sive latitudo unius digiti transversim positi, dicitur mensura omnium minima quatuor continens hordei grana transversim posita.

Digitus de quo 3. Reg. c. 12. v. 10. Isajæ c. 40. v. 12. & Ps. 143. v. 1.

Palmus (de quo dicitur 1. Reg. cap. 17. vers. 4. *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi*,) est mensura quatuor digitorum transversim positorum, palmus scilicet minor & contractus; nam palmus major & extensus, qui dicitur *spithama*, & de quo intelligendum est illud Exodi cap. 28. vers. 16. ubi dicitur, quòd *Rationale .... quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit*; id est, habebit palmum unum extensum, seu *spithamam*, seu 12. digitos, tam in longitudine, quàm in latitudine; est enim spatium trium palmorum minimorum, seu 12. digitorum, seu extensio illa, quæ est inter pollicem & indicem manus extensæ.

Pes, de quo sermo est variis in Scripturæ locis, ut v. g. 1. Reg. cap. 23. vers. 22. dum dicitur, *Considerate locum ubi sit pes ejus*; & Eccles. cap. 4. vers. 17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*; & Eccli. cap. 21. vers. 25. *Pes fatui facilis in domum proximi*: licèt sumatur ibi, & ut plurimùm alibi, pro ea corporis parte, qua utimur ad gradiendum, est tamen quoddam mensuræ genus vulgatissimum & ubique notum, quo mensurantur terræ, continetque quatuor palmos, seu sexdecim digitos transversim positos.

Pes, de quo 1. Reg. c. 23. v. 22. Eccles. c. 4. v. 17.

Cubitus vulgaris tam apud Romanos, quàm Græcos & Hebræos, de quo dicitur Genes. cap. 6. vers. 15. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*; & Deuteronom. cap. 3. vers. 11. *Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus*; & iterùm Matth. cap. 6. vers. 27. *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* cubitus inquam his in locis memoratus, est pes cum dimidio, seu est mensura pedis cum dimidio, hoc est, sex palmorum communium & minorum, seu 24. digitorum, sive duorum palmorum extensorum & majorum, estque ea longitudo, seu extensio quæ est à flexu brachii medii usque ad extremum digiti longioris extensi, seu est quarta pars staturæ hominis benè formati: quisque enim benè formatus homo habet quatuor sui cubitos, seu pedes

Cubitus, de quo Matth. c. 6. v. 27.

sui sex, & totidem facit cubitos, vel pedes, dum sua in latum extendit brachia.

Passus, de quo Matth. c. 5. v. 41. *Passus* (de quo dicitur Matth. c. 5. v. 41. *Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo*,) duplex est, *compositus* nimirum & *simplex*. Passus compositus, seu major, quo utuntur geometræ, unde & dictus geometricus, est spatium 5. pedum, sive 20. palmorum. Passus verò simplex, seu minor, qui dicitur gressus, est dimidium passus geometrici, seu spatium duorum pedum cum dimidio.

Ulna, de qua Isa. c. 49. v. 22. & Luc. c. 2. v. 28. *Ulna*, de qua dicitur Isajæ cap. 49. v. 22. *Et afferent filios tuos in ulnis*; & Luc. c. 2. v. 28. *Ipse accepit eum in ulnas suas*, licèt ibi ulna brachium significet, est tamen genus mensuræ tantam capientis longitudinem, quantam complectuntur duo brachia utrinque extensa, seu est duorum brachiorum extensorum longitudo, de qua Virg. 3. Eclog. canit:

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spatium non ampliùs ulnas.

Stadium, de quo Luc. c. 24. v. 13. & Ioan. c. 11. v. 18. *Stadium*, propriè loquendo, ut hìc sumitur à nobis, & de quo loquitur S. Lucas, dum c. 24. vers. 13. ait: *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus*; & S. Joan. c. 11. v. 18. dum de Bethania Lazari patria sic ait: *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim*; stadium, inquam, sic sumptum, & his in locis memoratum, nihil est aliud quàm mensura 125. passuum: curriculum enim, hoc est, locus, sive spatium illud, in quo cursu & luctatione exercebantur antiqui, totidem continebat passus, & stadium dicebatur à stando, sive à statione, eò quòd Hercules eo spatio 125. passuum, uno spiritu, confecto, stetisset, seu constitisset; estque duplex stadium, Græcum scilicet & Romanum, Græcum centum dumtaxat passus continet, Romanum verò de quo agitur 125. passus compositos seu geometricos habet, estque octava pars milliaris, seu octava pars mille passuum.

Milliare, de quo Matth. c. 5. v. 41. *Milliare* idem est ac mille, de quo dicitur Matth. c. 5. v. 41. *Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo*. Milliare enim Italicum à mille passibus, quos continet, dictum est, & duplicatum facit leucam, cùm sit spatium, seu mensura octo stadiorum, seu mille passuum geometricorum, sive quod idem est, cùm milliare contineat octo stadia, sicut stadium habet centum & viginti quinque passus, passus verò quinque pedes, pes quatuor palmos, palmus quatuor digitos, & digitus denique quatuor habeat transversa hordei grana, ut triti isti sequentes indicant versus:

Quatuor ex granis digitus componitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus;
Quinque pedes faciunt passum, passus quoque centum
Cum viginti & quinque dabunt stadium, stadia octo
Mille dabunt, & mille duo facient tibi leucam.

Si de istiusmodi ponderibus, numismatibus, atque mensuris plura scire velis, lege Joan. Bapt. *Villalpandum*, virum natione Hispanum, patria Cordubensem, & professione Jesuitam, qui Apparatum urbis ac templi Jerosolymitani contexuit, in quo de Hebræorum ponderibus, numismatibus atque mensuris diligenter & copiosè disserit.

A R-

ARTICULUS XV.

Dubia discutiuntur aliqua, circa celebriora nonnulla divinæ Scripturæ facta.

LIcèt semper & ubique vera sit, invariabilis & constans, sibique nullibi contradicens Scriptura sacra, dubia nihilominus passim occurrunt innumera, circa varia divinæ Scripturæ facta, quæ cùm non vacet nobis, hìc resolvere singula, celebriora tamen juvat sequentibus numeris breviter expendere nonnulla, qualia sunt v. g. ista:

DUBIUM PRIMUM.

De primo mundi nascentis triduo.

Dicitur Gen. c. 1. v. 3. & seqq. lucem primo mundi die fuisse productam à Deo, dicente: *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & divisit lucem à tenebris. Appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque est vespere & manè, dies unus*, hoc est primus; & tamen luminare majus, seu sol, sine quo neque dies, neque lux, dicitur quarto dumtaxat mundi die factus, juxta illud ejusdem c. v. 16. & seqq. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeßet diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præeßent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd eßet bonum. Et factum est vespere & manè, dies quartus.* Quo posito

Quæritur primò, cùm non sit dies nisi à luce, nec lux nisi à sole, nec sol productus nisi quarta mundi die; unde ergo primum illud mundi triduum, seu unde tres illi primi mundi nascentis dies, qui solem quarta die productum præcessere?

Resp. 1. cum S. Th. quæst. 70. art. 1. ad 2. secundùm S. Augustinum, ibi nullam esse difficultatem, quia juxta S. August. *Lux illa, de qua primo die facta est mentio, fuit lux spiritualis; nunc autem, scilicet die quarta, fit lux corporalis*; & sic dici posse, tres primos illos mundi nascentis dies ab eadem luce spirituali fuisse, à qua & quartum, quintum & sextum, &c. Ratio est, quia S. August. supponit 1. Lucem illam prima die factam, esse spiritualem, naturam scilicet Angelicam; 2. Supponit septem creationis dies, non fuisse plures distinctos, sed unum septempliciter rebus præsentatum; & 3. per diem intelligit cognitionem mentis Angelicæ attingentem opera à Deo creata, ita ut primus dies sit cognitio primi divini operis, secundus dies cognitio secundi operis, & sic de aliis, ut expressè refert *S. Th.* 1. *quæst.* 74. *art.* 2. *in c.* dicens: *Augustinus enim vult super Gen. ad Litt. &* 11. *de Civitat. cap.* 22. *& ad Orosium, quòd omnes, qui dicuntur septem dies, sunt unus dies septempliciter rebus præsentatus..... Nam secundùm Augustinum per diem intelligitur cognitio mentis Angelicæ, ut sic primus dies sit cognitio primi divini operis, secundus dies cognitio secundi, & sic de aliis, & dicitur unum quòd opus esset actum in aliqua die, quia nihil Deus produxit in rerum natura quod non impresserit menti Angelicæ, quæ quidem multa simul potest cognoscere præcipuè in Verbo, in quo omnis Angelorum cognitio perficitur & terminatur; & sic distinguuntur dies secundùm naturalem ordinem re-*

A sole fuit, solis formatione licèt præcedens primũ mundi nascentis triduum.

rerum cognitarum, non secundùm successionem cognitionis, aut secundùm successionem productionis rerum: cognitio autem Angelica propriè & verè dies nominari potest, cùm lux quæ est causa diei propriè in spiritualibus secundùm August. inveniatur.

Resp. 2. Non adhærendo menti S. August. dici posse cum aliis, tres primos illos dies fuisse à luce corporali, seu à sole, prima die quoad substantiam producto, & posteà quarta die quoad modum specialem formato, ut expresè docet S. Thom. ibidem 1. quæst. 70. art. 1. ad 2. dicens: *Si autem lux primo die facta intelligatur lux corporalis, oportet dicere quòd lux primo die fuit producta secundùm communem lucis naturam, quarto autem die attributa est luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus..... Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionys. 4. de Divin. nom. quòd lumen solis, quod primo erat informe, quarto die formatum est.*

Dices. Lux prima die producta, fuit producta perfecta, & non informis, juxta illud Gen. cap. 1. vers. 4. *Et vidit Deus lucem quòd esset bona;* Ergo vel per illam non intelligitur lux corporalis, seu sol, vel solis lumen productum est etiam prima die formatum, & non informe. Resp. dist. ant. Fuit producta perfecta, formata & bona quoad substantiam & communem lucis naturam; conc. quoad determinatam virtutem, & determinatos effectus speciales; neg. ant. & sub eadem dist. conseq. quia potuit sol produci prima die perfectus & bonus quoad substantiam & communem lucendi naturam, & nihilominùs formari quarta die & perfici quoad determinatam virtutem & speciales determinatos effectus.

DUBIUM II.

De antediluviano generis humani cibo.

Moyses Gen. cap. 1. post narratam rerum omnium creationem, & integrè descriptum divinum sex dierum opus, concludit dicens vers. 29. Deum hominibus, hoc est, Adæ & Hevæ, eorumque posteris futuris in cibum solas herbas & lignorum fructus assignasse, nulla carnium mentione facta, dicendo: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Idemque Moyses posteà ibid. cap. 9. vers. 3. refert, Deum post diluvium carnium esum in cibum indulsisse Noe & filiis ejus, dum dixit eis: *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Quo posito

Ante diluvii nec usitatus, nec vetitus, nec expresè licitus erat carnium esus.

Quæritur secundò, num toto illo tempore diluvium antecedente fuerit licitus & usitatus carnium esus?

Resp. tres hac de re auctorum sententias esse, quarum 1. (quæ est *Lirani, Tostati & Carthusiani* in cap. 1. Gen.) tenet, nec licitum nec usitatum fuisse tunc carnium esum, ex eo quòd Scriptura dicat, Gen. cap. 1. vers. 29. Deum homini concessisse solum herbarum esum.

2. Econtrà (quæ est *Cajetani* in cap. 1. Gen. *Victoriæ Relect. de temperantia*, & *Dom. Soto lib. 5. de justitia*) asserit & licitum & usitatum fuisse, ex eo quòd nullibi reperiatur prohibitus, & aliunde carnium esus homini sit convenientissimus.

3. Eaque media veriorque visa (quæ est *S. Chrys. Theodoreti, Pererii* & aliorum) censet carnium esum, ante diluvium, nec vetitum fuisse, nec ta-

tamen usitatum; sed ita frugales in cibo & potu fuisse ante diluvium homines, ut solis herbis & fructibus vescerentur, à carnibus verò æquè ac à vino abstinerent, non quia vetitis, sed quia non expresè permissis: non vetitas autem fuisse carnes, patet ex eo quòd nullibi reperiatur in Scriptura talis à Deo facta carnium prohibitio; & aliunde non fuisse in cibum expressè permissas ante diluvium, patet ex eo quòd Deus, Gen. cap. 1. vers. 29. assignans homini cibum, disertè & expresè designaverit herbas dumtaxat, nulla carnium mentione facta, hoc est, non designando ullo modo carnes, sicut eas post diluvium expresè designavit, dicens, Gen. cap. 9. vers. 3. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, &c.*

De illa antediluviana priscorum hominum à carnibus abstinentia ita persuasi fuere etiam Ethnici, ut Ovidius lib. 15. Metamorph. de aurea illa mundi ætate canat:

— Vetus illa ætas non polluit ora cruore,
Tunc & aves tutæ movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris.

Dices. Homines ante diluvium, si non omnes, saltem plurimi vivebant usque ad 900. annos & ultrà, ut constat Gen. c. 5. ubi *Adamus* legitur *vixisse* 930. annis, *Seth*, 912. *Enos*, 905. *Cainan*, 910. *Jared*, 962. *Mathusalem*, 969. & *Noe*, 950. at non videtur credibile, eos solis herbis & arborum fructibus vescendo tam longævam duxisse vitam; ergo nec videtur credibile, eos toto illo tempore fuisse in cibum solis herbis & arborum fructibus usos. Resp. conc. maj. neg. min. & conseq. quinimò ideò partim prisci illi patres tam longævam duxere vitam, quia tam frugales in cibo & potu fuere; Vitæ primorum hominũ tam longævæ, causæ notantur variæ.

Variæ siquidem notantur à *Pererio* hujus tam longævæ vitæ causæ, 1. fuit bonitas primæva complexionis, seu temperamenti corporis humani. 2. Fructuum terræ virtus quæ tunc major erat, fructusque succulentiores quàm nunc. 3. Scientia Adami & per Adamum aliis communicata, qua mediante vim herbarum & terræ fructuum meliùs noverant antiqui patres illi primævi, quàm hodie peritiores medici nostri. 4. Denique causa fuit illorum priscorum hominum frugalitas, quæ tanta erat in illis, ut nec vino uterentur nec carnibus, unde ideò partim & præcipuè tam longævam patres illi duxere vitam, quia tam frugales fuere in cibo & potu; abstinentia enim, sive frugalitas multùm sanitati confert & longævitati, cùm noxios consumat humores, & spiritus vitales purificet & exacuat, foveatque insuper humidum radicale sicut & calorem naturalem, quem intemperantia sæpè, seu nimia ciborum copia suffocat & opprimit, & tandem successu temporis, simul cum vita minuit & extinguit. Unde est, quòd primævam illam confirmans & laudans primorum hominum frugalitatem, pulchrè dicat Boethius lib. 2. de consolatione metro 5.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande!

D U-

DUBIUM III.

De primæva generis humani lingua.

Dicitur Gen. c. 11. à mundi exordio, ante diluvium, & à diluvio ad Babelicæ turris usque fabricam, unicam fuisse omnibus communem generis humani loquelam & linguam, sed ad confundendos filios Adam illosque dispergendos tam insanæ & ad cœlum usque pertingentis turris Babelicæ fabros, Deum hanc illorum omnibus communem ita confudisse linguam, & varias illis indidisse alias ita singulis proprias, ut non intelligeret unusquisque sui proximi linguam, sicque se invicem non intelligentes cœptam reliquere turris memoratæ fabricam, & in diversas mundi regiones dispersi cum suis linguis abiere, ut constat ex præfato Gen. c. 11. v. 1. & seqq. ubi sic legitur, *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorumdem. Cùmque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento; & dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce, unus est populus, & unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem. Et idcircò vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ; & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Quo posito

Quæritur tertiò, quænam fuerit illa primæva, & usque ad turris Babelicæ fabricam, omnibus communis generis humani lingua?

Primæva generis humani lingua fuit Hebræa. Resp. primævam illam & omnibus hominibus tunc communem ac familiarem linguam, fuisse Hebræam, hoc est illam, quæ hodie & à temporibus *Heber*, in quo remansit, & à quo ad nos usque delata, vocatur *Hebræa*.

Ex S. Aug. lib. 16. de Civ. c. 11. Pr. 1. ex eo, quòd hoc, præter Origenem, SS. Chrysost. Hieron. Eucherium & alios, expressè doceat S. August. lib. 16. de civ. c. 11. dicens: *Quamobrem sicut lingua una cùm esset omnium, non ideò filii pestilentiæ defuerunt: nam & ante diluvium una erat lingua, & tamen omnes præter unam Noe justi domum, deleri diluvio meruerunt; ita quando merito elatioris impietatis gentes linguarum diversitate punitæ atque divisæ sunt, & civitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ anteà fuit omnium lingua, remaneret.... Quia ergo in ejus familia remansit hæc lingua, divisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur fuisse communis, ideò deinceps Hebræa est nuncupata.*

2. Quia id manifestè colligitur ex etymis & significationibus variorum nominum, quæ referuntur in Genesi, qualia sunt v. g. ista, *Adam, Heva, Cain, Abel, Seth, Babel, Phaleg*, & cætera multa, quorum etymon, origo, & significatio ex alia peti nequit, quàm ex Hebræa lingua; Deus enim & Hebræi suis imponebant nomina ab eventu, hoc est, nomina quæ significarent eventum præsentem, vel futurum aliquem, ut examinanti patebit.

Idque indicant Hebræa pri- Nam *Adam* v. g. Hebraica vox est, idem significans ac homo, & homo ideò vocatur Adam ab Hebræo nomine *Adamah* significante humum, quia ho-

homo de humo, sive terra formatus à Deo, hoc est, de pulvere aqua mixto, sive limo terræ; unde ei dictum à Deo, Gen. c. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

morum hominum nomina. *De quibus Gen. c. 2. 3. & 4. &c.*

Heva pariter, sive *Cheva*, Hebraicæ linguæ vox est, idem significans ac vivens, aut potiùs vivificans, à radice *Chaja*, id est, vixit; sic enim vocata est uxor Adæ, eò quòd futura esset mater cunctorum viventium, ut ibid. dicitur vers. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eò quòd mater esset cunctorum viventium.*

Cain Hebraicè idem est ac Latinè possessio, & ideò sic dictus à radice *Kanàh*, id est possedit, quia postquam Heva concepit & peperit *Cain*, dixit Gen. c. 4. v. 1. *Possedi hominem*, quasi dicens, natus est mihi filius quasi posessio mea; est enim filius quasi parentum possessio, unde jure naturæ sub patris potestate est.

Abel sic quoque Hebraicè vocasse videtur Heva, quasi præsagiens celerem ejus mortem, seu eum citò *transiturum* & vanitati similem; *Habel* enim idem significat ac vanitas, unde Ecclesiastes ait c. 1. vers. 2. *Habèl habalìm hachòl hàbel*; id est, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Seth similiter vox est Hebraica, idem significans ac Græcè thesis, & Latinè positio, seu fundamentum, à radice *Scium* significante posuit, locavit, sicque dictus iste *Hevæ* filius, quia eum, post occisum Abelem à Caino, genuit *Heva*, eumque *Seth* quasi futurum suæ sobolis, & posteritatis fundamentum vocavit Adam, dicens Gen. c. 4. v. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.*

Babel Hebraicè idem est ac Latinè confusio, sic dictus locus ille à radice *Balal*, id est, confudit, sive commiscuit, quia ibi ita ædificantium turrim linguas confudit, sive commiscuit Deus, ut pro una omnibus communi, singulis singulas, & singulis proprias indiderit, juxta illud Gen. c. 11. v. 9. *Vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ.*

Phaleg denique Hebraica vox est, idem significans ac divisio, sicque ille filius Heber à radice *Phalagh*, id est, divisit, quia in diebus ejus facta est hæc linguarum ac gentium divisio, juxta illud Gen. c. 10. v. 25. *Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eò quòd in diebus ejus divisa sit terra.*

Atqui hoc dici non posset, si tunc Hebraica lingua non fuisset usualis, & communis omnium hominum lingua, quando hæc fuere imposita nomina, hoc est, ab Adamo ad turris usque Babelicæ fabricam. Ergo tunc communis & usualis erat omnium hominum Hebraica lingua, eaque consequenter usus & locutus est Adam, dum undequaque sibi adductis animantibus terræ imposuit nomina cunctis.

Sed quam Deus posteà ad puniendos & dispergendos insanos turris Babelicæ fabros confudit, eique varias immiscuit linguas alias, quatenus pro una Hebræa lingua quam callebant, & qua loquebantur omnes, singulis singulas, proprias & diversas indidit, Hebraicæ deleto prorsus habitu, ita ut dum posteà colloquerentur ad invicem unus Græcè, alter Latinè, tertius Germanicè, Sclavonicè quartus, & sic aliter alii ita variè, ut sese mutuò non intelligerent, sed uno petente lateres, alter præberet cæmentum, hoc petente trullam, alter afferret sportam, sicque lingua & animo confusi, dispergi & in varias regiones abire coacti sunt cum suis quique linguis, quas septuaginta duas numero fuisse tenent SS. *Aug. Hieron. Prosper & Epiphan.* quia tot personæ reperiuntur nominatæ Gen. cap. 10. ubi recensetur filiorum Noe, ac posterorum catalogus, eorumque per orbem divisio.

Di-

Dices. *Hebræa* lingua, Hebræa dicitur ab *Heber* Sale filio; ergo ante Heber, & ab illo sursum ascendendo usque ad Adam, nulla erat Hebræa lingua, quæ primæva fuerit & communis omnium hominum lingua, vel alio erat vocata nomine; quo autem alio vocata fuerit nomine, nullibi constat; ergo, &c. Resp. conc. ant. neg. conseq. Quia licèt ante Heber nulla esset lingua, quæ tunc diceretur Hebræa, erat tamen illa eadem lingua, quæ posteà ab Heber dicta est Hebræa, quæque quia sola erat & omnium hominum communis, ideò tunc nullo alio nomine vocata quàm humana lingua, ut expresśè docet S. Aug. 16. de Civ. Dei cap. 11. dicens: *Quando autem erat una, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, qua sola universum genus humanum loquebatur, quæque quia remansit in familia Heber, divisis per alias linguas cæteris Gentibus, ideò deinceps Hebræa est nuncupata.*

Hebrea lingua ab Heber dicta, ante Heber humana lingua vocata, *ex S. Aug. 16. de Civ. c. 11.*

Instabis. Ea lingua propriè humana & primæva hominum lingua dici debet, qua sponte sua naturaliter, & nullo dirigente magistro loquitur homo; Atqui ea lingua, qua sponte sua naturaliter & nullo dirigente magistro loquitur homo, non est Hebræa; ergo Hebræa non est humana & primæva hominum lingua.

Probatur minor experimento perantiquæ regionis. Scribit Herodotus, Ægypti Regem nomine *Psammathicum* (annis sexcentis ante Christum & ultra) educari jussisse duos pueros in silvis, ubi nullam prorsus audirent vocem humanam, ut quam sua sponte & sine doctore loquerentur, eam judicaret humanam, seu primævam fuisse generis humani linguam, eosque post tres annos è silvis revocatos pueros, & ante Regem ipsum productos, nihil aliud quàm *Bec* aliquoties protulisse fertur; cùmque *Bec* in lingua Phrygia idem significet ac in Latina *panis*, inde primam primorum hominum linguam Phrygiam, & primos homines Phrygas fuisse pronuntiatum est. Ergo Hebræa non est ea, quam sua sponte & nullo dirigente magistro loquitur homo, nec consequenter humana & primæva generis humani lingua.

Resp. neg. min. ad cujus probationem ex antiquo illo silvestrium puerorum experimento depromptam, dico cum Joan. Lud. Vives librorum de Civ. Dei commentatore, non esse mirum, pueros illos inter capros & capras in silvis educatos statim dixisse *Bec*, & nullas voces fuisse locutos alias, qui nullas fortè audiverant alias, nisi vel caprinas, vel garrulas avium cantilenas; sed inde non sequitur, eam linguam, quam hodie dicimus Hebræam, non fuisse primævam generis humani linguam, à Deo Adæ inditam, omniumque hominum communem & usitatam, usque ad turris Babelicæ fabricam, & in ipsa turris Babelicæ fabrica, per aliarum linguarum commixtionem in cæteris deperditam, in sola familia Heber conservatam, & ex ea deinde temporum successu corrupta, subortas fuisse plures alias, puta Chaldaicam, Syriacam, & Arabicam.

Urgebis. Si ex Hebræa per corruptionem subortæ linguæ aliæ; ergo non à Deo inditæ fuere linguæ aliæ diversæ turris Babelicæ fabris. Resp. neg. conseq. Non enim dico ex Hebræa lingua per corruptionem subortas fuisse linguas omnes alias, sed solùm aliquas; nec pariter dico omnes omninò alias omnium nationum linguas fuisse turris Babelicæ fabris à Deo inditas, sed solùm aliquas, scilicet matrices, & ex iis per corruptionem subortas numero plures alias, ut ritè notat Genebrardus dicens, præter Hebræam Adamo infusam, & in Heber conservatam, Deum in confusione Babylonica solas matrices alias hominibus indidisse linguas, & ex iis per corruptionem prodiisse cæteras alias, ita ut prodierint v. g.

Ex

Ex Hebræa:

Chaldaica, Syriaca, Arabica.

Ex Latina:

Italica, Vvallachica, Gallica, Hispanica.

Ex Græca:

Dorica, Ionica, Æolica, Attica.

Ex Germana:

Helvetica, Saxonica, Anglica, Scotica.

Ex Sclavonica:

Polonica, Boemica, Moscovitica.

Ex Abyssina:

Æthiopica, Sabæa, & aliæ.

Et sic ex matricibus aliis, numero plures aliæ, quibus omnibus, & semper, utinam Deum unum verum & summè bonum laudent omnes ubique Gentes.

DUBIUM IV.

De Patriarchæ Jacobi Prophetia pro non auferendo sceptro de domo Juda.

Dicitur Gen. cap. 49. vers. 10. quòd cùm Isaaci filius Patriarcha *Jacob* moriturus congregasset duodecim filios suos, ut benediceret eis, & prophetaret quæ cuique ventura forent in novissimis diebus, Judæ filiorum quarto prophetando prædixit, sceptrum regni Judæorum in domo ejus semper mansurum, usque ad adventum Messiæ, sive Christi, dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.*

Videtur tamen id aliter evenisse; nam David ejusque posteri Judæorum Reges usque ad Sedeciam, qui fuere de tribu Juda, regni tenuere sceptrum usque ad captivitatem Babylonicam tantùm, hoc est, per 470. circiter annos & non ultrà; post reditum verò è captivitate Babylonica usque ad adventum Christi, Judæorum duces fuere Machabæi, non de tribu Juda, sed de tribu Levi suborti; erant enim sacerdotes & Pontifices, ut constat ex 1. Machab. cap. 2. vers. 1. ex Josepho & historicis cæteris; ergo ante Christi adventum, ablatum est Judæorum sceptrum de tribu Juda. Quo ita supposito facto, sive eventu,

Quæritur quartò, quomodo vera & verè impleta dici potest illa Jacobi Patriarchæ Prophetia, qua contra Judæos Messiam jam venisse, illumque Messiam Christum nostrum esse probamus.

Resp. 1. veram & verè impletam fuisse Prophetiam illam, nec ablatum fuisse de tribu Juda Judæorum sceptrum, ante Christi adventum. Ratio est

Non ablatum est sceptrum de

tribu Juda ante Christi adventum. est quia ex SS. *Justino*, *Athanasio*, *August.* *Chrysost.* *Theodoret.* & *Rupert.* citatis à *Perrerio*, non de singulari tribu Juda intelligenda est illa Jacobi Prophetia, sed de tota Jacobi Patriarchæ familia in 12. tribus divisa, cui Judaicæ nomen dedit Juda quartus Jacobi Patriarchæ filius; seu per Judam hìc intelligi non solam tribum Juda, sed omnes Judæos in 12. tribus divisos, ac proinde cùm omnes quotquot fuere, qui populum rexere Judaicum, ab eo tempore usque ad Christum, fuerint de aliqua tribu ex iis 12. de tribu Juda sic spectata censeri debent, usque ad Herodem Ascalonitam, sub quo venit Christus; sicque verum est, non defecisse sceptrum de domo Juda, usque ad adventum Messiæ sive Christi.

Resp. 2. veram esse Prophetiam illam & verè impletam, etiam intellectam de singulari tribu Juda. Ratio est, quia hujus Prophetiæ sensus est, quòd eo ipso quo tribus Juda Regium Judæorum sceptrum sive Principatum semel susceperit, semper retinebit illum, donec veniat qui mittendus est, scilicet Messias sive Christus. Atqui re ipsa hoc ita impletum est: nam ex eo tempore, quo tribus Juda Regium Judæorum sceptrum seu Principatum habere cœpit in Davide, illum retinuit & regnavit per Reges usque ad captivitatem Babylonicam; durante captivitate eumdem retinuit, & jure regnavit per Joachin Regem suum legitimum licèt captum & incarceratum; finita captivitate eumdem retinuit, & jure regnavit in Zorobabele Joachini nepote, aliisque ducibus, usque ad Machabæos; in Machabæis denique illum retinuit, & per eos licèt Levitas regnavit, usque ad Herodem Ascalonitam, sub quo natus est Christus; & ratio est,

Licèt ut duces regnaverint Machabæi. 1. Quia licèt Machabæi essent de tribu Levi, tamen post reditum à captivitate censebantur esse de tribu Juda, quia cum tribu Juda commixti, & in unam rempublicam cum illa insiti & coaptati; cùm enim sola tribus Juda redierit ex illa captivitate cum paucis de tribu Benjamin, de tribu Levi, & aliis de tribubus aliis, hinc deinceps tota Judæorum gens à *Juda* nomen accepit, omnesque licèt de aliis tribubus orti, de tribu *Juda* censebantur esse, quia cum illa commixti, & in unum Judæorum corpus adunati.

2. Quia dum apud Judæos regnarunt ut duces Machabæi, ideò regnarunt, quia illos ob zelum & fortitudinem sibi præfecit, & in suos duces elegit tribus Juda, sicque regnantibus Machabæis licèt Levitis regnare non desiit, nec sceptrum sive Principatum amisit tribus Juda, sed per illos regnavit, & sceptrum retinuit jusque regnandi, & illi nomine ejus, usque ad Herodem alienigenam Regem primum, sub quo natus est Christus, seu Messias à Jacobo prophetante prædictus; ergo non ablatum est sceptrum de tribu Juda, donec venerit, qui mittendus erat, scilicet Messias.

Et Babylone captivi fuerint Judæi. Dices. Tempore captivitatis Babylonicæ defecit sceptrum de domo Juda; ergo & longè ante Christi adventum. Resp. neg. ant. quia tunc etiam Joachin remansit Judæorum Rex legitimus, licèt captus, & in carcere detentus Babylonico per 37. annos à Nabuchodonosore Rege Babylonico, quo mortuo ei succedens filius *Evilmerodach* liberavit eum è carcere, & exaltavit eum supra reges alios, ut constat ex lib. 4. Regum c. 25. ubi sic legitur v. 27. *Factum est verò in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin Regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis: sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Juda de carcere. Et locutus est ei benignè: & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone*, seu Regum aliorum, quos pariter Nabuchodonosor deviceerat, & carceri cum ipso Joachin incluserat, ut Regis Tyri, Regis Ægypti,

Re-

Regis Edom, Ammon, Moab, &c. Porrò Joachin Regem Juda eduxit, & præ aliis exaltavit *Evilmerodach*, vel quia pater ejus moriens, & tyrannidis suæ ac superbiæ pœnitens, uti innuitur Daniel. c. 5. v. 34. ita ei præceperat, vel quia in carcere moribus ejus & alloquio delectatus, amicitiam cum eo contraxerat, ut notat Cor. à Lap. in Jerem. c. 52. v. 31. Post illum autem Joachin, & finita captivitate, populo Judaico præfuit *Zorobabel*, aliique duces de Juda, usque ad *Machabæos*, & illi usque ad *Herodem* Ascalonitam, quo regnante, regni ejus anno 35. natus est Christus.

Instabis. Si natus est Christus anno regni Herodis 35. & non antè; ergo jam per 35. annos ante Christum defecerat sceptrum de Juda, ac proinde falsa Jacobi Patriarchæ Prophetia. Resp. neg. conseq. quia ad hoc, ut vera dicatur Prophetia de non auferendo sceptro de Juda, ante adventum Christi, sufficit, ut sub eodem Rege veniat Christus, sub quo auferri seu deficere cœpit sceptrum de Juda; Atqui re ipsa venit Christus sub ipso Herode Ascalonita & alienigena Rege, primoque qui non fuit de Juda: Ergo, &c. Resp. 2. Quòd licèt de facto & tyrannicè regnaverit Herodes per annos circiter 31. non tamen de jure & legitimè; jus enim regnandi semper retinuit tribus Juda, donec deinde anno Herodis regni 31. convenerunt in unum omnes Judaicæ familiæ viri, & voluntariè præfatum ipsum Herodem in Regem agnoverunt & juraverunt, licèt alienigenam; tunc verè defecit sceptrum de Juda, & non antè, & tunc anno ejusdem Herodis 35. venit Christus verus Messias à Jacobo prædictus, ex quo concludendum cum S. August. lib. 18. de Civ. cap. 35. & dicendum: *Non ergo defecit Judæorum Princeps ex Judæis, usque ad istum Herodem, quem primum acceperunt Regem alienigenam.*

Cùm venerit Christus sub Herode primo alienigena, & non de Tribu Juda, Rege, *ex S. Aug. l. 18. de Civ. c. 35.*

DUBIUM V.

De dubia Henoch & Eliæ vita vel morte.

Dicitur de Henoch Gen. c. 5. v. 24. quòd *Ambulavit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*; & de Elia legitur 4. Reg. c. 2. v. 11. quòd dum incederet & sermocinaretur cum Eliseo, raptus igneo curru ascendit in cœlum, nec ampliùs deinceps in terris visus est; *Cùmque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque; & ascendit Elias per turbinem in cælum.* His positis

Quæritur quintò, an vivant adhuc Henoch & Elias, ut communis tenet DD. sententia? an verò sint post mortem in cœlum translati, ut Judæi opinantur nonnulli?

Resp. communem esse PP. sententiam, eos nondum esse mortuos, sed vivos in paradisum translatos, ut tempore Antichristi redeant, & contra eum pro Christo pugnent, & Gentibus prædicent; idque sic

Nondum mortui Henoch & Elias, sed ne viderent mortem, in paradisum translati, *ità com. SS. PP.*

Pr. de *Henoch* 1. Si Henoch verè mortuus esset, dum Gen. cap. 5. texitur seu narratur genealogia Adæ, per Seth usque ad Noe, diceretur de Henoch sicut de Ada, Seth, & sequentibus singulis aliis, expresè dicitur, quòd mortui sint, *Et mortuus est*: Atqui de Henoch nihil tale concluditur, sed solùm dicitur de eo vers. 23. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*; sive ut vertunt Septuaginta, *Quia transtulit eum Deus*: ergo signum est, Henoch nondum esse mortuum, sed translatum. 2. Id expressiùs inquit S. Paulus, dum ad Hebræos cap. 11. vers. 5. manifestè dicit: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.* Ergo, &c.

Pr. verò de *Elia*, 1. ex illo 4. Regum c. 2. v. 11. & seqq. ubi Elias igneo curru dicitur in cœlum raptus, & sic, *Cùmque pergerent, & incedentes sermocinarentur*, Elias scilicet & Eliseus, *ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque; & ascendit Elias per turbinem in cœlum.*

2. Ex eo quòd S. Greg. Mag. Homil. 29. in Euang. dicat, *In cœlum aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat; ille etenim mortem distulit, non evasit*; ergo nondum mortuus, sed translatus Elias sicut Henoch.

3. Quia id de utroque confirmat Tertullianus lib. de resurr. cap. 58. dicens: *Henoch & Eliam nondum resurrectione dispunctos, quia nondum morte functos, & tamen æternitatis candidatos*; imò & sanctus Ambrosius in Symbolum Apost. sub finem, dicens: *Henoch translatus est ne videret mortem, similiter & Elias in corpore isto positus, curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui sunt spiritus & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione usque ad cœlum assumptus est*; ergo certum est Henoch & Eliam nondum esse mortuos.

Nōdum tamen comprehēsores & beati.

Dices. Si Henoch & Elias nondum sint mortui, sed vivi in Paradisum translati; ergo vident Deum, ac proinde sunt beati, & consequenter comprehensores simul & viatores. Resp. neg. conseq. Ratio est, quia, licèt illos Deum videre tenuerint nonnulli, ut Catharinus, Salmeron & alii apud Cor. à Lap. hæc tamen sententia nova, & nullo solido nixa fundamento. 1. Quia illam nullus SS. PP. asseruit. 2. Quia ex communi Theologorum consensu, solus Christus fuit comprehensor & viator; ergo nullus alius. 3. Quia nulli hominum, nec *Moysi*, nec *Paulo* concessum est, ut ante mortem videret Deum; idque expresse negatum Moysi, illique dictum à Domino, Exodi cap. 33. vers. 20. *Non videbit me homo, & vivet*; imò nec datum Paulo, qui 1. ad Timoth. c. 6. vers. 16. de Deo loquens addit, *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

Instabis. Ecclesia celebrat festum *Eliæ* vigesimo Julii die, ut ex Rom. Martyr. constat; ergo supponit illum esse beatum, ac proinde beatifica Dei visione frui. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia dum Ecclesia festum Eliæ celebrat, non celebrat festum ejus ut beati, sed ut rapti; ita ut eo die solam recolat memoriam illius raptus, quia mirabilis: ita Cor. à Lap.

Urgebis. In honorem Eliæ templa erexere Græci; ergo Eliam recolunt ut beatum. Resp. perm. ant. neg. conseq. ratio est, quia eodem motivo ei templa, quo illi festum instituere; unde cùm festum illi instituerint, ut memoriam dumtaxat mirabilis raptus ejus recolerent; ita & illi erexere templa, aut potiùs non illi, sed Deo, quia propriè non eriguntur templa Sanctis, sed soli Deo in honorem Sanctorum, sicque non Eliæ propriè, sed Deo in honorem Eliæ, qui cœlestem hìc egit vitam, quique licèt nondum sit beatus, est tamen certò beandus, & martyrii laurea donandus in fine mundi.

Litteræ quas post raptū è paradiso scripsit Elias impio Jorā regi Juda, de quibus 2. Paralip. c. 21. v. 12.

Dices 2. *Elias* post suum raptum litteras scripsit impio Regi *Joram* filio Josaphat, quibus litteris Elias graviter increpat Joram, quòd idola secutus, à Deo æquè ac à religione patris sui Josaphat recesserit, fratresque suos quasi parricida occiderit, eique gravem morbum, mortem, cladem que toti regno denuntiat, ut constat ex 2. Paralip. cap. 21. vers. 12. ubi sic expresse dicitur: *Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, & in viis Asa Regis Juda, sed incessisti per*

iter Regum Israel, & fornicari fecisti Judam, & habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti: ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, universaque substantia tua; tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Quæ omnia reipsa evenere; ergo Elias non videtur in cœlum raptus; nam si in cœlum raptus esset, ibique degeret, quomodo & per quem Elias ad Joram scripsisset litterasque misisset? Resp. prius supponendo quòd dum Henoch & Elias dicuntur in cœlum rapti, hoc ita & in eo sensu intelligendum esse, ut sint in cœlum, id est, in aera rapti, & per aera, in paradisum terrestrem, vel locum alium amœnum & secretum, in quo quietè degunt & placidè, translati, Henoch quidem ante diluvium in paradisum terrestrem, juxta illud Ecclesiastici cap. 44. vers. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*; post diluvium verò, quo inundatus & sublatus videtur paradisus, in locum aliquem alium amœnum sibi à Deo vel in aere vel in terra paratum, in quo nunc degit, & ad quem post diluvium raptus in aera & per aera, translatus est Elias, & è quo loco Elias præfatas scripsit ad impium *Joram* litteras. Quomodo autem & per quem eas miserit, non facile est definire, & varia circa hoc opinantur varii; nam 1. *Cajetanus* censet alium hunc esse Eliam & diversum à Thesbite, sed hoc gratis & sine fundamento dicitur. 2. *Vatablus* regius Hebraicæ linguæ professor putat per Eliam hìc intelligendum esse Eliseum, eò quòd Eliseus spiritum haberet Eliæ: sed hoc non magis verisimile. 3. Arbitrantur alii, inter quos *Emmanuel Sa*, Eliam suum ante raptum, has scripsisse litteras, easque dedisse Eliseo vel alteri simili, ut eas post suum raptum redderet Regi Joram. 4. Denique probabiliùs & passim tenent *Hebræi*, & cum illis Liranus, Serrarius, Sanchez, Bellarm. & Cor. à Lap. & dicunt Eliam eas è loco ubi degit cum Henoch misisse litteras, vel per Angelum forma humana indutum, vel per Eliseum, vel per fidelem virum alium; & addunt, quòd sicut in transfiguratione Christi, Petro, Jacobo & Joanni apparuit Elias cum Moyse, ita & hoc in casu, apparuit vel Eliseo, vel alicui alteri viro fideli, cui præfatas litteras à se scriptas Regi Joram tradendas dederit.

DUBIUM VI.

De certo vel incerto S. Joannis Euangelistæ discessu.

Dicitur Joan. cap. 21. quòd cùm Christus, post resurrectionem, ad mare Tiberiadis apparuisset Petro, ejusque sex aliis piscantibus socus, ipsique oves suas pascendas, fidelesque regendos omnes commisisset, ac mortem crucis prædixisset, interrogatus à Petro, quid de Joanne futurum esset? an moriturus nimirum esset, vel non? respondit ei, vers. 22. *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ex quo Christi responso, censuere multi S. Joannem non esse mortuum, sed venturum cum Henoch & Elia in fine mundi, ut cum illis contra Antichristum pro Christo certet, quare

Quæritur sextò, quid sit hac de re sentiendum? an dicendum S. Joannem esse mortuum, vel non, sed venturum cum Henoch & Elia, contra Antichristum?

S. Joannem Euangelistã nondum esse mortuũ videtur improbabile.

Resp. sententiam asserentium, S. Joannem nondum esse mortuum, videri prorsus improbabilem.

1. Quia illum mortuum, & naturali morte mortuum passim tradunt

Eccl. Patres, præsertim *SS. Irenæus, Hieronymus, August. Chrysostomus, Ambrosius*, & cum illis *Beda* & alii, ex quibus docet Baronius, illum obiisse anno Christi 101. Clementis Pontificatus 9. & ætatis suæ 93. obiisse, inquam, Ephesi, ibique sepultum, ei in Episcopatu Ephesino succedente *Onesimo* S. Pauli discipulo.

2. Quia in Concilio Ephesino jubentur coli SS. Martyrum reliquiæ ac præcipuè S. Joannis Apostoli ibi defuncti, atque sepulti, dicente *Cælestino* summo Pontifice in Epist. ad Concilium Ephesinum, *Ante omnia vos præcipuè considerare iterùm atque iterùm decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus reliquias præsentes honoratis, &c.*

3. Quia hoc manifestè probat constans Ecclesiæ traditio, quæ celebrat festum S. Joannis tanquam vita functi, jamque beati, & cum Christo in cœlo regnantis, ipsumque passim invocat, quod nulli, nisi post mortem, contigit, imò nec Eliæ nec Henoch; hos enim ut mortuos & beatos nemo colit & invocat, & licèt mirabilis Eliæ raptus memoriam celebret, Eliam tamen nec ut mortuum nec ut beatum agnoscit & colit: ergo verè mortuus est S. Joannes, & prorsus improbabilis est sententia illum nondum esse mortuum asserens.

Nec probatur ex Apocalypsi c. 10. v. 11.

Dices 1. *S. Joannes* sua in Apocalypsi cap. 10. vers. 11. ait sibi ab Angelo dictum fuisse, se iterùm Gentibus debere prophetare, *Et dixit mihi: Oportet te iterùm prophetare Gentibus*; ergo videtur innui, S. Joannem venturum in fine mundi, ut iterùm Gentibus prophetet, ac proinde illum nondum esse mortuum. Resp. neg. conseq. Non enim significant hæc Angeli verba, Joannem venturum in fine mundi, ut iterùm prophetet; & multipliciter intelligi possunt: Nam 1. juxta Bedam, Viegam, Ausbertum, & alios, ita intelligi possunt, ut sensus sit, *Oportet te iterùm prophetare*, id est, oportet te adhuc Euangelium scribere post Apocalypsim, & re ipsa illud post Apocalypsim, & suum ab exilio reditum scripsit. 2. Ita juxta alios intelligi possunt, ut Angeli loquentis sensus sit, jam ò Joannes in Patmos exul es, & siles, sed mox liber eris & redux in Asiam, ut ibi iterùm prædices Asianis Euangelium. 3. Et veriùs juxta Cor. à Lap. ita possunt & debent intelligi, ut eorum sensus sit, *Oportet te iterùm prophetare*, id est, oportet te adhuc alia graviora mala orbi inferenda prænuntiare, quàm ea quæ hactenus prophetando descripsisti, quasi dicat, hactenus, hac in Apocalypsi ab initio usque ad caput undecimum, prophetando descripsisti mysteria septem sigillis libri signati contenta, jam verò oportet te prophetando describere mysteria, & mala multò graviora in ipso libro signato contenta; & hæc re ipsa prophetavit Joannes cap. 12. vers. 13. 14. & seqq. usque ad finem Apocalypsis, describens & prædicens Ecclesiæ conculcationem, & diram fidelium persecutionem, ab Antichristo movendam, & Henoch ac Eliæ contra illum pro Christo pugnantium mortem, martyrium, resurrectionem, ascensionem in cœlum, & portenta eorum post mortem futura, ac proinde ex hoc loco concludi nequit, S. Joannem nondum esse mortuum, & venturum in fine mundi.

Nec ex Christi responso ad Petrum dato.

Instabis. Illud expressè videtur innuere Christus apud Joan. c. 21. v. 22. dum Petro interroganti, quid de Joanne futurum esset? an moriturus vel non, respondit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* ergo verè dici potest S. Joannem non esse mortuum, sed in vita mansisse donec veniat Christus in fine mundi. Resp. neg. ant. Ratio est, quia ibi Christus non loquitur assertivè, ita ut asserat Joannem esse mansurum in vita, sed conditionatè tantùm ad retundendam curiosam Petri interrogationem, quasi dicens,

cens, *Si sic eum volo manere, quid ad te?* Quòd autem ibi Christus non loquatur assertivè, ita ut affirmativè dicat Joannem non moriturum esse, manifestè indicat ipsemet Joannes ibid. dum ut falsam illam suspicionem de se non morituro ab aliis discipulis conceptam corrigat, addit, *Et non dixit Jesus, Non moritur, sed sic eum volo manere,* quasi dicens, si sic eum volo manere, & non crucifigi sicut te, nihil ad te, tu me sequere, & Joannis curam mihi relinque.

Urgebis. Christum hoc assertivè, & non conditionatè tantùm dixisse, nimirum Joannem non esse moriturum, sed mansurum in vita, colligitur ex eo, quòd alibi Christus promisit & prædixit Jacob & Joanni calicem passionis & martyrii dicens, Matth. c. 20. v. 23. *Calicem meum bibetis*; & ex eo, quòd Joannes nondum biberit illum passionis calicem, nec martyrium subierit; ergo ut vera sit Christi prædictio, venturus est in fine mundi Joannes, ut hunc calicem passionis bibat, ac proinde nondum mortuus dici debet. Resp. 1. neg. ant. quia S. Joannes hunc calicem sibi à Christo prædictum & promissum bibit Romæ ante Portam Latinam, dum à Domitiano in ferventis olei dolium immissus vegetior inde exivit, & novo virtutis miraculo martyr non moriens, sed vivens extitit; unde est quòd à Patribus vocetur & ab Ecclesia colatur ut martyr, licèt naturali morte vita functus. 2. Dici potest cum S. Isidoro in lib. de Patribus novi Testamenti, S. Joannem bibisse veneni calicem sibi ab impiis propinatum, sed sine noxa; unde est, quòd cum calice illo pingi soleat sanctus ille Apostolus, inquit Cor. à Lap. in Matth. cap. 20.

DUBIUM VII.

De felici vel infelici Salomonis exitu.

Cùm de Salomone dicatur, 3. Reg. cap. 3. illum à Deo sapientiam petiisse, & tantam impetrasse, ut nullus hominum illo sapientior fuerit unquam, nec futurus sit, juxta illud vers. 12. *Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Et aliunde c. 11. v. 4. de eodem jam sene legatur, quòd *cùm jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Hinc, posito hoc miserabili Salomonis lapsu, & ejus non audita pœnitentia,

Quæritur septimò, an salvatus, vel damnatus dici debeat sapiens ille Salomon?

Resp. antiquum esse problema, dubiumque percelebre: illum enim salvatum esse tenent permulti, illum econtrà damnatum esse opinantur non pauci; nihil verò de hac re pronuntiant, sed sub dubio relinquunt alii. Salomonē esse damnatum opinātur nō pauci.

Qui eum damnatum esse censent, sunt *Tertull.* lib. de Præsc. cap. 2. *S. Cyprian.* Epist. 7. de observanda disciplina, *S. August.* lib. 17. de Civit. cap. 8. & 2. *S. Chrysost.* Serm. de Pœnit. *S. Nilus, Beda, Liranus, Tostatus, Bellarminus,* &c. idque probant,

1. Ex eo quòd Scriptura lapsum Salomonis commemorans, nihil de ejus pœnitentia dicit, sed profundè tacet, quam non tacuisset haud dubiè, si pœnitentiam egisset, sicut lapsum Davidis narrans pœnitentiam ejus non tacuit.

2. Ex eo quòd si Salomonem post lapsum verè pœnituisset, is utique destruere debuisset idola & fana à se idolis erecta; ipse enim primus Regum Israelis invexit idola in Judæam. Atqui ea non destruxit, sed reliquit, &

post illum manserunt adhuc usque ad *Josiam* Regem, hoc est, per annos ferè trecentos; ergo non pœnituit, ac proinde impœnitens in peccato mortuus.

3. Ex eo quòd S. August. lib. 17. de Civ. de Salomone loquens dicat; *Hic homo bonis initiis malos exitus habuit*; & S. Nilus interrogatus de Salomonis salute responderit olim: *De Salomone nihil uspiam legimus in Scriptura sacra, quòd post peccatum pœnitentiam egerit sicut Manaßes; quis ergo de illo dicere poterit quòd salvus sit?*

Salvatum esse tenent plures alii.

Qui verò eum salvatum esse tenent, sunt Hebræorum Rabbini veteres, & cum illis *S. Hieron. S. Greg. Thaum. Rupertus, Pineda, Salianus, Barradius, Sanchez, Delrio*, & alii, ejusque pœnitentiam, ac consequenter salutem probant,

1. Ex eo quòd post lapsum scripserit Ecclesiastem, in quo quasi pœnitens & dolens se idolis & vanis amoribus vacasse exclamat cap. 1. vers. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quod argumentum validum esset, si certò constaret, Ecclesiastem ab eo post lapsum & non antè scriptum esse; at id non certò constat, imò Bellarminus lib. de Verbo Dei & alii cum eo censent hos tres Salomonis libros Ecclesiastem, Proverbia, & Canticum canticorum, fuisse à Salomone conscriptos ante lapsum, & colligunt ex eo quòd Salomon his in libris nullam faciat mentionem sui lapsus, suæque idololatriæ, nec suæ de illa pœnitentiæ, quod tamen facere debuisset, si verè pœnituisset, ut scandalum, quod induxerat, repararet.

2. Ex eo probant quòd 2. Reg. c. 7. v. 14. promiserit Deus Davidi patri ejus, se Salomonem correcturum paternè si peccaret, dum dixit ei: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*; hoc est, arguam eum, ut emendetur, in virga, qua solent homines suos castigare filios, ut emendentur; & addidit: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie mea*, ne coram me regnaret, subrogans ei Regem Davidem oculis meis placentem.

3. Ex eo probant quòd Proverb. cap. 24. vers. 23. juxta Septuaginta Interp. ipsemet dicat, *Novissimè ego quoque egi pœnitentiam, respexique ut eligerem disciplinam.*

4. Denique ex eo quòd Salomon fuerit dilectus Deo, Christi typus, & scriptor Canonicus tot sacrorum librorum.

De illius salute vel dãnatione nihil certò pronuntiari posse contendunt cæteri.

Qui denique nihil hac de re pronuntiant, sed sub dubio, & sub judice relinquunt, seu qui Salomonis salutem dubiam esse, & nihil de ea certò pronuntiari posse contendunt; sic probant,

1. Quia illius salus, respectu nostri, dubia est & incerta, de qua nihil certò concludi potest, neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex communi SS. PP. consensu, neque ex Ecclesiæ judicio; Atqui Salomonis salus ita se habet, ut de ea nihil certò concludi possit, nec ex Scriptura, nec ex Traditione, nec SS. PP. consensu, neque ex Ecclesiæ judicio; ergo respectu nostri, dubia est & incerta Salomonis salus.

2. Quia Salomonis salutem, dubiam & incertam esse, voluit Deus, ut omnibus metum sanctum incuteret & salutarem, doceretque nos fugere mundi delicias & pompas quasi periculosas, & diligenter satagere per bona opera certam vocationem nostram facere, sicque cum timore & tremore salutem nostram indesinenter operari.

D U-

DUBIUM VIII.

De licito vel illicito Jephte voto.

Dicitur in lib. Judic. cap. 11. quòd *Jephte* judex Israelis nonus, à populo constitutus, & pro Israele contra regem Ammon & Ammonitas pugnaturus, irruente in eum Spiritu Dei, votum emisit quo se Deo immolaturum promisit, si victor existeret, eum, qui primò sibi revertenti occurreret de domo sua, ut constat ibid. v. 30. ubi sic legitur, *Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Contigit autem, ut Jephte victori in domum suam revertenti propria & unigenita occurrerit filia, juxta illud v. 34. *Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis & choris,* quam licèt unigenitam & dilectam, ut votum impleret suum Jephte, Deo sacrificavit. Quo posito facto,

Quæritur octavò, an licitum fuerit, vel illicitum & impium hoc *Jephte* votum?

Resp. triplicem hac de re esse auctorum sententiam, quarum 1. tenet votum illud fuisse illicitum & impium; 2. docet fuisse pium & sanctum; 3. eaque media & verisimilior opinatur fuisse quidem illicitum & impium, excusari tamen *Jephte* à toto vel à parte, eò quòd per ignorantiam & religionis zelum votum hoc impleverit, & filiam immolaverit.

Nec sanctum nec pium fuit Jephte votum, sed illicitum & impium.

1. *Sententia* quæ est *S. Ambrosii* 1. Offic. cap. ult. *S. August.* quæst. 49. *Tertull.* lib. 3. contra Marcionem, *S. Chrysost.* homil. de Jephte, & *S. Thomæ* citantis S. Hieronymum 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 2. tenet votum illud fuisse illicitum, quia stultum, temerarium, & impium; stultum enim fuit & temerarium, quia sine discretione factum; poterat enim illi in domum revertenti occurrere canis vel asinus, & quid fecisset tunc Jephte? ait S. Hieron. nam lege vetitum erat, offerre canem, vel asinum; impium pariter fuit, quia poterat illi occurrere homo, & re ipsa occurrit filia propria, quam re ipsa immolavit; at impium est, & omni jure, naturali, divino, & humano vetitum, nedum filiam propriam, sed hominem, quisquis ille fuerit, immolare, & humano sanguine litare; ergo stultum, temerarium & impium votum illud; unde S. Thom. loco præfato S. Hieronymum citans, & de Jephte loquens, ait, *In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius.*

2. *Sententia,* quæ est *S. Anselmi, Serrarii, Saliani* & aliorum, censet votum illud fuisse pium & sanctum, 1. quia ex Spiritus sancti impulsu videtur à Jephte factum, cùm ibid. Judic. cap. 11. vers. 29. dicatur Spiritum Domini irruisse super eum: *Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini.* 2. Quia votum hoc non videtur displicuisse Deo, cùm Deus post tale votum victoriam de hostibus dederit. 3. Quia Ecclesiastici cap. 46. v. 13. & Pauli ad Hebr. cap. 11. vers. 32. Jephte numeratur inter Sanctos; ergo videtur non peccasse vovendo, aut si peccaverit, citò pœnitentiam egit.

3. *Sententia,* eaque media & verisimilior, quæ est Cor. à Lap. in Jud. c. 11. docet & fatetur votum illud fuisse quidem illicitum & impium; excusari tamen Jephte, vel à toto, vel à parte. Quòd autem fuerit illicitum & impium, manifestè patet, quia per illud filiam suam Deo mactavit, quod jure naturali, divino, & humano vetitum est; excusandus tamen videtur, vel à

toto, vel à parte, 1. quia hoc per ignorantiam & religionis zelum vovit, & implevit bona fide, pio, simplici, ac candido animo putans, se hoc voto teneri ad filiam, quæ sibi primò occurrerat, immolandam; erat enim Jephte militaris homo; milites autem ut plurimùm illiterati, putant se suis juramentis & votis, licèt perperam factis, obligari. 2. Quia exemplum Abrahami respiciebat, seque illum rectè imitari putabat, & fortasse sperabat, si sacrificium suum non esset Deo gratum, impeditum iri, sicut impeditum fuit sacrificium Abrahami. 3. Quia ex hoc, quòd post votum suum, tam nobilem de hostibus tantis esset adeptus victoriam, sibi persuadebat suum Deo non displicuisse, sed gratum fuisse votum.

DUBIUM IX.

De peccante vel non peccante se cum hostibus obruente Samsone.

Dicitur Judic. c. 16. quòd, dum Samson Israelitarum Judex decimus tertius, Gazæ à Philisthæis esset obsessus, eorum manus ut effugeret, urbis portas humeris impositas abstulit, & evasit, quo inaudito & inexpectato fortitudinis actu stupefacti Philisthini urgent *Dalilam* uxorem ejus, ut tentet eum, & sciat, in quo sita sit ejus fortitudo. Philisthinis acquiescit Dalila, & Dalilæ importunitate victus Samson in capillis sitam esse respondet, quo audito, Samsoni dormienti capillos rasit Dalila, eumque Philisthæis tradit, qui eum ligant, excæcant, incarcerant, diesque festos agunt, & ludunt, vocatumque de carcere Samsonem ludere cogunt; at ille renatis capillis & crescentibus cum capillis viribus, invocato Domino, columnas duas, quibus stabat nixa domus, concutiens, domum evertit, & seipsum cum Philisthinorum Principibus, & aliis numero multis obruit, dicens ibid. v. 30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim; concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat*; quo posito Samsonis facto,

Quæritur nonò, an ibi seipsum ruina domus occidendo peccaverit Samson, vel non?

Resp. negativè, 1. quia S. Aug. hìc, & lib. 1. de Civ. c. 21. hoc expresse negat, & ex impulsu Spiritus sancti factum esse docet, dicens, *Nec Samson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppresserit: nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat*, adeòque hìc preces ejus exaudivit, & pristinam fortitudinem ad id faciendum restituit.

Non peccavit Samson domum evertens, & se cum hostibus obruens.

2. Quia si hìc se ipsum ruina domus occidendo peccasset Samson, in peccato mortuus esset, ac proinde non inter Sanctos, sed inter damnatos potiùs numeraretur à Paulo Apost. Atqui S. Paulus ad Hebr. c. 11. v. 32. numerat illum, & alios istos Israelis Judices, Gedeon, Barac, Jephte, David, Samuel & Prophetas, inter Sanctos, dum ait: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*; ergo non peccavit seipsum hìc ruina domus cum hostibus occidendo Samson.

3. Quia, ut notat D. Mabill. in notis ad S. Bern. pag. 106. licèt citra Dei consilium hoc fecisset Samson, non tamen peccare dicendus esset, quia hoc non fecit ex intentione seipsum occidendi, sed ut hostes opprimeret & occideret, ex quo secuta est mors ipsius; cùm alioquin optasset eos perdere, se salvo; sed

Di-

Dices eum hoc fecisse cum intentione vindictam sumendi de hostibus suis, ideòque invocato Domino dixisse, *Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinam pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis.* Ergo in hoc peccasse censendus. Resp. neg. conseq. quia hoc non dicebat Samson, ut privatus homo privatam sui ulcisceretur injuriam, sed ut publicus populi judex ac vindex publicam ulcisceretur injuriam; injuria enim ejus non privata sed publica erat: quia ipse Judex populi erat, & pro salute populi pugnabat.

DUBIUM X.

De vero vel apparenti Samuele suscitato.

Legitur 1. Reg. cap. 28. quòd Saul Israelis Regum primus, videns in se parata Philisthinorum castra, & instare prælium, timensque ac expavens consuluit Dominum, sed eo non respondente neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas, vocat & consulit Pythonissam, hoc est, mulierem Pythonem seu Dæmonem familiarem habentem, à qua petit ut suscitet sibi Samuelem, à quo possit sciscitari quid sit opus facto; mulier hæc Pythonissa paret ei, suscitat Samuelem, & Samuel suscitatus, ac post mortem prophetans, Sauli ejusque castris futuram prædicit cladem ac perniciem, regnumque amittendum & Davidi dandum, ut constat ex toto præfati capitis contextu, & præsertim ex vers. 15. & seqq. ubi sic legitur: *Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David: quia non obedisti voci Domini, &c.* Quo posito facto,

Quæritur decimò, an *Samuel* ille suscitatus & apparens *Sauli* fuerit verus Samuel, seu vera Samuelis anima, vel dæmon, sive phantasma, larva, vel umbra Samuelis à Dæmone conficta?

Resp. duas esse hac in re auctorum sententias, quarum una negat, altera verum fuisse Samuelem affirmat.

1. Quæ est *Theodoreti, Tertull. Rupert. Beda* & aliorum, censet, non Samuelem, sed dæmonem, sive phantasma, larvam & umbram Samuelis à dæmone confictam apparuisse Sauli; idque probant,

1. Ex eo quòd ille suscitatus Samuel, seu illa Samuelis umbra obedierit Pythonissæ ejusque dæmoni seu Pythoni, cujus vi suscitatus est; sed hoc non potest dici de anima Samuelis, viri tam pii tamque sancti Prophetæ, nimirum quòd obedierit dæmoni; ergo nec dici quòd vera Samuelis anima apparuerit Sauli, sed potiùs dæmon sub specie & forma Samuelis, seu umbra Samuelis à dæmone conficta.

2. Ex eo quòd hæc Sauli apparens Samuelis umbra, sive forma dixerit Sauli ibid. v. 19. *Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*, quod non potuit dici à Samuele vero, seu à vera Samuelis anima, quæ erat in limbo Patrum, & Saul in infernum descensurus esset tunc, & reipsa descendisse videtur, cùm obierit in ipso fragranti superstitionis & Magiæ delicto, quo consuluit dæmonem per Pythonissam mulierem Magam, & insuper in ipso pariter peccaminoso suæ propriæ occisionis actu, quo se ipsum occidit; ergo non fuit

fuit vera Samuelis anima ex limbo Patrum rediens, sed dæmon ex inferno sub umbra & forma Samuelis apparens.

Non larva, nec umbra, sed vera Samuelis anima apparuit Sauli.

2. Sententia (quæ longè verior, est *S. Ambrosii* in cap. 1. S. Lucæ, *S. Hieronym.* in cap. 7. Isajæ, *S. August.* lib. de cura pro mortuis, *Tostati, Lirani, Cajetani* & aliorum,) asserit veram Samuelis animam apparuisse Sauli, idque in corpore aereo assumpto, quale est illud, quod assumunt Angeli; dum hominibus apparent; & probatur sic

1. Quia illud apertè constat ex Scriptura, quæ Ecclesiastici c. 46. v. 23. docet Samuelem post mortem prophetasse, & Sauli prædixisse cladem & interitum ob impiam vitam, dum sic ait: *Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis*. Ubi Græca versio ait: *Et postquam ipse dormivit, prophetavit*; Syriaca verò sic: *Et post mortem suam interrogatus est, ostenditque Regi viam ejus, & exaltavit de terra vocem suam in prophetia, ad cessare faciendum peccata*. Unde est quòd inter laudes, quas ibi Scriptura dat *Samueli*, hæc est una, eaque maxima, quòd post mortem prophetavit; atqui non Samuelis laus esset, sed dedecus potius & opprobrium, si hæc vera non fuisset Samuelis anima, sed umbra vel larva tantùm à dæmone conficta, & serviens Pythonissæ ejusque Magiæ & incantationi; ergo vera fuit Samuelis anima, quæ suscitata apparuit Sauli.

2. Quia id etiam manifestè perhibet sola rei gestæ narratio, quæ habetur 1. Reg. cap. 28. ubi in toto capitis contextu, non alius, quàm Samuel ipse nominatur, describitur, interrogatur, loquitur & prophetat.

3. Quia illud pariter innuit ejus prophetiæ veritas, id enim omne quod prophetavit Sauli, verè evenit ut prædixit; ergo non dæmonis illusio, sed vera prophetia, Deique verum oraculum erat, ac proinde qui prophetabat verus erat Propheta Samuel, non Samuelis umbra, vel larva à dæmone formata & usurpata.

Dices 1. Si suscitata verè apparuit Samuelis anima; ergo obedivit Pythonissæ ejusque dæmoni Samuelis anima. Resp. neg. conseq. quia non à Pythonissa, sed à Deo suscitata apparuit & Pythonissæ & Sauli Samuelis anima, prævenitque, jussu Dei, incantationes Pythonissæ magicas, ut earum impediret effectum, ne scilicet responderet dæmon, inquit Cajet. idque patet ex eo quòd, ut habetur 1. Reg. cap. 8. v. 12. turbata est Pythonissa cùm vidit Samuelem nondum vocatum apparere. *Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi?*

Instabis. Samuel 1. Reg. cap. 28. vers. 15. ait Sauli, *Quare inquietasti me ut suscitarer?* ergo non à Deo, sed à Saule per Pythonissam suscitatus est Samuel. Resp. perm. ant. neg. conseq. ratio est, quia ideò ait se inquietatum à Saule, 1. quia Saul fuit non causa, sed occasio, ut suscitaretur à Deo. 2. Quia commotus fuit & indignatus Samuel, de modo quo Saul conabatur eum suscitare, scilicet ritu magico, mulierisque magicæ ministerio.

Dices 2. Si vera fuit Samuelis anima quæ apparuit Sauli, & dixit ei ibid. vers. 19. *Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*; ergo ad limbum Patrum, quo Samuel descendit, Saul quoque post mortem descendit, non in gehennam. Resp. neg. conseq. quia ly *mecum eritis* significat generaliter & confusè locum, seu statum mortuorum, non autem hunc vel illum in particulalari locum, sive limbum, sive gehennæ locum; ly enim *eritis mecum*, idem significat ac si diceret, moriemini cras, & mecum inter mortuos eritis.

D U-

DUBIUM XI.

De benè vel malè agente se stultum simulando Davide.

Dicitur lib. 1. Reg. cap. 21. v. 13. quòd cùm *Saulis* persecutionem fugeret *David*, venissetque ad Achimelech sacerdotem in Nobe, & ab eo petiisset, & accepisset panes propositionis, & gladium Goliæ, vidensque ibi in Judæa, utpote quia Sauli subjecta, se tutò latere non posse, inde fugit ad *Achis* Regem Geth, apud quem rursus videns se non securum, sed notum, proditum & accusatum à servis Achis, ut se ab eorum manibus eriperet, & aliò fugeret, se stultum, & insanum esse simulavit, immutans os suum coram eis, collabens inter manus eorum, & impingens in ostia portæ, sicque liber evasit: sic enim legitur, *Et immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, ut fureret me præsente?* quo posito Davidis facto,

Quæritur undecimò, an peccaverit David, vel non, se stultum ac insanum esse simulando?

Peccaminosa non fuit Davidis simulatio, quia figuralis.

Resp. negativè, 1. Quia ut tenent Abulensis, Cor. à Lap. & alii, David videtur id fecisse motus à Deo, unde & paulò pòst inde recedens ab *Achis*, & fugiens in speluncam Odollam, Dei instinctu mirabilem illum composuit Psalmum, scilicet trigesimum, in quo sic incipiens ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, &c.*

2. Quia, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. ad 1. Simulatio quæ est figura alicujus veritatis, seu quæ refertur ad veritatem aliquam significandam, non est mendacium, neque peccatum; Atqui ex eodem S. Thoma ibid. ad 2. simulatio illa Davidis fuit figuralis, seu figura veritatis alicujus; fuit enim figura Christi, qui cùm esset Deus, alium se esse quasi simulavit, cùm carnem nostram assumpsit, & in ea tot labores, & dolores, mortemque subiit; ergo ex S. Thom. hæc Davidis simulatio, nec mendacium, nec peccatum fuit.

Dices. S. Thom. ibid. 2. 2. quæst. 111. art. 1. in corp. expresse dicit, *quòd simulatio omnis, peccatum est, cùm sit mendacium in exteriorum factorum signis consistens.* Ergo hæc Davidis simulatio peccatum fuit. Resp. dist. ant. ex S. Thom. Omnis simulatio quæ nihil significat, mendacium est; conc. Omnis simulatio, seu fictio, quæ refertur ad aliquid aliud significandum, mendacium est; neg. ant. cum eodem S. Thom. sic ibid. ad 1. post S. August. expresse dicente, ad 1. *Ergo dicendum quòd sicut Augustinus dicit in lib. de quæstionibus Euangelii, non omne quod fingimus mendacium est, sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium; cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis; & subjungit exemplum de figuratis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non ut asseratur ita esse, sed eam proponimus ut figuram alterius, quod asserere volumus; sic ergo Dominus in Euangelio finxit se longiùs ire, quia composuit motum suum quasi volentis longiùs ire, ad aliud figuratè significandum, scilicet quòd ipse ab eorum fide longè erat, ut Greg. dicit Homil. 23. in Euang. vel ut Aug. dicit, quia cùm longiùs recessurus esset ascendendo in cælum, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra.*

DU-

DUBIUM XII.

De Jehu per dolum, & insidiosè cultores Baal immolante.

Dicitur lib. 4. Reg. c. 9. & 10. quòd cùm *Jehu*, Dei jussu, ab uno de filiis Prophetarum in Regem Israel unctus esset, ut deleret familiam *Achab*, eamque re ipsa delevisset, occisis septuaginta filiis ejus, & quadraginta duobus *Ochoziæ* fratribus, velletque insuper, eodem Dei jussu, cultores *Baal* disperdere omnes, idque vix aliter, quàm per dolum, fieri posse judicaret, simulavit se velle *Baal* colere, eique sacrificium offerre, eaque de causa cultores Baal congregavit omnes, videlicet prophetas, sacerdotes, servosque ejus universos, dicens c. 10. v. 18. *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. Nunc igitur omnes prophetas Baal, & universos servos ejus, & cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porrò Jehu faciebat hoc insidiosè, ut disperderet cultores Baal*; & re ipsa congregatos perdidit, & mactari jussit omnes; quo posito per dolum & simulationem facto,

Peccaminosa fuit econtrà simulatio Jehu quia idololatrica.

Quæritur duodecimò, an peccaverit *Jehu* simulans se cultorem *Baal*, ut cultores Baal congregaret, mactaret & aboleret?

Resp. peccasse 1. Quia id apertè docet S. Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. ad 2. ubi postquam à peccato & mendacio excusavit simulationem Davidis, ex eo quòd figuralis fuerit, de simulatione Jehu sic addit, *Simulationem verò Jehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab idololatria Jeroboam non recedens.*

2. Quia S. Aug. lib. contra mendacium c. 2. hoc *Jehu* mendacium vocat impium, & ut ostendat falsam Religionem simulare numquam licitum esse, addit, *Visum est quibusdam Catholicis, Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent, quod ego prohibens scripsi librum contra mendacium.*

3. Quia hæc *Jebu* simulatio nedum erat mendacium simplex, sed mendacium perniciosum, ac scandalum publicum, cùm esset simulatio, imò professio idololatriæ, qua se *Baal* culturum asserebat, dum ajebat: *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius*; ergo hac sua simulatione verè peccavit *Jebu*.

Dices. Jehu fuit laudatus & remuneratus à Domino dicente illi, ibid. 4. Reg. cap. 10. vers. 30. *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel*; ergo in hoc non videtur peccasse *Jebu*. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ut ait ibid. S. Thom. *Jehu commendatur & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal*; de quo zelo loquebatur & ipse Jehu, dum dans manum suam *Jonadab*, & levans eum ad se in currum, ait ad illum, ibid. vers. 16. *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.*

Instabis. Illa simulatio utilis Jehu fuisse videtur, cùm S. Hieron. in Epist. ad Galat. cap. 2. dicat: *Utilem simulationem & in tempore assumendam Jehu Regis Israel nos doceat exemplum, qui interfecit sacerdotes Baal, fingens se idola colere velle.* Ergo videtur laudatus & remuneratus pro illa simulatione. Resp. neg. ant. ad cujus probationem, ex S. Heron. desumptam, dico cum S. Thom. ibid. loco citato ad 2. *Quòd Hieronymus utitur largè nomine simulationis pro quacumque fictione*, non pro simulatione quæ mendacium est,

qua-

qualis est simulatio illa *Jehu*, de qua idem S. Thom. ibid. ait, *Simulationem verò Jehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio.*

DUBIUM XIII.

De Naaman ab idolis ad Deum converso, sed nihilominus Regem suum ad idola comitari, sibi licere precante.

Dicitur 4. Reg. c. 5. quòd *Naaman* Princeps militiæ Regis Syriæ, vir magnus & honoratus, fortis & dives, sed leprosus, cùm per *Eliseum* Prophetam esset à lepra sanatus, ex hoc suæ curationis miraculo ita mutatus est, ut ad Deum verum, Deum Israel, se converterit, & à diis alienis defecerit, Eliseoque promiserit, se non facturum ultrà holocaustum, aut victimas diis alienis, sed soli Domino Deo vero, solùmque hoc unum petierit ab Eliseo, ut nimirum Dominum Deum deprecaretur pro se, ut sibi ignosceret, si Rege suo adorante in templo Remmon, ipse daret ei manum cui inniteretur, eoque adorante adoraret & ipse, quam petitionem non improbasse, sed annuisse videtur *Eliseus*, dicens ei: *Vade in pace*, ut constat ex ipso c. 5. v. 17. ubi sic loquitur Naaman, *Non enim faciet ultrà servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace*; quo posito facto,

Quæritur decimotertiò, an hæc adoratio Naaman, fuerit adoratio idoli *Remmon* propriè dicta, seu professio idololatriæ, ac proinde peccaminosa?

Resp. negativè, 1. Quia Propheta *Eliseus* videtur illam approbasse adorationem, aut saltem permisisse, dum respondit Naaman, *Vade in pace*; Atqui non eam approbasset adorationem, nec permisisset *Eliseus*, si fuisset idoli Remmon adoratio propriè dicta, seu idololatriæ professio; ergo adoratio illa propriè dicta adoratio non fuit.

Non religiosa, sed politica tantùm & civilis fuit adoratio Naaman.

2. Quia adoratio qua Naaman suo Rege adorante adorabat, non erat actio religiosa, qua coleret ipsum idolum Remmon, sed solùm actio civilis & politica, qua ex officio sibi commisso, suum Regem non religionis intuitu, sed civilis obsequii causa comitabatur, humerisque vel manu fulciebat, & sustentabat, seque ad omnem ejus corporis motum, exteriùs accommodabat, uti facere consueverat alibi, ita ut ipso Rege stante, incedente vel genu flectente, staret, incederet, vel genu flecteret & ipse; ergo adoratio propriè dicta non erat, sed impropriè tantùm; ergo nec idololatriæ professio.

Dices. Naaman cooperabatur Regi genu flectenti & adoranti idolum Remmon; ergo cooperabatur ejus adorationi, ac consequenter idololatriæ. Resp. dist. ant. Cooperabatur Regis adorationi, prout illa Regis adoratio erat actio naturalis & physica; conc. Prout erat actio moralis & religiosa; neg. ant. & conseq. Ratio est, quia alia erat adoratio Regis, alia Naamani; Regis enim adoratio erat actio religiosa, & propriè dicta adoratio, qua intendebat idolum Remmon adorare, ac proinde verè idololatria erat; Naamani verò adoratio, non erat actio religiosa, nec adoratio formalis & propriè dicta, qua intenderet idolum Remmon adorare, sed ad summum materialis & impropriè dicta adoratio, quatenus erat actio civilis & politica, qua non religionis intuitu, sed civilis obsequii gratia, sese Regi genu flectenti exteriùs accommodabat, quin ad Regis intentionem & religionem attenderet vel respiceret.

In-

Instabis. Scandalosa saltem erat illa Naamani adoratio, sive propriè, sive impropriè dicta, quia dabat omnibus locum credendi, quòd Naaman verè cum Rege idolum Remmon adoraret; ergo peccaminosa erat. Resp. cum *Abulen. Liran. Cajet. Sanchez, Suarez & aliis*, neg. ant. quia sciebant omnes ipsum Naamanum suo ex officio teneri, Regem sequi ac comitari quocumque iret, ipsumque vel manu vel humeris sustinere in hac corporis incurvatione vel genuflexione; satisque noverant omnes Naamanum ipsum nihil aliud intendere, quia jam publicè idola abdicaverat omnia Naaman, & verum Israelis Deum colebat, cui altare erexerat & sacellum, in quo eum cum tota sua familia religiosè colebat & adorabat.

DUBIUM XIV.

De Oza morte percusso ob incautum Arcæ contactum.

Dicitur 2. Reg. cap. 6. quòd dum *David* cum universo populo religiosè, ac solemni pompa, arcam fœderis transferret ex domo *Abinadab*, in domum Obededom, eamque impositam super plaustrum novum ducerent, *Oza* & *Abio* filii Abinadab, contigit, quòd cùm pervenissent ad aream Nachon, & calcitrantibus bobus plaustri vectoribus, arca tantisper inclinata videretur in terram dejici, *Oza* statim extendit manum ad arcam, ut eam teneret, ne caderet, in cujus facti pœnam, à Deo illicò morte percussus obiit *Oza*, ut constat ex capite citato ibid. v. 6. ubi sic legitur, *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei*; quo posito,

Variæ feruntur à variis subitæ mortis Ozæ causæ.

Quæritur decimoquartò, cur à Deo tam subita morte punitus *Oza*, ob manu sustentatam fœderis arcam ne caderet: videtur enim hoc factum non punibile, sed officiosum, religiosum, & laudabile?

Resp. varias hac de re esse auctorum sententias, inter quas, sex istæ reperiuntur præcipuæ,

1. Est *Theodoreti* dicentis apud Cor. à Lap. *Ozam*, post arcæ contactum, à Deo subita fuisse morte percussum, ob prævium aliquod peccatum nobis ignotum & occultum, in quo existens adhuc ausus fuerit fœderis arcam tangere.

2. Quæ est *S. Hieronymi* volentis Epist. 48. hujus subitæ mortis *Ozæ* caussam, fuisse peccatum aliud, nimirum istud quòd *Oza* arcam propriis humeris non portaverit, sed plaustro impositam vexerit.

3. Est *Abulensis* & aliorum asserentium, fuisse morte percussum *Ozam*, ob irreverentiam, quòd irreverenter nimirum arcam tetigerit, idque sine necessitate, cùm levis esset illa boum calcitratio, & arcæ consequenter levis inclinatio, ut constat ex 1. Paralip. cap. 13. vers. 9. ubi dicitur quòd *bos lasciviens paululùm inclinaverat eam*.

4. Est aliorum asserentium, ideò punitum *Ozam*, quòd arcam tetigerit, dum non esset indutus Ephod, & vestibus sacris.

5. Est quorumdam aliorum tenentium, ideò punitum fuisse *Ozam*, eò quòd arcam tetigerit eo die, cujus nocte præcedente rem habuerat cum uxore, ideòque immundus ac irregularis; nam & Gentilium etiam sacerdotes, dum sacrificabant, casti esse debebant & mundi.

Sed verè ideò ob ar-

6. Denique eaque verior, quæ est *C. à L.* & aliorum, asserit ideò punitum

num *Ozam*, quòd arcam tetigerit cùm non esset sacerdos, sed levita, & solis sacerdotibus licitum esset, arcam tangere, levitis verò vetitum & aliis sub pœna mortis, ut expressè docet *Josephus* qui sacerdos erat, ac proinde legis ritè peritus, lib. 7. antiq. c. 4. idque manifestè constat ex Num. c. 4. v. 15. ubi dicitur, *Cùmque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta: & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur*; & cap. 18. vers. 3. *Excubabuntque levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul*. Ex quibus patet quomodo jubeantur sacerdotes arcam velis involvere & tegere, ne videlicet levitæ, per vectes arcam humeris portantes, contingerent eam, & morte percuterentur in pœnam, ut re ipsa contigit Ozæ, de quo dicitur Regum 2. cap. 6. vers. 7. *Et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei*.

ce contactu morte percussus, quia non sacerdos erat, sed levita.

DUBIUM XV.

De mortuo Elisei corpore, ossibusque Patriarchæ Josephi, post mortem prophetantibus.

Quia dicitur Ecclesiastici c. 48. v. 14. corpus Elisei mortuum prophetasse: *Et prophetavit mortuum corpus ejus*; & ibid. c. 49. v. 18. similiter legitur, quòd ossa Josephi Patriarchæ visitata post mortem prophetaverint: *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt*; ideò

Quæritur decimoquintò, quomodo, & an verè tam mortuum Elisei corpus, quàm ipsa Josephi defuncti ossa prophetaverint?

Resp. tam corpus Elisei mortuum, quàm ossa Patriarchæ Josephi, post mortem non propriè, sed figuratè tantum, & per catachresim dici prophetasse, corpus scilicet Elisei miraculum edendo, ossa verò Josephi prophetiam à Josepho, ante mortem, editam confirmando; ratio & explicatio responsionis est, quia licèt prophetare idem sit propriè, ac ex instinctu Dei futura prædicere, tamen Prophetæ cùm essent viri sancti, & plura alia ad Dei gloriam præstarent, docebant enim, hortabantur, orabant, psallebant, miracula faciebant, & miraculis suas prophetias confirmabant; hinc est quòd *Prophetare* plura alia per catachresim significet; nam

Prophetare propriè est ex instinctu Dei futura prædicere.

1. Quidem significat interdum idem ac ex afflatu Spiritus sancti docere & exhortari ad pietatem, ut cùm 1. ad Cor. c. 14. v. 5. ait, *Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis*, id est, major est, qui loquitur ea, quæ alios ædificant, exhortantur & consolantur, quàm qui linguis loquitur peregrinis, scilicet quas nemò intelligit, ac proinde quibus ædificari potest nemo.

2. *Prophetare* significat interdum idem ac, ex instinctu Spiritus sancti, laudes divinas insolentius canere, sic Saul dum abreptus Spiritu Dei, deposuit vestes, & nudus cecinit die ac nocte, prophetasse dicitur 1. Reg. c. 10, v. 10. *Insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetavit*; & c. 19. v. 24. *Saul expoliavit ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa & nocte. Unde & exivit proverbium: Num Saul inter prophetas?*

3. *Prophetare* sumitur aliquando pro simpliciter canere, ut cùm 1. Paralip. cap. 25. vers. 1. *David & Magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph & Heman & Idithun; qui prophetarent in citharis & psalteriis & cymbalis*, id est, qui psallerent in citharis, &c.

4. Pro-

Sed impropriè & figuratè prophetare sumitur interdũ pro miracula facere, vel prophetiã implere, & implẽdo confirmare.

4. *Prophetare* per antiphrasim usurpatur aliquoties pro delirare, & ex maligni spiritus afflatu dissona, insana & à recta ratione devia proferre, eo modo, quo energumeni, epileptici, furiosi & abreptitii dicuntur prophetare, & divinare, quia enim prophetæ sæpè videbantur populo insanire ac delira & absurda agere vel loqui, hinc & insani & energumeni, qui amotæ sunt mentis, ac furiis vel dæmonibus aguntur, cùm insana & delira agunt, dicuntur prophetare per *catachresim*. Ut cùm idem Saul die altera malo correptus spiritu prophetavit, juxta illud 1. Reg. cap. 18. vers. 10. *Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ.*

5. *Prophetare* denotat interdum idem ac miracula facere, & in hoc sensu Ecclesiastici cap. 48. vers. 14. corpus Elisei mortuum prophetasse dicitur, *Et prophetavit mortuum corpus ejus*, quia cadaver hominis mortui in suum sepulchrum injecti, suo contactu suscitavit, & in eodem sensu usurpatur *propheta* nomen, dum Luc. cap. 7. vers. 16. Christus, post suscitatum in porta mortuum viduæ filium unicum, dicitur propheta, *Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis.*

Et sic mortuum Elisei corpus, & ossa Josephi post mortẽ prophetarunt.

6. *Prophetare* denique significat idem ac prophetiam confirmare; & sic ibid. Eccli. cap. 49. vers. 28. ossa Josephi dicuntur prophetasse, *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt*, quia in exitu Hebræorum ex Ægypto, translata sunt de Ægypto in terram Chanaan, sicque dum transferebantur, tacitè loquebantur, & testabantur pristinam Josephi de hoc Hebræorum exitu, & de hac translatione prophetiam, esse veram, eamque sic confirmabant, & sic confirmando prophetasse dicuntur; prophetia autem *Josephi* suis fratribus ante mortem prænuntiata, hæc est, Gen. cap. 50. vers. 23. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac & Jacob. Cùmque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis.*

Ex iis ergo patet quomodo mortuum Elisei corpus, & ossa Josephi post mortem prophetarunt, non propriè quidem, sed figuratè tantùm & impropriè, corpus scilicet Elisei mortuum, miraculum edendo & suo contactu mortuum suscitando; ossa verò Josephi visitata, & ex Ægypto in terram Chanaan translata, confirmando anteà editam à Josepho de hac sua visitatione & translatione prophetiam.

DUBIUM XVI.

De Prophetis nedum verbis, sed etiam factis prophetantibus.

Cùm prophetia sit verbum Dei revelans rem futuram, seu infallibilis & certa rei futuræ à Deo inspirata prædictio, & aliunde constet Ezechielem prophetasse, etiam eo tempore, quo Deus linguam ejus adhærere palato, & mutescere fecit, juxta illud Ezech. cap. 3. vers. 26. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus.* Hinc

Quæritur decimosextò, an verum sit, quòd sancti Dei Prophetæ verbis semper, & numquam factis prophetaverint?

Resp. Prophetas nedum verbis, sed etiam factis, imò & ænigmatibus interdùm, atque figuris prophetasse: hujus responsionis tres sunt partes singulatim probandæ.

1. Pars

1. Pars probatur, tum ex illo celebri Isajæ facto, quo ad prædicendam futuram Ægypti & Æthiopiæ spoliationem & nuditatem nudus incessit, jussu Dei dicentis ei, c. 20. v. 2. *Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* Nedum verbis, sed etiam factis prophetarunt quandoque Prophetæ,

Tum ex illo *Jeremiæ* facto, quo, ut captivitatem prædiceret Babylonicam, vincula & compedes collo gestavit, sive catenis onustus incessit jussus à Deo dicente, c. 27. v. 2. *Fac tibi vincula, & catenas: & pones eas in collo tuo.*

Tum ex eo quòd *Ezechiel* jussu Dei, cap. 3. vers. 24. inclusus est in medio domus suæ, & factus mutus ad tempus siluit; & cap. 4. vers. 1. & 3. descripsit in latere urbem, & circa eam aggeres, & castra Chaldæorum eam obsidentium; & vers. 4. cubavit supra latus sinistrum 390. diebus, pro totidem annis iniquitatis Israel, & 40. diebus supra latus dextrum, pro totidem annis iniquitatis Juda; & denique vers. 12. panem suum coquere jussus stercore hominum, sed obsecrans impetravit, ut pro stercore hominum substitueret stercus boum, ut & sic non verbis, sed hac sua in medio domus inclusione, & silentio, factisque portentosis, & aliis sibi divinitùs imperatis, instantem urbis obsidionem prophetaret, & famem, sordes, & angustias portenderet, quas passuri erant Judæi obsessi à Chaldæis in Jerusalem; ergo nedum verbis, sed etiam factis Prophetas interdum prophetasse constat, imò & in ænigmatibus; ut sic

2. Pars pariter ostenditur, tum ex eo quòd *Ezechiel* cap. 1. vers. 5. & seqq. per quatuor animalia & currum Cherubim, depingat Dei magnificentiam, potentiam, impetum & vindictam, qua Judæos aliosque hostes proterit, cædit, & punit. Imò & ænigmatibus interdum,

Tum ex eo quòd idem cap. 17. vers. 2. per ænigma duarum aquilarum inter se pugnantium, quarum major debellat minorem, repræsentet pugnam Nabuchodonosoris & Pharaonis, quorum iste, quia contra Dei voluntatem rebellans Nabuchodonosori, debellatus ab illo.

Tum ex eo quòd Daniel cap. 17. vers. 7. dicens se vidisse arborem magnam, per ænigma hujus arboris magnæ, depingat imperium Nabuchodonosoris gloria sublime & amplitudine patens.

Tum denique ex eo quòd idem cap. 4. vers. 3. per bestias grandes, repræsentet quatuor Monarchias, sive regna; ergo ænigmatibus etiam prophetarunt aliquando Prophetæ, imò metaphoris atque figuris; & hæc

3. Pars patet ex illo solo, aliis omissis, Isajæ cap. 11. vers. 6. dicentis, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Quibus metaphoris, & figuris prophetat, & significat Isajas futurum, ut Gentes, licèt feræ & barbaræ, deposita feritate mansuescant, & cum hœdis & agnis, id est, cum humilibus & mansuetis Christi discipulis, sive Christianis, sanctissimè conspirent in unitatem fidei, & Ecclesiæ, sub uno & eodem Pastore, sive Prælato, quantumvis imperfecto & humili; ergo, &c. Nec non figuris atque tropis.

Dices. Cùm ex Cassiodoro, Prophetia definiatur, *Divina revelatio rerum à nobis procul distantium eventa, immobili veritate, & maxima cum certitudine prænoscens, atque prænuntians.* Hinc S. Greg. hom. 1. in Ezech. infert, Prophetam amplecti omne tempus, præteritum, præsens & futurum, ideòque Prophetiam esse triplicem, de futuro, de præterito & de præsenti; de futuro, qualis est illa Isajæ dicentis, c. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c.* de præterito, qualis est illa Joannis Apostoli cap. 1. dicentis, *In principio erat Verbum .... & Verbum caro factum est*; & de præsenti denique, qua-

qualis est illa Joannis Baptistæ Christum mundo incognitum ostendentis, dicendo, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ergo prophetia non est tantùm de futuro ex S. Greg. Resp. perm. ant. neg. conseq. Suam enim apertè mentem explicat S. Greg. ibidem, dicens, *In duobus temporibus prophetia etymologiam perdit, quia cùm ideò prophetia dicta sit, quòd futura prædicat, quando de præterito aut præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit*; ergo etiam ex S. Greg. prophetia est tantùm de futuris.

DUBIUM XVII.

De una, vel multiplici Christi pedum unctrice muliere Magdalena.

Quia Maria Magdalena Lazari Marthæque soror è peccatrice pœnitens, & è pœnitente mulier sanctissima, pluries in Euangelio, pretioso nardi unguento Christum Dominum perfudisse, seu unxisse fertur, ideò non una tantùm, sed multiplex, imò totuplex à multis creditur hæc Christi unctrix Euangelica mulier, quotuplex in Euangelio hæc Christi unctio peracta narratur; triplex autem in Euangelio hæc Christi unctio peracta narratur, seu ter hæc Euangelica mulier Christum Dominum unxisse fertur ab Euangelistis, 1. videlicet biennio ante Pascha in domo Pharisæi; 2. sex diebus ante Pascha in domo Lazari; & 3. denique biduo ante Pascha in domo Simonis Leprosi.

De prima illa unctione loquitur S. Lucas cap. 7. vers. 37. dum ait: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retrò secus pedes ejus... unguento ungebat.*

De secunda loquitur S. Joannes cap. 12. vers. 1. 2. & 3. dum dicit: *Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat; Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu.*

De tertia loquitur S. Matthæus c. 26. ubi postquam dixit v. 2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, addit statim v. 6. & 7. *Cùm autem Jesus esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis*; quod & confirmat S. Marc. c. 14. v. 3. dicens: *Et cùm esset Bethaniæ, in domo Simonis Leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus.* His ita positis

Quæritur decimo octavò, quid de hac Christi unctrice muliere pronuntiandum sit? an ne una tantùm dicenda, vel multiplex?

Resp. in hoc resolvendo dubio, tres esse Doctorum sententias, quarum 1. est *Origenis* & *Theophylacti*, & è recentioribus, *Fabri* Stapulensis & *Clitovæi* tenentium, tres fuisse illas unctrices Christi mulieres, unam scilicet, quæ illum unxit biennio ante Pascha, alteram, quæ sex diebus ante Pascha, & tertiam, quæ biduo ante Pascha.

2. Sententia est *S. Joannis Chrysostomi* Homil. 81. in Matth. opinantis duas fuisse tantùm Christi unctrices mulieres, sive Magdalenas, unam scilicet peccatricem ac Galilæam, & alteram sanctam ac Bethanicam Lazari Marthæque sororem.

3. Denique Doctorum sententia est, *SS. Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini* & *Gregorii* magni, & aliorum ferè communiter omnium asserentium,

tium, nec tres, nec duas, sed unicam fuisse Euangelicam illam Christi pedum unctricem mulierem, videlicet Mariam Magdalenam Lazari Marthæque sororem, quam S. Lucas peccatricem, & S. Joannes Mariam nominat, quæque non ter, sed bis dumtaxat Christum Dominum pretioso nardi unguento perunxit, biennio scilicet ante Pascha, & iterùm sex diebus ante Pascha; & hanc tertiam Doctorum sententiam tenendam esse teneo.

1. Quia Euangelio & Christi prædictioni conformius est, dicere hanc solam mulierem Christum Dominum unxisse, seu pretioso nardi unguento perfudisse Dominum, quæ sola propter hoc in Ecclesia laudatur, & in cujus memoriam hoc celebre pietatis officium prædicatur in toto mundo, juxta prædictionem Christi apud Matthæum c. 26. v. 13. & Marc. cap. 14. vers. 9. dicentis, *Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus*; Atqui sola *Maria Magdalena* Lazari Marthæque soror, propter hoc inter alia, laudatur in Ecclesia, & in memoriam illius solius in toto mundo prædicatur hoc celebre, erga Christum, pietatis officium; ergo conformius est Euangelio, & Christi prædictioni, dicere, solam & unicam Mariam Magdalenam Lazari Marthæque sororem, esse mulierem illam, quæ Christum pretioso illo nardi unguento perunxit. Nec tres, nec duæ, sed unica fuit Christi unctrix Euangelica Magdalena.

2. Quia si mulier, quæ Christum Dominum unxisse dicitur, non esset eadem persona, sed diversa, maximè quia illa, quæ unxit illum in Bethania in domo Simonis Leprosi, sex diebus ante Pascha, non est eadem, sed diversa ab ea, quæ illum unxit, biennio ante Pascha, in domo Pharisæi, de qua loquitur *S. Lucas* cap. 7. vers. 37. Atqui illa quæ illum unxit, sex diebus ante Pascha, in domo Simonis Leprosi, non est diversa, sed eadem cum illa, quæ illum unxit biennio ante Pascha in domo Pharisæi; ergo, &c.

Pr. minor. Illa, quæ unxit illum in Bethania, sex diebus ante Pascha, in domo Simonis Leprosi, est ipsa *Maria Lazari Marthæque* soror, ut indicant, & de qua loquuntur tres alii Euangelistæ *Matthæus*, *Marcus* & *Joannes* locis suprà citatis; Atqui illa pariter quæ illum unxit biennio ante Pascha in domo Pharisæi, de qua loquitur Lucas, est ipsa *Maria Lazari Marthæque* soror, ex ipso Joanne Euangelista; ergo, &c.

Pr. minor. *Joannes* Euang. cap. 11. v. 2. & sequentibus loquens de *Lazaro*, ejusque sororibus *Martha* & *Maria*, ut singulariter designet, & commendet ipsam *Mariam*, ait, illam esse, quæ unxit Dominum, dicens: *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis*. Atqui ibi *Joannes* cap. 11. dicens, Mariam unxisse Dominum, vel loquitur de unctione Christi facta biennio ante Pascha, de qua *Lucas* cap. 7. vel de unctione Christi sex diebus ante Pascha, in domo Simonis Leprosi peracta; nulla enim est alia apud Euangelistas memorata; at non potest dici, quòd loquatur de unctione Christi, sex diebus ante Pascha peracta, quæ tunc nondum erat, & de qua posteà loquitur cap. 12. vers. 1. 2. & 3. ergo dicendum est, eum loqui de unctione biennio ante Pascha peracta, de qua *Lucas*; ergo dicendum ex ipsomet *Joanne*, eamdem esse *Mariam Lazari Marthæque* sororem, quæ unxit Christum *biennio ante Pascha* in domo *Pharisæi*, & rursus *sex diebus ante Pascha* in domo *Simonis Leprosi*, ac proinde non duas, sed unicam esse *Mariam Magdalenam* Lazari Marthæque sororem, unctricem Christi Domini.

Sicque censent præter alios, 4. SS. Ecclesiæ latinæ Doctores, Ambros. Hier. August. & Greg.

3. Quia, hanc ſententiam, præter alios SS. PP. ut *Cyprianum*, & *Paulinum*, tenent quatuor memorati SS. Eccleſiæ Latinæ PP. & Doctores magni *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus* & *Gregorius*; *Ambroſius* quidem lib. 6. in Lucam; Hieronymus in præfat. in Oſee; Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 79. ubi fusè & manifeſtè docet, *non aliam fuiſſe mulierem peccatricem*, (quæ Luc. c. 7. Chriſtum unxiſſe dicitur,) ab ea de qua loquuntur Euangeliſtæ cæteri, *ſed eamdem fuiſſe Mariam* Lazari Marthæque ſororem à Joanne commendatam, *quæ bis hoc fecit*; S. denique *Greg. Mag.* dum Homil. 33. in Euangelia ſic expreſsè dicit, *Hanc verò, quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominavit, illam eſſe Mariam credimus, de qua Marcus ſeptem dæmonia ejecta eſſe teſtatur*; ergo &c.

Suoſque ſic, & non aliter docere juſſit ſacra Pariſienſis Facultas, anno 1521. die 7. Decem.

4. Denique ſacra Pariſienſis Theologiæ Facultas, anno 1521. die 7. Decemb. poſt, maturi judicii lance, libratas varias, hac de re, auctorum ſententias, hanc de unica *Maria Magdalena* peccatrice, Lazari Marthæque ſorore, à ſuis propugnandam eſſe decrevit, utpote *quia Euangelio Chriſti, Eccleſiæ Catholicæ ritibus conſentaneam, ſcripta verò adverſus hanc ſententiam nullatenus eſſe toleranda*, prohibuitque ſuis alumnis omnibus, *Ne deinceps eorum quiſquam præſumeret in concionibus ad populum, ac diſputationibus publicis, libriſve, aut aliàs aſſerere plures eſſe Magdalenas, aut in dubium revocare quòd ſit unica*: Ergo cum his omnibus, nec tres, nec duas, ſed unicam fuiſſe Chriſti unctricem illam Magdalenam, pro certo, & ſine dubio tenendum.

Dices. Mulier quæ Chriſtum Dominum unxit unctione, de qua loquitur *Lucas* cap. 7. verſ. 37. erat Galilæa, ut colligitur ex *Matth.* cap. 27. v. 55. dicente: *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, &c.* Ergo diverſa eſt à Maria Lazari Marthæque ſorore, quæ *Judæa* erat, hoc eſt, *Bethanica*, ſeu de Bethania Judææ, non Galilææ civitate. Reſp. neg. conſeq. quia potuit eadem mulier eſſe, & reipſa erat *Galilæa* & *Bethanica*, Bethanica nempe ratione proſapiæ, & *Galilæa* ratione habitationis, quia nimirum in Galilæa commorabatur, dum adhuc peccatrix erat, puta in civitate *Naim*, ut volunt aliqui, vel *Magdali*, (unde *Magdalena* à *Magdalo* illo Galilææ caſtello, vel oppido dicta) ut opinantur alii, ibique habitaſſe fortè credenda, ut liberiùs ſuis cum amatoribus viveret, vel quia fortè nobili cuidam ibi nupſerat, vel quia ipſi contingens paternæ hæreditatis portio, ibi ſita erat, deinde pœnitens & converſa redire potuit Bethaniam, ibique cum Lazaro fratre & Martha ſorore piè ſanctèque vivere, & ſic non ſequitur mulierem illam Chriſti unctricem à Luca memoratam, eſſe à Maria Lazari Marthæque ſorore diverſam.

Occurritur adverſariis pro diverſis Magdalenis cõtra unam inſtantibus & urgentibus.

Inſtabis. Mulier illa à *Luca* cap. 7. memorata unxit Chriſtum *biennio ante Paſcha*; Maria verò Magdalena Lazari Marthæque ſoror, ſeu mulier de qua *Joannes* cap. 12. unxit Chriſtum *ſex diebus ante Paſcha*; ergo non eſt eadem, ſed diverſa. Reſp. neg. conſeq. quia hinc ſequitur ſolùm, diverſas eſſe unctiones, ſed non diverſas unctrices mulieres: potuit enim eadem Maria Lazari ſoror initio converſionis ſuæ, biennio circiter ante Paſcha, Chriſtum pretioſo nardi unguento perungere, & poſteà iterùm idem, ſex diebus ante Paſcha, peragere.

Urgebis. Mulier illa, ſaltem ea, de qua loquuntur *Matthæus* & *Marcus*, non unxit Chriſtum ſex diebus ante Paſcha, ut illa de qua *Joannes* c. 12. ſed *biduo* tantùm *ante Paſcha*: ergo illa ſaltem eſt diverſa, vel dicendum, illam non bis tantùm, ſed ter unxiſſe Chriſtum. Reſp. neg. ant. & conſeq. quia

illa

illa unctio de qua loquuntur *Matthæus* & *Marcus*, eadem omnino est ac illa, de qua loquitur *Joannes*, sex diebus ante Pascha peracta. Quòd si *Matthæus* & *Marcus* eam enarrent, dum enarrant ea, quæ biduo ante Pascha fuere gesta, non ideò narrant, quià tunc, hoc est biduo ante factam, sed ut quasi per recapitulationem, non servato temporis ordine, occasionem exponant, quæ movit Judam ad Christum Judæis tradendum; quia verò *Joannes* eam temporis ordine servato describit, ideò sex diebus ante Pascha peractam enarrat, ac proinde ibi non diversa, sed eadem unctio dicenda.

Addes. Unctio illa facta biduo ante Pascha, de qua *Matthæus* & *Marcus* loquuntur, facta est supra caput Christi, *Fracto alabastro effudit supra caput ejus*; unctio verò facta sex diebus ante Pascha, de qua *Joannes*, non est facta supra caput, sed supra pedes, *Et unxit pedes Jesu*; ergo non eadem est, sed diversa unctio. Resp. cum S. Auguft. lib. 2. de consensu Euang. eamdem mulierem, seu Magdalenam unxisse pedes Jesu, & deinde ex pio devotionis affectu, totum vas effudisse supra caput ejus; cùm enim *Matthæus* & *Marcus* dicant eam effudisse supra caput, & non negent unxisse pedes; & pariter cùm *Joannes* dicat unxisse pedes, & non neget effudisse supra caput, utrumque factum esse intelligendum est, maximè cùm aliundè, satis ex supradictis, eamdem unctionem esse constet.

Repones. Unctio de qua loquitur *Lucas* cap. 7. facta est in domo *Pharisæi*, unctio de qua loquuntur *Matthæus* cap. 26. & *Marcus* cap. 14. facta est in domo *Simonis leprosi*, & unctio de qua loquitur *Joannes* c. 12. vers. 1. 2. & 3. facta est in propria domo *Mariæ Magdalenæ*, *Marthæ Lazarique* sororis, ut colligitur ex ipso *Joanne* ibid. dicente: *Fecerunt autem ei cœnam ibi*, & *Martha ministrabat*; ergo non eamdem, sed diversam unctionem, diversamque unctricem mulierem esse constat. Resp. me ultrò fateri unctionem illam, de qua loquitur *Lucas* cap. 7. esse diversam ab ea, de qua loquuntur *Matthæus* & *Marcus*, non quia illa dicitur facta in domo Pharisæi, & ista in domo Simonis leprosi, sed quia illa, de qua loquitur *Lucas*, facta est biennio ante Pascha, ista verò sex diebus tantùm ante Pascha; non autem ideò diversa est, quòd illa in domo Pharisæi, ista verò in domo Simonis leprosi facta dicatur, quia putant nonnulli, *Simonem* illum *Pharisæum*, non esse diversum à *Simone leproso*, sed eumdem, illumque à Christo conversum in Galilæa, inde posteà migrasse cum Christo in Judæam, ibique selegisse in Bethania domum, juxta *Magdalenam* sibi notam, ut ibi cum ea Christi præsentia & doctrina frui posset; illumque Leprosum dici putant, vel quia fuerat à Christo à lepra mundatus, vel quia illud *Leprosi* nomen erat familiæ cognomen, vel quia à Leproso descendebat, vel aliquem alium cum Leproso quopiam respectum habebat, inquit Cor. à Lap. *in Matth. cap. 26. vers. 6.* Quoad unctionem autem illam, de qua loquitur *Joannes* cap. 12. vers. 1. 2. & 3. & quæ re ipsa eadem est cum ea, de qua *Matthæus* & *Marcus*. Resp. non probari ex citato *Joannis* textu, illam esse factam in propria *Mariæ Marthæque* domo: non enim dicit ibi *Joannes*, Fecerunt ei Maria Magdalena & Martha cœnam; sed simpliciter ait, Fecerunt ei cœnam, scilicet Bethaniæ cives, amici Jesu, quorum primarius erat Simon Leprosus, & Martha in ea ministrabat, sive quia vicina, sive quia cognata, vel familiaris erat Simoni Leproso, in cujus domo fiebat cœna illa, sex diebus ante Pascha. Vide *Vinc. Bellovac.* in Spec. hist. *Joannem Roffensem sive Rochestiensem in Anglia Episcopum, S. R. E. Cardinalem & Martyrem, Tract. de unica Magdalena*, contra *Fabrum Stapulensem* & *Jodocum Clitovæum*.

ARTICULUS XVI.

De clarioribus, qui in Scripturam sacram scripsere viris.

Clariores qui in Scripturam sacram scripsere viri.

QUi præter sanctos Ecclesiæ Patres, in sacros divinæ Scripturæ libros, commentando, interpretando, glossando, vel dilucidando, diversis temporibus scripsere viri eruditione clari, ita numero multi, ut tædio plenum foret, & prolixum nimis hic nominare singulos; sed non injucundum, nec inutile cursim designare clariores, quos adire possit & consulere quisquis aliquando sive Doctor, sive Candidatus; quales fuere inter alios, sive Interpretes, sive Glossatores:

Origenes.

1. *Origenes* Alexandrinus, de quo fusiùs infrà, qui S. Epiph. teste, de pluribus scribens, & præsertim in omnes ferè Scripturæ libros, sena millia librorum edidit: nam præter *Tetrapla*, *Hexapla* & *Octapla*, Commentarios in Scripturam scripsit varios, Scholia multa, & Homilias numero quamplurimas; & obiit anno Christi circiter 254.

Didymus.

2. *Didymus* Alexandrinus, (non Didymus alter ille pariter Alexandrinus, inter Ethnicos, celebris olim, nobilisque grammaticus cognomento Chalcenterus, qui Julii Cæsaris ævo floruit,) sed Didymus vir Alexandrinæ scholæ Professor mirandus, de quo S. Hieronymus in Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum, sic ait: *Jam canis spargebatur caput, & magistrum potiùs quàm discipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum: in multis ei gratias ago: quod nescivi, didici: quod sciebam, illo docente, non perdidi*: Didymus enim iste licèt ab infantia, hoc est, à primo ætatis quinquennio, corporalis visus usu privatus, tanta tamen eruditione, solo auditus ministerio parta, claruit, ut plurima dictaverit & egregia suæ doctrinæ volumina, præsertim in Scripturam sacram; qualia sunt, S. Hieronymo teste, *in l. de Script. Eccl.* varii *in Psalmos omnes commentarii*, *in Matthæum*, & *in Joannem*, *in Isajam*, *in Osee*, *in Zachariam* & *in Job*; præter duos libros alios contra Arianos, & librum de Spiritu sancto unum, quem à se latinè redditum fatetur ibid. S. Hieron. quique solus hodiè superest de tot Didymi libris inter opera S. Hieronymi, & expositio in epistolas Canonicas in Bibl. PP. sicut & Liber contra Manichæos apud Henricum Canisium tom. 5. Vivebat adhuc quarto sæculo, cùm de illo dicat Hieron. *Vivit usque hodie, & octogesimum tertium excessit ætatis annum*. In eoque reprehensus ab eodem S. Doctore, quòd Origenis fuerit sequutus errores, unde & cum cæteris Origenistis in quinto œcumenico Concilio meritò damnatus, ut notatur in indice librorum prohibitorum Edit. Rom. ann. 1608.

S. Hieronymus.

3. *Hieronymus* Ecclesiæ Doctor sanctissimus, (de quo fusè pariter infrà,) qui præter duas veteris Testamenti versiones editas, unam, videlicet, qua 72. Interpretum translationem correctam ex Græco Latinam reddidit, alteram qua Hebræum textum omnium primus Latinum fecit, urgente S. Damaso Rom. Pont. quique præter novum Testamentum, non quidem à se versum, sed à mendis dumtaxat purgatum, commentaria edidit egregia, *in omnes ferè Scripturæ libros*.

Diodorus.

4. *Diodorus* ex Monacho & Presbytero Antiocheno, Tarsensis in Cilicia Episcopus, magister Joannis Chrysostomi à Suida memoratus, & à SS. Athanasio, Basilio, & Chrysostomo discipulis suis laudatus ut sanctus & invictus fidei Catholicæ defensor Episcopus, qui vivens circa annum Christi

360.

360. scripsit *in totum ferè vetus ac novum Testamentum*, litterali sensui semper inhærens, ut refert post Sixtum Senensem, *Aub. Miræus de Script. Eccles.*

5. *Theodoretus*, de quo infrà, Antiochiæ in Syria nobili ac pia stirpe natus, S. Chrysostomi discipulus, & Cyri sic à Cyro primo Persarum Rege dictæ urbis, Episcopus, qui præter Historiam Ecclesiasticam, & alteram sanctorum Patrum, quam Religiosam vocat, præter libros de Hæreticis fabulis, de providentia, & de curandis Græcorum affectionibus, præter Dialogos, & Epistolas varias, scripsit insuper *in totam ferè Scripturam sacram*. Theodoretus.

6. *S. Eucherius* Lugdunensis Episcopus, (de quo infrà,) qui inter alia, quæ scripsit plura, ad *Veranum* filium suum scripsit *Formulas, sive phrases Scripturæ sacræ, seu librum formularum spiritualis intelligentiæ*, quibus instrueret eum ad faciliorem divinæ Scripturæ intelligentiam; scripsit insuper & duos libros alios ad *Salonium* filium alterum, de difficilioribus veteris & novi Testamenti quæstionibus; quorum primus explicat *difficiliora veteris ac novi Testamenti loca*, alter passim occurrentia interpretatur *Hebraica nomina*. S. Eucherius.

7. *Rabanus Maurus*, natione Germanus, Fuldensis Abbas, & ex Abbate sextus Moguntinus Archiepiscopus, vir æquè pius, ac eruditus, cui nullum parem, eo sæculo, Germania vidit, inter alia quæ scripsit plura, tam versu quàm prosa, *ex sanctis Patribus collegit erudita varia in universam Scripturam utriusque Testamenti commentaria*; obiitque meritis clarus, anno Christi circiter 856. Rabanus.

8. *Valfridus Strabo*, *vel Strabus*, Fuldensis Abbatiæ Monachus, Rabanique Mauri discipulus, qui è sui Magistri scriptis colligens Scripturarum expositiones varias, celebrem illam utriusque Testamenti composuit *Glossam*, quam vulgò dicimus *ordinariam*. Et obiit meritis clarus an. 849. Strabus.

9. *Anselmus* Laudunensis Ecclesiæ Decanus & Archidiaconus, (de quo infrà,) qui inter alia in omnes sacræ Scripturæ libros contexuit *glossam* illam alteram, quæ dicitur *interlinearis*, quæque reperitur simul cum ordinaria Strabi biblica glossa; & obiit 15. Julii anno 1117. Anselmus Laudunensis.

10. *Occumenius* Auctor Græcus est, & operum S. Joan. Chrysostomi abbreviator, qui ex antiquis Patribus *Catenam in Acta Apostolorum* concinnavit, & *commentarium in omnes canonicas epistolas*; quo tempore viveret, incertum est, nono sæculo clarebat, ut volunt aliqui, decimo verò, vel undecimo ut multi suspicantur alii; sed utut sit, opera ejus pluries edita fuere, tum Veronæ Græcè & Latinè anno 1532. tum Antverpiæ anno 1545. & ultimò tandem Parisiis anno 1632. Græcè pariterque & Latinè in duobus voluminibus reperiuntur excusa. Vide *Aub. Mir. in Auctor.* Occumenius.

11. *Theophylactus* Bulgariæ Archiepiscopus tempore Alexandri II. Rom. Pont. circa annum Christi 1071. qui scripsit non quidem in omnes Scripturæ libros, sed solùm in *Prophetas Minores*, *in Psalmos*, *in Euangelia*, *&* *in omnes Paulinas Epistolas*, in quibus ita S. Joannis Chrysostomi vestigiis inhæret, ut ejus abbreviator dici possit; sed in hoc arguendus, ut schismaticus, quòd tertium Joannis Euangelistæ caput interpretans, Latinos arguat, quòd Spiritum sanctum, etiam à Filio procedere credant; nisi dicatur, locum illum non purum, sed schismatici cujusdam viri manu vitiatum. Theophylactus.

12. *Rupertus*, sive *Robertus Tuxiensis*, juxta Coloniam *Abbas* Ordinis S. Benedicti, qui auspice Deipara beata Virgine, mirabili cœlitùs imbutus scientia, præter *libros* 13. *de victoria Dei*, *&* 12. *de divinis Officiis*, Rupertus.

 alia-

aliaque plura, collegit insuper, ex sanctorum Patrum scriptis, *succincta in sacras Scripturas commentaria*, sensui allegorico præsertim inhærens, eaque libris 42. (quibus titulus est de Trinitate) complexus est; & obiit anno circiter 1135.

Hugo à S. Victore. 13. *Hugo à S. Victore*, natione Saxo, vel ex Iprensi territorio, ut opinantur aliqui, professione Canonicus Regularis S. Augustini in Regia Parisiensi S. Victoris Abbatia, vir pietate & eruditione magnus, ad quem scripsit olim S. Bernardus, propositis respondens dubiis, scripsit & ipse opuscula varia 3. in tomos ita distributa, ut primus tomus contineat *annotationes elucidatorias in omnes ferè Scripturæ libros*, exceptis Sapientialibus & Prophetalibus; & obiit anno 1139. æt. 43. jacetque in præfata Regia S. Victoris Abbatia cum hoc superinscripto elogio:

Hoc jacet in tumulo doctor celeberrimus Hugo,
Quem brevis eximium continet urna virum.
Dogmate præcipuus, nullique secundus amore.
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

Richardus à S. Victore. 14. *Richardus à S. Victore*, Hugonis discipulus, natione Scotus, & professione ejusdem Ordinis, & Abbatiæ Canonicus Regularis & Prior, vir pariter pietate & eruditione clarus, sanctique Bernardi amicissimus, qui scripsit egregia opuscula varia, duos in tomos distributa, inter quæ reperitur *declaratio difficultatum Scripturæ sacræ*, ad S. Bernardum: obiit anno 1173. jacetque in eadem Regia S. Victoris Abbatia cum hoc elogio:

Moribus, ingenio, doctrina clarus & arte,
Pulvereo hìc tegeris docte Richarde situ.
Quem tellus genuit felici Scotica partu,
Te fovet in gremio Gallica terra suo.
Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ stamina parva
Tempore tracta gravi rupit acerba manu.
Plurima namque tui superant monumenta laboris,
Quæ tibi perpetuum sint paritura decus.
Segnior ut lento sceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

P. Lombardus. 15. *Petrus Lombardus* sic vulgari cognomine dictus, quia Novariæ in Insubria natus: sicut enim Insubria à Longobardis sive Lombardis suis quondam incolis Longobardia, sive *Lombardia* dicta, sic & ipse, quia Insuber *Lombardus* vulgò cognominatus; & sicut *Gratianus* Petro Lombardo coævus, ex eo quòd sacros Canones, sive Decreta in unum corpus collegit, canonistarum quasi magister fuit, sic & *Petrus Lombardus*, quia priscorum Patrum quatuor sententiarum libros collegit, ideò & Theologorum Scholasticorum ac Sententiarum magister dici meruit. Falluntur qui *Gratianum*, *Petrum Comestorem*, & *Petrum Lombardum* germanos fratres esse putant: *Gratianus* enim Etruscus fuit, ex oppido Clusio, *Comestor* verò Gallus, patria Trecensis, & *Petrus Lombardus* Insuber Novariensis, qui, studii causa, in Galliam Remos venit, & Remis Parisios, ut constat ex *S. Bernardi* ad *Gilduinum* primum S. Victoris Abbatem Epistola; & ibi ex Parisiensi Doctore, & Carnutensi Canonico, Parisiensis tandem Episcopus creatus, cessione *Philippi*

lippi Parisiensis Archidiaconi à patre *Ludovico VI.* Galliæ Rege nominati, suique anteà discipuli, sed biennio pòst morte raptus anno 1164. scripsit
Quatuor Sententiarum libros, ita digestos, ut
1. *Contineat Patrum Sententias de Divinitate & Trinitate.*
2. *De Creatione mundi, præsertim Angelorum & Hominum ac de gratia Dei.*
3. *De Incarnatione Verbi, deque virtutibus ac vitiis.*
4. *De Sacramentis, & novissimis, id est, de Resurrectione, Judicio &c.*

Scripta reliquit & alia, quæ in ejus Epitaphio sic breviter notantur, in Collegiali S. Marcelli Parisiensis Ecclesia:

> *Hic jacet Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum, glossas Psalmorum, & Epistolarum, cujus obitus dies est 13. Kalendas Aug. an. 1164.*

Observandum tamen cum *Bellar. Miræo & aliis*, quòd licèt Petrus Lombardus *Magister* vulgò dicatur, non tamen omnia probantur, quæ Magister docuit: notantur enim Articuli 26. in quibus ejus non admittuntur opiniones, ut ex additione libris Magistri subjuncta datur intelligi; imò fuere nonnulli, ut observat *Bell. in Catal. de Script. Eccl.* qui Magistrum de hæresi accusarunt apud *Alex. III.* Rom. Pont. eò quòd docuisset, *Christum ut hominem, non esse aliquid*, quam ejus sententiam in quodam Parisiensi Concilio, jussu Alex. III. fuisse damnatam novemdecim annis post obitum ipsius Lombardi, testatur *Matthæus Paris in Hist. Anglicana.*

16. *Alexander Alensis*, natione Anglus, Ordinis S. Francisci, vir eruditus ac pius, Doctorque *irrefragabilis* vulgò nuncupatus, SS. Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis, ut dicitur, Magister sapientissimus, qui, præter Summam Theologicam, jussu Innocentii IV. Rom. Pont. editam, scripsit insuper & *postillam in tota Biblia sacra*, & summam virtutum; obiitque Parisiis anno 1245. ibique sepultus quiescit, in sui Ordinis Ecclesiæ Choro, cum hoc Epitaphio: Alexander Alensis.

Conditur hoc tumulo famam sortitus abundè
Gloria Doctorum, decus & flos Philosophorum,
Auctor scriptorum vir Alexander variorum;
Inclytus Anglorum fuit Archilevita, sed horum
Spretor cunctorum, Fratrum collega Minorum
Factus egenorum, fit Doctor primus eorum.

Guillelmus Parisiensis, hoc est, tertius *Guillelmi* nomine Parisiensis Episcopus, natione Arvernus, & patria Aureliacensis, vir pietate & eruditione celebris, potens sermone & opere, gemma sacerdotum, & Cleri decus, is scilicet, qui anno Christi 1228. ad Parisiensis Ecclesiæ sedem evectus est, & anno 1233. die 2. Junii novam S. Antonii campestris Ecclesiam dicavit assistentibus *Guillelmo* Cameracensi Præsule, & *Petro* Meldensium Episcopo, præsente S. Ludovico Galliarum Rege, quique anno 1241. selectorum convocato Theologorum cœtu, celebrem illam de Beneficiorum pluralitate disputationem haberi curavit, in qua, omnibus utrinque maturè discussis, decisum est à nemine posse, sine mortali peccato, duo vel plura simul possideri Beneficia, si ad substentationem sufficiat unum; qui denique præter egregia quæ reliquit suæ doctrinæ monumenta, qualia sunt v. g. Guillelmus Parisiensis.

1. *De*

1. *De S. Trinitate, liber* 1.
2. *De Principio, lib.* 1.
3. *De Sacramentis, lib.* 1.
4. *Cur Deus homo, lib.* 1.
5. *Summa virtutum, lib.* 1.
6. *Summa vitiorum, lib.* 1.
7. *De fide & legibus, lib.* 1.
8. *De animabus hominum, lib.* 1.
9. *De bono & malo, lib.* 1.
10. *De universo, lib.* 6.
11. *De professione novitiorum, lib.* 1.
12. *De dono scientiæ, lib.* 1.
13. *De operibus virtutum, lib.* 1.
14. *De remediis tentationum, lib.* 1.
15. *De claustro animæ, lib.* 1.
16. *De Rhetorica divina, lib.* 1.
17. *De Pœnitentia, lib.* 1.
18. *De dæmonibus, lib.* 1.

Præter inquam hæc omnia Opuscula, & duos Tractatus de collatione & pluralitate Beneficiorum, librumque Sermonum unum, Epistolarum alterum, & tertium in *Hexaemeron*, scripsit insuper in Scripturæ libros, ut in *Psalterium, in Proverbia Salomonis, in Ecclesiastem, in Cantica Canticorum & in Euangelium S. Matthæi*; obiitque tandem meritis clarus anno Christi 1248. quiescitque sepultus in Parisiensi S. Victoris Ecclesia cum hoc Epitaphio:

Conditus hic recubat fatali sorte Guilelmus
Parisii pastor, qui gregis aptus erat.
Repperit illustrem cœlesti munere famam,
Quam nequit in tanto mors abolere viro.

Albertus Magnus. 18. *Albertus* ob summam eruditionem & singularem sapientiam cognomento *Magnus*, Lavingæ apud Suevos ad Danubium equestri familia natus, Ordinis FF. Prædicatorum alumnus, & S. Thomæ Aquinatis, aliorumque multorum Magister celeberrimus, qui Coloniæ primùm, deinde Parisiis tanto cum applausu & auditorum concursu docuit olim, ut ad audientium numerum satis amplo deficiente loco, coactus fuerit publicas habere lectiones in trita illa Parisiensi platea, quæ inde adhuc hodie *Mauberti* quasi magistri Alberti platea dicitur vocata. Quique posteà licèt invitus, jussu *Urbani IV.* electus Ratisponensis Episcopus, & deinde à *Gregorio* X. ad secundum Lugdunense Concilium venire jussus, anno 1274. Coloniæ tandem feliciter obiit anno 1280. ætatis verò suæ anno 75. vel ut placet aliis 85. relictis cum magno sanctitatis odore, scriptis numero quàm plurimis, tum Philosophicis, tum Theologicis, quæ in tomis 21. typis mandari curavit Lugduni anno 1651. Petrus *Jammi* Dominicanus; sed inter hæc, immixta censentur aliena aliqua, & omissa propria & genuina alia nonnulla; sed omissis Philosophicis & alienis, Theologica & genuina sunt,

1. *Commentaria in* 12. *Prophetas minores.*
2. *Commentaria in* 4. *Euangelia.*
3. *Postilla in Apocalypsim.*
4. *Commentaria in quatuor libros Sententiarum.*
5. *De quatuor Coævis, liber unus.*
6. *De virtutibus, liber unus.*
7. *De adhærendo Deo, liber unus.*
8. *Compendium Theologicæ veritatis, libri* 7.
9. *Enchiridion de veris perfectisque virtutibus.*
10. *Ars prædicandi, seu de arte prædicandi tractatus.*
11. *De muliere forti tractatus.*
12. *De Eucharistia, de Tempore, de Sanctis sermones varii.*

Duo

Duo insuper ei tribuuntur libri alii, unus de mirabilibus, alter de secretis mulierum, sed hos Alberto magno indignos censet Bellarm. in lib. de Script. Eccl. quia superstitiosa quædam, & vana continent multa. Vide *Henric. Gandav. de Script. Eccl. & Miræum in Bibl. Eccles.*

19. *Nicolaus Liranus*, vir natione, non Brabantinus, nec Flandricus, nec Anglus, ut falsò putarunt varii, sed Normanus è *Lira* Normaniæ vico, Judaicis parentibus ortus, unde *Liranus* vulgò *dictus*, ut constat ex sequenti disticho à scriptoribus coævis, & sodalibus, ejus nomine, sic condito: N. Liranus.

Lira brevis vicus Normana in gente celebris,
Prima mihi vitæ janua, sorsque fuit.

Fuit enim professione Ordinis S. Francisci, ex Judæo Monachus, qui *præter quæstiones veteris & novi Testamenti*, aliaque plura, *Postillam* pariter edidit alteram, sive brevia commentaria in universa Biblia sacra, quæ simul cum *Ordinaria* Strabi glossa, & *Interlineari* Anselmi Laudunensis reperitur; obiitque Parisiis vir ille eruditus & pius anno circiter 1349. 14. mensis Octobris, quiescitque in eodem celebri Minoritarum Cœnobio.

20. *Hugo Carensis*, sive de sancto *Caro*, è Delphinatu in Gallia natus, ex Ordine S. Dominici omnium primus Cardinalitia indutus purpura, Cardinalis S. Sabinæ ab Innocentio IV. creatus, unde *Hugo Cardinalis* vulgò nuncupatus; qui *Commentaria* scripsit *varia in universam Scripturam*, quique *Concordantias Bibliorum* primus excogitavit, & per alios à se delectos viros hoc opus laboriosissimum implevit; cui posteà, cùm facile sit inventis addere, posteriorum industria multa addidit; obiitque piè Lugduni vir ille magnus anno 1262. Hugo Cardinalis.

21. *Paulus Burgensis*, sive Paulus à sancta Maria, factus ex Judæo Christianus, & Carthaginensis primùm, deinde Burgensis in Hispania Episcopus, unde *Burgensis* cognomine dictus; Archicancellarius Castiliæ, & Joannis II. Castiliæ Regis filii, ab Henrico Rege præceptor designatus; vir nobilis, dives, doctus & prudens; qui ut sacras elucidaret Scripturas, *Scrutinium Scripturarum* in duos libros divisum edidit, & ad *postillas Nicolai de Lira additiones notabiles adjecit varias*; obiitque anno 1435. Paulus Burgensis.

22. *Alfonsus Tostatus*, natione Hispanus, Doctor Salmaticensis, & Abulensis Episcopus, unde *Abulensis* vulgò dictus, vir quo doctior aut sapientior, eo sæculo, inventus nemo; qui interfuit & claruit olim inter Basileensis Concilii Patres, vir in divinis Scripturis peritissimus; qui *in utrumque Testamentum vetus & novum Commentaria scripsit varia 24. voluminibus comprehensa*, præter plura opuscula alia, in addito vigesimo quinto volumine collecta, licèt obierit vir ille summus anno ætatis suæ 40. & Christi anno 1454. unde non mirum, si de tanto viro dictum olim: Tostatus.

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

23. *Dionysius Carthusianus*, hoc est, *Dionysius Richelius* inviolati Carthusianorum Ordinis Monachus mirabilis & doctus, unde Carthusianus vulgari cognomine dictus, & quia rerum divinarum assidua contemplatione celebris, inde quoque Doctor *Ecstaticus* vulgò nuncupatus, (de quo fusiùs loquemur infrà;) qui nedum in Magistri Sententiarum, sed *in omnes scripsit divinæ Scripturæ libros*; obiitque ætatis suæ anno 69. Christi verò 1471. Dionysius Carthusianus.

24. *Joan-*

Maldonatus. 24. *Joannes Maldonatus*, vir eruditus, natione Hispanus è vico Beturiæ, sive Estremaduræ nobili de gente natus, qui primam ætatem congruis excoluit disciplinis in Academia Salmaticensi, celeberrimis præceptoribus usus præsertim Dominico Soto, & Francisco Toleto S.R.E. posteà Cardinali, hisque peractis studiis, celebrem Jesu Societatem ingressus, in celebrem evasit Oratorem ac Theologum, qui superiorum jussu Romæ primùm Theologiam docuit, deinde per decem annos, & magno cum applausu, ac celebri Auditorum concursu Parisiis, eoque tempore quo primùm aperiebatur Societatis Parisiense Collegium, & superstes esset adhuc Calvinus, ejusque multùm sæviret ac grassaretur hæresis, quam suis lectionibus, disputationibus, ac concionibus indefessè debellavit & impugnavit; sed Romam vocatus à Gregorio XIII. Romano Pontifice, pro 72. Interpretum concinnanda Græcæ versionis editione nova, ibi tandem meritis clarus obiit die 5. Januarii anno Christi 1583. ætatis verò suæ 50. Scripsit vir ille mirabilis ac doctus egregios ac eruditos *Commentarios in quatuor Euangelia*, sicut & alios in Prophetas *Jeremiam*, *Baruch*, *Ezechielem* & *Danielem*, & alia plura, de quibus vide *P. Alegambum de Script. Soc. Jesu.*

Cajetanus. 25. *Thomas de Vio*, Ordinis FF. PP. fuit scriptor celebris, ac Magister generalis, & posteà S.R.E. Cardinalis à Leone X. creatus, necnon Cajetæ patriæ suæ Episcopus, unde & *Cajetanus* vulgò dictus; qui præter Commentaria in totam sancti Thomæ Summam theologicam, & Summam casuum conscientiæ alteram à se conscriptam, scripsit insuper *Commentaria in Scripturam universam*, præterquam in Canticum, Prophetas, & Apocalypsim, licèt obierit ætatis suæ anno 66. Christi verò 1534.

Salmeron. 26. *Alfonsus Salmeron*, natione Hispanus, patria Toletanus, unus è primis S. Ignatii sociis, & è decem primis nascentis Societatis Jesu sodalibus, omnium natu minimus, sed vocationis ordine quintus; vir fuit Græcè & Latinè doctus, & in Philosophicis ac Theologicis apprimè versatus, qui celebriora totius Italiæ loca suis concionibus, vel sacris lectionibus illustravit, qui plurimas ac laboriosas peregrinationes Christi & Ecclesiæ causa suscepit à S. Sede in utramque Germaniam superiorem & inferiorem, in Poloniam, Galliam & Hiberniam missus, qui Tridentino Concilio interfuit Sedis Apostolicæ mandato; hæreticorum hostis indefessus, & Catholicæ veritatis defensor intrepidus, pro qua, cùm jam voce pugnare non posset, stylo pugnare non desiit, seque totum ad scribendum composuit in Neapolitano Collegio, ubi scripsit

In Scripturam volumina 16.
Quorum 11 sunt de variis quæstionibus Euangelicis.
5. Alia in Actus Apostolorum & Epistolas Canonicas.

Obiitque tandem Neapoli anno 1585. ætatis suæ 69.

Sixtus Senensis. 27. *Sixtus Senensis*, sic vulgò dictus, quia Senis in Italia natus, vir summæ eruditionis, & professione Dominicanus, Ordinis habitu à Pio V. nondum Pontifice vestitus, Theologus & Concionator eximius, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ peritus, & in Scripturis sacris eruditè versatus; qui præter 10. Concionum tomos, edidit insuper

Bibliothecæ sanctæ libros octo.
Librum unum de usu Concordantiarum sacræ Scripturæ.
Unum astronomicarum quæstionum.
Unum geographicarum.

Unum physicarum in varios divinæ Scripturæ locos.
Unum problematicarum in alios.
Sophias Monotessaron.

Hoc est, unius sapientiæ librum unum, ex quatuor, *Proverbiorum* scilicet, *Ecclesiastis*, *Sapientiæ*, & *Ecclesiastici*, libris, & alia plura; obiitque tandem Lugduni anno 1541. *vide Nat. ab Alex. sæc. 16.*

28. *Joannes Ferdinandus*, natione Hispanus, patria Toletanus, & professione Societatis Jesu pius Concionator & insignis Theologus, qui *divinarum Scripturarum thesaurum* edidit, tres in tomos, in quo, juxta sanctorum Patrum mentem, ordine alphabetico *difficiliora explicat Bibliorum loca*; obiitque sanctitatis odore clarus anno Christi Domini 1595. ætatisque suæ anno 59. Ferdinandus.

29. *Emmanuel Sa*, natione Lusitanus, patria Interamnensis, & professione Jesuita ab ipso adolescentiæ flore, vir eloquentia & eruditione clarus, Romæ sacrarum Scripturarum Interpretis, & Concionatoris Papalis summa cum laude functus olim officio; qui præter *Aphorismos casuum conscientiæ*, scripsit *Scholia in quatuor Euangelia*, brevia quidem, sed erudita & ex selectis sacrorum Doctorum sententiis collecta, & *Annotationes in omnem Scripturam*, opus concisum quidem, & contractum, sed magnis laboribus & indefesso studio laboratum atque perfectum; obiitque septuagenarius in Aronensi domo anno Christi 1596. Emmanuel Sa.

30. *Benedictus Pereyra*, sive *Pererius*, natione Hispanus, patria Valentinus, & professione Jesuita sua eruditione clarissimus, qui ab adolescentia Societatem ingressus Valentiæ, inde in Siciliam, & è Sicilia Romam posteà missus, ibi in omni scientiarum genere claruit, dicendi artem primùm edocuit, Aristotelis Philosophiam explicuit, ab humanis ac Philosophicis ad Theologicas & divinas scientias gradum fecit, divum Thomam per multos annos interpretatus est, sacras Litteras explanavit, & scripsit plura, sed præsertim Pererius.

15. *Physicorum libros, seu de Principiis rerum naturalium.*
4. *Tomos Commentariorum ac disputationum in Genesim.*
5. *Tomos alios selectarum disputationum in sacram Scripturam.*

Obiitque tandem Romæ in Domino vir ille religiosissimus ac eruditissimus die 6. Martii anno salutis 1610. ætatis verò suæ 75. Vide *Philip. Alegambum de Script. Soc. Jesu.*

31. *Guillelmus Estius*, qui *Gorcomii* in Hollandia natus, & puer in Trajectensi ad Rhenum urbe litteris humanioribus eruditus, *Lovanii* in Pædagio Falconensi Philosophiam hausit, quam ibidem posteà per decennium edocuit, Doctorisque Theologi demum eadem in Academia laurea donatus, anno Christi 1580. inde paulò pòst *Duacum* ad professionem Theologiæ publicam, & Seminarii curam est evocatus; ubi tandem ad Ecclesiæ S. Petri præposituram, & Academiæ cancellarii dignitatem, sua pietate, doctrina, & morum integritate promotus obiit anno Domini 1613. ætatis verò suæ 72. relictis variis suæ doctrinæ monumentis, inter quæ, præter Commentarios in quatuor Magistri Sententiarum libros, eminent Estius.

1. *Commentarii in B. Pauli & aliorum Apostolorum Epistolas.*
2. *Notæ in præcipua ac difficiliora sacræ Scripturæ loca.*

32. *Joannes Mariana*, Hispanus natione, patria Talabricensis, Diœcesis Toletanæ, & Societatis Jesu, vir pietate & eruditione magnus; qui Mariana.

præter 30. *Annalium Hispaniæ libros*, seu præter Historiam de rebus Hispaniæ in libros 30. partitam, variosque tractatus alios, ut v.g. *Tractatum de beati Jacobi Apostoli in Hispaniam adventu*; scripsit insuper *Scholia in universam Scripturam sacram*; imò & inter Tractatus alios, tum Historicos, tum Theologicos, quos scripsit plures, texuit Tractatum unum *pro editione Vulgatæ SS. Bibliorum*; & obiit Toleti septem annis octogenario major, anno Christi 1624.

Cornelius à Lapide. 33. *Cornelius Cornelii à Lapide*, natione Belga, honestis parentibus natus in exiguo Leodiensis Diœcesis vico, vir, qui juxta *Phil. Alegambum in Bibl. de Script. Soc. Jesu*, à primo rationis usu Deum colere cœpit, & adolescens in Jesu Societatem ingressus, in ea ita in virum doctum evasit, linguasque Græcam & Hebraicam ita didicit; ut sacram linguam Lovanii, & divinas Scripturas per 20. annos publicè docuerit; unde Romam à superioribus accersitus, easdem summa cum laude per annos quamplures interpretatus est, donec labori cedens se ad privatam scriptionem convertit, cui ita incubuit, ut Commentaria texuerit erudita in omnes ferè sacræ Scripturæ libros, videlicet,

In Pentateuchum Moysis.
In libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon.
In libros Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum.
In Proverbia Salomonis.
In Ecclesiasten, Cantica, Sapientiam.
In Ecclesiasticum.
In 4. Prophetas majores
In 12. Prophetas minores.
In 4. Jesu Christi Euangelia.
In Acta Apostolorum.
In omnes divi Pauli Apostoli Epistolas
In Epistolas Canonicas.
In Apocalypsim S. Joannis Apostoli.
Et in libros Job & Psalmorum.

Commentaria verò ista ultima in Job & Psalmos non absolvit, sed imperfecta reliquit anno 1637. quo tandem obiit Romæ septuagenario major anno uno, vir ille summæ eruditionis, & sanctitatis eximiæ tantæque humilitatis, ac modestiæ, in eruditione tanta, ut de seipso pronuntiaverit olim jam senex: *Jam penè à 40. annis sacro huic studio incumbo, à 30. annis nihil aliud ago, quin & continuò sacras Litteras doceo, & tamen sentio quàm parum in eis profecerim.*

Scripserat & sæculo anteriore circa annum 1569. *Cornelius* alter, videlicet *Cornelius Jansenius Gandavensis* Episcopus, *in Psalmos, in Proverbia, in librum Sapientiæ, in Ecclesiasticum*, & *Concordiam* insuper ediderat Euangelicam.

Menochius. 34. *Joannes Stephanus Menochius*, natione Italus, patria Papiensis, Jacobi Menochii Præsidis, Jurisconsulti celeberrimi, & suis scriptis notissimi filius, qui teste *Phil. Alegambo*, ab adolescentia, Jesu Societatem ingressus in ea sacram Scripturam, & moralem Theologiam publicè docuit, & exinde Rector Collegia rexit varia, Mutinense præsertim semel, & bis Romanum, domosque Professas Genuensem, Mediolanensem ac Romanam, Provincialis semel Mediolanensem & bis Venetam rexit Provinciam, qui-

que

que has inter curas, *Hieropoliticon*, seu *institutionis politicæ*, è sacris Scripturis deprompta, tres contexuit libros; & *institutionis œconomicæ* è sacris Scripturis pariter desumptæ, duos libros, & insuper *brevem sensus litteralis totius Scripturæ sacræ explicationem*; obiitque tandem Romæ 4. Februarii anno *1656*.

35. *Jacobus Tirinus*, natione Belga, patria Antverpiensis, vir pariter è Societate Jesu sua eruditione & pietate celebris, qui tribus annis sacram Scripturam interpretatus est, & totidem annis Antverpiensi Collegio Vice-Rector præfuit, quique lucida & erudita *in totam Scripturam sacram utriusque Testamenti scripsit Commentaria* tribus tomis in folio collecta; & obiit tandem Antverpiæ die 14. Julii anno *1636*. Tirinus.

36. *Joannes Morinus*, natione Gallus, & patria Blesensis, è parentibus Calvinianæ hæresis labe maculatis ortus; sed qui, cùm post studia in Hollandia ritè peracta, Parisios venisset, cura Eminentissimi *Cardinalis Perronii* ad catholicam conversus fidem, & Oratorii Jesu Congregationem ingressus, in virum evasit eruditum; qui pro tuenda 70. Interpretum versione Græca opus edidit egregium, cum hoc præfixo titulo, *Exercitationes Biblicæ*, quo in opere concinnando & perficiendo per 20. desudavit annos, nec frustrà; in hoc enim opere se eruditum & profundum exhibet Bibliorum criticum. Habentur & alia ejusdem Auctoris opera, ut *Historia Ecclesiæ per Constantinum liberatæ*, & *Historia progressus Papalis auctoritatis*, *pietate & munificentia Galliæ Regum*. Obiit Parisiis anno 1659. Morinus.

37. *Arnaldus Milhetus*, Occitanæ provinciæ Gallus, patria Vaurensis, & Sacræ Facultatis Tolosanæ Doctor Theologus, necnon Congregationis Doctrinæ Christianæ Generalis quondam Præpositus; vir sua indole familiaris ac facilis, sua modestia laudabilis, & sua eruditione Philosophica præsertim, ac Theologica celebris; qui, post quatuor in lucem datos Philosophiæ libros, & magno cum applausu ubique receptos, *brevem* insuper, *sed distinctam ac luculentam texuit universæ Scripturæ sacræ notitiam*, Psalterii Davidici jam paratam meditans in lucem edere seorsim cum postilla multò fusiorem, nisi subita præventus morte, Parisiis vivere desiisset die 25. Octobris anno *1693*. Milhetus.

38. *Auctores Polyglottæ* varii, his meritò addendi, qui de sacris Scripturis egere, hoc est, auctores celebres illi, qui utriusque Testamenti Biblia sacra variis linguis edita, luci publicæ dari curarunt, quæ Bibliorum editio quia sic variis linguis edita, ideò Polyglotta vocata; estque quadruplex, videlicet Complutensis, Antverpiensis, Parisiensis, & Anglicana. Auctores Polyglottæ varii.

Complutensis sive Ximeniana omnium prima, ea est, quam quatuor linguis, Latina videlicet, Græca, Hebraica & Chaldaica, magnis sumptibus & summa diligentia Compluti sub Leone X. Rom. Pont. anno 1515. in lucem dari curavit Eminentissimus S. R. E. Cardinalis *Ximeneus*, vir Hispanus natione, & professione Franciscanus primò, & è Franciscano Monacho Elisabethæ Hispaniarum Reginæ Presbyter à confessionibus, deinde Toletanus Archipræsul, Archicancellarius, Inquisitor generalis, ac Prorex Hispaniarum, tandemque S. R. E. Cardinalis à *Julio II.* Rom. Pont. creatus; qui post magna & heroica gesta plura, missam sibi è Flandria legens epistolam veneno conspersam octogenarius obiit Compluti, 9. Novemb. ann. Christi 1517. Complutensis autem Polyglotta ejus sumptibus & cura in lucem data, talis est ut in ea reperiatur Pentateuchus cum triplici editione, Hebraica, Chaldaica & Græca 70. Interpretum, & eis respon-

den-

dentibus totidem versionibus Latinis. Historici verò & Prophetici libri, duplici duntaxat lingua, Hebraica & Græca cum versionibus Latinis reperiuntur editi. Libri qui non sunt de Hebræorum Canone, licèt ab Ecclesia pro canonicis recepti, sola Græca lingua reperiuntur editi cum versione duplici, novum Testamentum Græcè tantùm reperitur, & sine ullis accentibus aut spiritibus, vetustissimo Græcorum more; cum versione S. Hieronymi, & post finem tandem reperitur copiosissimum Hebræorum, Chaldaicorum, & Græcorum vocabulorum Lexicon.

Antverpiensis sive Regia dicitur ea, quam anno 1572. *Benedictus Arias* Montanus Hispalensis, vir Theologus, & linguarum Orientalium peritissimus Typis Plantinianis edi curavit Antverpiæ jussu *Philippi II.* Hispaniarum Regis, unde & Regia dicta, in qua reperitur quidquid in Complutensi legitur, & insuper Paraphrasis Chaldaica super alios veteris Testamenti libros, & novi Testamenti editio Syriaca cum interpretatione Latina.

Parisiensis omnium accuratissima, ea est, quam incredibili diligentia & immensis ferè sumptibus in lucem prodire curavit Parisiis anno Christi 1630. sub Ludovico XIII. Galliarum Rege *Nicolaus Lejay* Parisiensis Senatus Protopræses illustrissimus, vir summè eruditus & de eruditis omnibus benè meritus, & ista Complutensem & Antverpiensem superat in hoc, quòd præter Hebraicam, Græcam, Chaldaicam & Latinam editionem, exhibeat insuper Syriacam, Arabicam, & Pentateuchi Samaritanam cum versione.

Anglicana denique, ea est, quæ non longè post Parisiensem, in Anglia prodiit; quæque eadem ferè est ac Parisiensis Polyglotta, nonnullis parvi momenti, nec luce dignis, additionibus exceptis.

Cæteros numero multos alios hìc recensere, qui de divinis Scripturis egere, longum foret & tædio plenum, istos sufficiat prænotasse tibi, Lector benevole, hos adeas, consulas, & volvas, hisque ducibus vel facem ferentibus, divinas Scripturas assiduè legas, cùmque legeris, iterùm atque iterùm & indefessè relegas. Et si quæras, num præter Scripturas, vel qui de Scripturis egere, liceat quandoque legere Scriptores alios? appositè dicam celebrem olim Hebræorum Rabbinum unum nepoti suo Scripturis assiduè (Hebræorum more) vacare jusso, & quærenti, num sibi liceret interdum auctoribus vacare Græcis? ironicè respondisse dicendo, licere quidem, modò id neque die neque nocte faceret, quia scriptum est, meditandum esse die ac nocte in lege Domini: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (*Psalm. 1. vers. 2.*)

METHODICUS AD POSITIVAM THEOLOGIAM APPARATUS.

LIBER TERTIUS.

De Traditione sacra.

A Scripto Dei verbo ad traditum, à divinis Scripturis ad Traditiones sacras pergimus, à quibus toties recessere ferè omnes, & recedunt adhuc hodie nostri temporis Hæretici; quos & alios quoscumque non ambulantes in doctrina sana, ut possit arguere noster aliquando sive Theologiæ Candidatus, sive peritus alius quisque Theologus, & ubi non succurret Scriptura sacra, valeat *omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est spe,* ex Traditione *reddere*, juvat hic Traditionis naturam, varietatem, necessitatem, mutabilitatem, vel immutabilitatem, & alia id genus ad Traditionis notitiam & doctrinam spectantia, scituque pernecessaria, breviter investigare.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit Traditio sacra.

SCiendum est in primis Traditionem generatim sumptam, tripliciter spectari posse, videlicet *latissimè, minùs latè,* & *strictè.*

Traditio generatim sumpta est doctrina nõ scripto, sed viva voce de aure in aurem successivè tradita.

Latissimè sumpta *Traditio* nihil est aliud, quàm doctrina quælibet, sive scripta, sive non scripta, ab uno alteri communicata; Sic Lex antiqua, à Domino in monte Sinai Moysi tradita, à Moyse deinde Josue, à Josue Senioribus, à Senioribus Prophetis, & à Prophetis deinceps magnæ Synagogæ viris communicata, Traditio; sed Traditio latissimè sumpta vocatur, juxta illud Exodi cap. 17. vers. 14. à Domino Moysi dictum: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue.*

Minùs latè, & juxta communem loquendi modum, sumpta Traditio, prout abstrahit à sacra & profana, nihil est aliud, quàm doctrina non scripta, sed viva voce per majores ad posteros successivè tradita; qualis est illa, v.g. qua scimus varia, licèt non scripta, heroica veterum gesta; qualis ea, qua scimus hoc in tumulo sepulta jacere majorum nostrorum ossa; qualis est illa, qua nunc scimus & canimus cum Poeta, quòd *Nunc seges est ubi Troja fuit.*

Traditio sacra est fidei vel morum doctrina non scripto, sed viva voce de aure ad aurem successivè tradita.

Strictè denique, & theologicè spectata Traditio, prout est Traditio sacra, & de qua sola nobis est hìc quæstio, nihil est aliud quàm fidei vel morum doctrina non scripta, sed viva voce, quasi de aure in aurem successivè tradita; qualis est ea, qua credimus varia fidei dogmata, quamvis nullibi, saltem satis clarè, in sacris Scripturis expressa; qualis est v.g. illa, qua *B. Mariam Deiparam, etiam post partum, Virginem* credimus; qualis est ea, qua *parvulos baptizandos esse* tenemus; qualis est illa, de qua S. Chrysostomus ait, in 2. ad Thessalonicenses homil. 4. *Traditio est, nihil quæras ampliùs*; quales denique & illæ, quas Thessalonicensibus commendat Paulus dicens, 2. ad illos Epist. cap. 2. v. 14. *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et hujus Traditionis sacræ necessitas priùs quàm in negantes Hæreticos adstruatur,

CONCLUSIO.

Dico, *Traditionem sacram multipliciter dividi; videlicet 1. in divinam, apostolicam, & ecclesiasticam; 2. in traditionem fidei, & traditionem morum; 3. in universalem, & particularem; 4. in perpetuam, & temporaneam; 5. in liberam, & necessariam*: & sic breviter, inductione & explicatione

Et hæc Traditio sacra, de qua hìc est quæstio, est multiplex.

Pr. Quia Traditio sacra potest considerari, vel ex parte auctoris à quo est, vel ex parte materiæ traditæ, vel ex parte ejus cui traditur, vel ex parte durationis, pro qua traditur, vel denique ex parte modi, quo traditur. Si ex parte auctoris sui spectetur, dividitur in *divinam, apostolicam, & ecclesiasticam*. Si ex parte materiæ traditæ, seu materiæ circa quam versatur, dividitur in traditionem *de fide*, & traditionem *de moribus*. Si ex parte ejus cui traditur, v.g. ex parte loci vel Ecclesiæ alicujus particularis, vel universalis, cui traditur, dividitur in *universalem & particularem*. Si ex parte durationis, pro qua, vel ad quam traditur, hoc est pro semper, vel ad certum tempus, dividitur in *perpetuam & temporaneam*. Si denique ex parte modi, quo traditur, hoc est, si per modum consilii, vel per modum præcepti traditur, dividitur in *liberam & necessariam*. Ergo multipliciter & rectè dividitur Traditio sacra in divinam, apostolicam, & ecclesiasticam, in traditionem fidei & traditionem morum, in universalem & particularem, in perpetuam & temporaneam, in liberam & necessariam; quæ plenius

niis ut intelligantur omnes, hic explicantur singulæ, & singularum exempla notantur plura.

Traditio divina est verbum Dei, non scriptum, sed traditum; seu doctrina Dei in sacris litteris non scripta, sed à Deo immediatè majoribus revelata, & à majoribus ad posteros, quasi de aure in aurem successivè tradita. Divina.

Qualis fuit v.g. in lege naturæ, & ante scriptam Moysis legem Traditio, seu non scripta, sed viva voce de aure in aurem, quasi de manu ad manum successivè tradita doctrina,

1. *De mundo isto à Deo creato.*
2. *De altera post præsentem futura vita.*
3. *De remedio adhibendo pro originali delendo peccato.*
4. *Et aliæ quibus in vero Dei cultu tunc regebatur Ecclesia.*

Qualis fuit in lege scripta Moysis, & ante novam Christi legem apud Judæos Traditio, seu non scripta pariter, sed viva voce de aure in aurem, quasi de manu ad manum successivè tradita doctrina,

1. *De divinitate librorum canonicorum.*
2. *De remedio pro delendo originali fœminarum peccato.*
3. *De præfigurata Christi morte per cruenta sacrificia.*

Qualis est adhuc hodie in lege Christi nova Traditio, seu nullibi scripta, sed viva voce de aure in aurem, quasi de manu ad manum successivè tradita, & à majoribus ad nos usque transmissa doctrina,

1. *De perpetua Mariæ Deiparæ Virginitate.*
2. *De baptizandis, etiam ante rationis usum, parvulis.*
3. *De non rebaptizandis Hæreticis.*
4. *De invocatione Sanctorum.*
5. *De sacrarum Imaginum cultu.*
6. *De septenario Sacramentorum numero.*
7. *De sacrorum librorum divinitate.*

Et aliæ similes, vel ad fidem pertinentes, vel ad Sacramentorum essentiam spectantes; ut quæ sunt de materia & forma Sacramentorum Confirmationis, Extremæ unctionis, & Ordinis, in Scriptura non expressis.

Traditio apostolica propriè dicta, ea est, quæ est ab Apostolis primò & immediatè, non scripto, sed viva voce profecta, & per majores intermedios, ad nos usque transfusa. Dixi propriè dicta, quia Traditionis apostolicæ duplex genus est; aliæ enim sunt apostolicæ divinæ, aliæ purè apostolicæ, quia vel sunt ab Apostolis ut Christi præconibus, seu nomine Christi loquentibus, vel ab Apostolis ut Ecclesiæ Pastoribus, & proprio nomine loquentibus. Si primum, dicuntur apostolicæ divinæ; si secundum, purè apostolicæ vocantur. Apostolica.

Illæ autem sunt ab Apostolis, ut Christi præconibus, quæ sunt à Christo immediatè Apostolis, & per Apostolos Ecclesiæ viva voce traditæ, quæque ideò divinæ sunt propriè loquendo, & denominativè tantùm apostolicæ, quia à Christo Domino, non ab Apostolis, licèt per Apostolos primò traditæ; quales sunt v.g. Traditiones istæ, inter divinas, jam suprà memoratæ.

1. *De perpetua Mariæ Deiparæ Virginitate.*
2. *De parvulis etiam ante rationis usum baptizandis.*
3. *De sacræ Scripturæ nostræ divinitate.*
4. *De septenario Sacramentorum numero.*

Et aliæ similes à Christo, ante, vel post Resurrectionem, Apostolis traditæ, dum per 40. dies apparens loqueretur eis de Regno Dei, Act. cap. 1. vers. 3. & de quibus viva voce, sicut scripto de scriptis dicere potuere interdum Apostoli; sicut & re ipsa 1. ad Cor. cap. 11. vers. 23. dixit Paulus: *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Et cap. 7. vers. 10. *Præcipio non ego, sed Dominus.* Et 2. ad Thessalon. cap. 2. vers. 15. *State, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem,* id est viva voce, *sive per Epistolam,* id est scripto.

Illæ verò sunt ab Apostolis ut Ecclesiæ Pastoribus, ac proinde apostolicæ propriè dictæ, quæ non à Christo descendunt, sed ab ipsis Apostolis, assistente tamen Spiritu sancto primò & immediatè in bonum Ecclesiæ, circa ritus morumque disciplinam, non scripto, sed viva voce fluxerunt, & ab ipsis per majores intermedios, ad nos usque pervenere: quales sunt v. g.

1. *Quadragesimæ, & Quatuor Temporum institutio.*
2. *Observatio diei Dominicæ, loco Sabbati.*
3. *Trina mersio, in baptismo olim servari solita.*
4. *Chrismatis renovatio, annis singulis facienda.*

Variæque aliæ, circa Sacramenta, cæremoniæ in Ecclesia usu receptæ, nullibi tamen in Scripturis expressæ, sed viva voce ab Apostolis traditæ, de quibus sine dubio, viva voce, sicut & scripto de aliis dixerunt interdum Apostoli; sicut & Paulus 1. ad Cor. cap. 7. vers. 12. *Ego dico, non Dominus.* Unde patet in hoc differre Traditiones apostolico-divinas, & Traditiones purè apostolicas, quòd apostolico-divinæ sint ab Apostolis, ut Christi præconibus, seu potiùs à Christo per Apostolos traditæ, & de quibus Paulus ait, *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis;* Traditiones verò purè apostolicæ sint non à Christo, sed ab ipsis Apostolis, ut primis Ecclesiæ Rectoribus, ortæ, & de quibus Paulus ait: *Ego dico, non Dominus.*

Ecclesiastica. *Traditio ecclesiastica* propriè dicitur illa, quæ nec à Christo, nec ab Apostolis, sed post Christi in cœlos ascensum, & Apostolorum ex hac vita discessum, est ab Ecclesiæ Prælatis, vel populis introducta, & tandem per modum legis, vel per modum consuetudinis, tacito sibi succedentis populi consensu & usu recepta, & ad nos usque delata: quales sunt v. g. inter innumeras alias, nec à Christo Domino, nec ab Apostolis ortas, in Ecclesia tamen usu receptas,

1. *Solemnitas, & observatio Festorum.*
2. *Abstinentia à carnibus, ovis, lacticiniis, certis anni diebus.*
3. *Pia & laudabilis Crucis formandæ consuetudo.*
4. *Pius aqua benedicta aspergendi mos.*
5. *Antiquus candelarum, cinerum, palmarum & similium benedictionis usus.*

Tra-

Traditio fidei, seu de fide, nihil est aliud, quàm non scripta, sed viva voce de aure ad aurem successivè tradita fidei doctrina, qualia sunt v. g. inter plura alia jam assignata, vel assignabilia, ista fidei dogmata nobis ex sola Traditione nota, De fide.

1. *Quòd Scriptura sacra, qua utimur in Ecclesia Catholica, sit verè divina.*
2. *Quòd quatuor sint Euangelia Canonica, nec plura, nec pauciora.*
3. *Quòd septem nec plura, nec pauciora sint novæ legis Sacramenta.*
4. *Quòd B. Maria Deipara semper manserit virgo.*
5. *Quòd parvuli sint etiam ante rationis usum baptizandi.*
6. *Quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi.*

Traditio morum, sive de moribus, & ritibus, est pariter doctrina quædam non scripta primitùs, sed successivè tradita pro dirigendis formandisque moribus & ritibus, seu pro morum disciplina, qualis est, v. g. inter quamplures alias Traditio sive doctrina, De moribus.

1. *De jejuniorum observantia certis anni diebus.*
2. *De Festorum celebratione, certis pariter anni diebus.*
3. *De benedictione & aspersione aquæ.*
4. *De formando Crucis, in fronte, signo.*
5. *De abstinendo à servili opere in die Dominica, Festisque diebus.*
6. *De facie ad Orientem vertenda, Deum orando.*

Traditio perpetua dicitur illa quæ est instituta, ut semper duret, & à nulla auctoritate creata mutari potest; quales sunt divinæ omnes, & à Christo, per Apostolos, ad nos usque transfusæ; ut v.g. illæ omnes quæ sunt circa fidem, vel Sacramentorum administrationem, sive sint de necessitate Sacramenti, ut sunt materia & forma; sive de necessitate præcepti, qualis est v.g. doctrina de *aqua miscenda calici*, de qua S. Cyprianus ait lib. 2. Epist. 3. *Admonitos autem nos scias, ut in Calice Domini offerendo, Dominica Traditio servetur; ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Perpetua.

Traditio temporanea, sive temporalis dicitur illa, quæ sive instituta sit ad certum tempus, sive illimitatè, talis tamen est naturæ, ut possit per Ecclesiam mutari, quales sunt Traditiones *purè Apostolicæ*, quales & Ecclesiasticæ omnes; sicut mutatæ sunt variæ ab Apostolis ut Ecclesiæ rectoribus ortæ Traditiones, quales sunt v.g. istæ, Temporanea.

1. *De trina immersione olim in baptismo servari solita.*
2. *De quotidiana fidelium omnium communione, peracta consecratione.*
3. *De communione sub utraque specie à Laicis aliquando servata.*
4. *De agapis, seu communibus conviviis olim in Ecclesia fieri consuetis.*
5. *De mutuo osculo, post preces, sive de ritu salutandi se mutuò in osculo sancto.*

Nec mirum, si istæ, & aliæ similes non scriptæ, & purè Apostolicæ Traditiones morum disciplinam spectantes, pensatis rerum, temporumque circumstantiis, possint pro Ecclesia mutari; quandoquidem mutari possunt & scriptæ, ab iisdem ut Ecclesiæ pastoribus, etiam assistente Spiritu sancto profectæ, qualis est celebris illa,

De abstinentia à sanguine & suffocato,

Quam nullus tamen Christianus observat hodie, & de qua scripserunt olim Apostoli Jerosolymis in Concilio congregati, Antiochiæ & Syriæ fratribus, dicentes Actuum cap. 15. vers. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Universalis. *Traditio universalis*, seu generalis ea est, sive Divina sit, Apostolica, vel Ecclesiastica, quæ fideles omnes ubique gentium dispersos attingit, sive quæ universam respicit Ecclesiam, quales sunt v.g.

1. *Anniversaria majorum Festorum Paschatis, Pentecostes & similium, observatio.*
2. *Quadragesimæ & Quatuor Temporum jejunia.*
3. *Aquæ benedictæ, exorcismorum, aliorumque similium usus.*

Particularis. *Traditio particularis* econtrà ea est, quæ unam dumtaxat, vel particulares paucas respicit Ecclesias, qualis esse nequit Divina Traditio, cùm Divina omnes attingat Ecclesias; sed solùm purè Apostolica, vel Ecclesiastica, sic v.g. Traditio particularis erat olim Romæ,

Observatio jejunii Sabbati.

Eratque ex sancti Petri institutione, ut innuit S. August. Epist. 86. ad Casulanum, vigebatque adhuc in Ecclesia Romana tempore S. Ambrosii, in Epist. 118. ad Januarium, dicentis; *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm hìc sum*, id est Mediolani, *non jejuno.*

Necessaria. *Traditio necessaria*, ea dicitur, quæ necessariò servanda est, quia per modum præcepti instituta, qualis est v.g.

1. *Præfata Majorum Festorum observatio.*
2. *Calici miscendæ aquæ usus.*
3. *Paschatis celebratio Dominica prima post decimam quartam Martii Lunam.*

Quam cùm observare renuerent olim Asiatici, Pascha celebrantes præcisè decima quarta Martii Luna, à Nicæno Concilio fuere damnati, ut Hæretici; & Quarta-decimani vocati.

Libera. *Traditio libera* econtrà ea est, quæ est per modum consilii lata, & ad libitum observari, & non observari permissa, qualis sola esse potest Ecclesiastica, & purè Apostolica; cùm Divina sit, immutabilis, & necessaria; sic liberæ sunt v.g. istæ, & omittuntur sine peccato, nisi interveniat contemptus aut detur occasio scandali proximo,

1. *Aspersio lustralis aquæ.*
2. *S. Crucis in fronte signatio.*
3. *Orantis ad Orientem conversio, & similes aliæ.*

Objicies 1. Hæ Traditiones omnes præfatæ sparsim reperiuntur in SS. Patrum scriptis, ergo non veræ Traditiones sunt, vel *Traditio* perperam dicitur

citur doctrina non scripta. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non ideò Traditio dicitur doctrina non scripta, quòd nullibi reperiatur scripta; sed quia viva voce, non scripto, à suo primo auctore tradita, nulloque in libro Canonico scripto mandata; quamvis deinde à successoribus de illa testificantibus scripta; quales sunt Divinæ & Apostolicæ, nullo in Canonico libro expressæ, nobis tamen sparsim per sanctos Patres, scripto successivè notatæ.

Objicies 2. Traditiones Divinæ passim vocantur Apostolicæ, & Apostolicæ vicissim vocantur Divinæ à SS. Patribus; ergo nullum inter Divinas & Apostolicas discrimen. Resp. id totum esse verum de Apostolicis primi generis, quæ sunt ab ipsis Apostolis, ut Christi præconibus; illæ enim sunt verè Divinæ, quia à Christo immediatè primo traditæ, & Apostolicæ pariter dicuntur, sed denominativè tantùm, quia à Christo Apostolis primò viva voce traditæ, & per Apostolos, ad posteros successivè transmissæ; & de istis primi generis Apostolicis Traditionibus, verum pariter est, quòd eamdem vim habeant ac Divinæ, cùm reipsa verè & propriè Divinæ sint, & denominativè dumtaxat Apostolicæ; falsum verò de purè Apostolicis aliis, quæ omnes ut faciliùs discerni possint, sit

---

ARTICULUS II.

Unde Divina secernatur ab Apostolica, & Apostolica ab Ecclesiastica, Traditio.

NE in tam multiplici Traditionum varietate, Traditiones purè Ecclesiasticas pro Apostolicis, & purè Apostolicas pro Divinis, quandoque tradat, ventilet, aut laudet incautus fortè Theologus, & ut semper econtrà, vera à falsis, revelata à non revelatis, & ab humanis divina secernat, *Variæ pro Traditionibus discernendis regulæ.*

CONCLUSIO.

Dico, *varias, pro Traditionibus secernendis, assignari posse Regulas, & præsertim sequentes istas.*

1. Est ut *consideretur Traditio quælibet per respectum ad suum initium*, hoc est, *inquirendum est Traditionis initium*; nam si de illius non constet initio, sed semper inveniatur retenta, non Ecclesiastica, sed Apostolica traditio censenda est, juxta illud *S. Aug. lib. 1. contra Donatistas cap. 24.* dicentis, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*; qualis est v.g. *1. Consideranda Traditio per respectum ad suum initium.*

Quadragesimæ & Quatuor Temporum institutio.

2. Ut *consideretur Traditio per respectum ad suam materiam*, hoc est, ut videatur & examinetur, an ejus materia Ecclesiæ potestatem excedat, vel Christi ex hoc mundo discessum supponat? nam si Traditio sit talis, ut ejus materia Ecclesiæ auctoritatem, sive potestatem excedat, evidens est, quòd hæc Traditio non est ab Apostolis, sed à Christo primitùs orta, & *2. Per respectum ad suã materiam.*

sic propriè Divina est, & denominativè tantùm Apostolica, sive Apostolico-divina est, non purè Apostolica, quia à Christo primitùs Apostolis, & Ecclesiæ deinde per Apostolos tradita, qualis est v.g. doctrina sive Traditio qua docemur ex S. Cyprian. lib. 2. epist. 3.

Aquam esse vino miscendam in consecratione calicis.

Secùs judicandum est, ac dicendum de ea Traditione, qualiscumque sit, quæ talis est, ut ejus materia Christi ex hoc mundo discessum, & ad cœlos ascensum supponat, quia illa Traditio cujus non invenitur initium, fuitque semper in Ecclesia retenta, & cujus materia Christi ex hoc mundo in cœlos ascensum supponit, evidens est, illam esse purè Apostolicam, hoc est, non à Christo, sed ab ipsis Apostolis institutam, ac proinde purè Apostolicam, qualis est v.g.

1. *Praxis de vigilia in memoriis Martyrum.*
2. *Mos salutandi se in osculo pacis.*
3. *Mos celebrandi Agapes.*
4. *Mos abstinendi à sanguine & suffocatis carnibus.*

Si verò nedum Christi, sed etiam Apostolorum ex hac vita discessum supponat, nec Divina, nec Apostolica, sed Ecclesiastica censenda est Traditio, qualis est v.g.

Abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis, certis anni diebus.

3. Per respectum ad suam qualitatem.

3. Est, ut *consideretur per respectum ad suam qualitatem*, seu per respectum ad suam mutabilitatem, vel immutabilitatem, hoc est, si Traditio aliqua sit talis, ut ejus materia non supponat Christi, nec Apostolorum discessum, nec superet Ecclesiæ auctoritatem, & dubium sit adhuc an sit Divina, vel Apostolica; advertendum est an sit mutabilis vel immutabilis; si mutabilis sit, & per Ecclesiam dispensabilis, evidens est, eam non Divinam, sed purè Apostolicam esse, cùm in Divinis non possit per Ecclesiam dispensari, sitque Divina Traditio immutabilis, cùm nihil sit aliud quàm verbum Dei non scriptum, & *Verbum Dei maneat in æternum*; sic v.g. purè Apostolica est ista,

Quadragesimæ institutio.

Quia talis est, ut non supponat Christi, nec Apostolorum ex hac vita discessum, nec superet Ecclesiæ potestatem, quia mutabilis est, & per Ecclesiam dispensabilis, ideò non Divina, sed purè Apostolica censenda; nam si Divina esset, in ea numquam dispensaret, sicut sæpè cum Magnatibus & Principibus videmus, quòd dispensat Ecclesia.

4. Per respectum ad PP. consensum.

4. Est, ut *consideretur per respectum ad communem SS. Patrum consensum*, hoc est, si dubitetur adhuc, an sit mutabilis, seu per Ecclesiam dispensabilis, ac proinde, an sit Divina, vel purè Apostolica, consulendus est concors sanctorum Patrum consensus; illud enim quod sancti Patres, secundùm suorum temporum successionem, semper, & ab initio concordissimè tenuerunt tanquam fidei dogma, ejusque oppositum, ut Hæreticum refuta-

ta-

tarunt, quodque nullibi reperitur in sacris litteris expressum, id sine dubio Traditio Divina est, seu Apostolico-divina, hoc est, à Christo, viva voce, Apostolis tradita, & per Apostolos ad posteros, & ab iis ad nos usque devoluta, qualis est v.g.

Perpetua B. Mariæ Deiparæ Virginitas.
Sacræ Scripturæ divinitas.
Et alia similia fidei dogmata.

Hujus regulæ ratio est, quia si omnes sancti Ecclesiæ Patres in hoc errarent, erraret & ipsa quæ illos sequitur, & sequi tenetur Ecclesia.

5. Est, ut *consideretur per respectum ad Ecclesiæ judicium*, hoc est, si non constet adhuc de communi PP. consensu circa Traditionem aliquam, & dubitetur an sit Divina vel Apostolica, qualis fuit Traditio *de non rebaptizandis Hæreticis*, quam impugnabat S. Cyprianus, considerandum est, quale sit, ea de re, Ecclesiæ judicium, & tenendum pro Traditione Divina, quod non est in Scriptura expressum, & tamen ut fidei dogma est Ecclesiæ judicio receptum, cùm infallibile sit Ecclesiæ Catholicæ judicium, & S. Augustinus expresse dicat, *Non accipio quod de baptizandis Hæreticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* 5. Per respectum ad Ecclesię judicium. 2. S. Aug. l. contr. Cresc. c. 32.

Objicies. Ex Traditionis alicujus mutabilitate non potest concludi, quòd non sit Divina: nam lex Mosaica divina erat, & tamen mutari potuit & abrogari, & re ipsa in multis est per Christum abrogata; ergo inutilis est, & fallax illa quarta regula. Resp. neg. ant. quia dum asserit hæc præfata regula Traditionem aliquam Divinam non esse, eo ipso quo est mutabilis & dispensabilis; intelligi debet in hoc sensu, ut sit mutabilis, seu dispensabilis per Ecclesiam, seu ad hoc ut concludatur, quòd sit Divina, requirit, ut sit indispensabilis non absolutè, sed per Ecclesiam. Lex autem Mosaica fuit quidem non ab Ecclesia, sed à Christo in multis per Euangelium abrogata.

Instabis. Quadragesimæ jejunium est ex Traditione Divina, ut multi sancti Patres videntur innuere, præsertim *S. Hieronymus* in 2. Jonæ caput, *S. Ambrosius* Conc. 36. *S. Chrysostomus* Homilia prima in Genesim, & tamen in eo interdum cum multis dispensat Ecclesia; ergo Traditio Divina est etiam mutabilis & dispensabilis per Ecclesiam; ergo. Resp. neg. ant. nam si à sanctis Patribus nonnullis jejunium quadragesimale ad Christum ut institutorem videatur referri; ideò refertur, inquit *Melchior Canus*, quia, ad Christi jejunantis exemplum, est ab Apostolis institutum, vel quia Apostolica edicta, Christi censentur edicta, cùm non sint ab ipsis Apostolis, nisi de assistentia Spiritus sancti à Christo promissa, dicente Joan. cap. 16. vers. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* & in qua indubitanter confisi, posteà Jerosolymis congregati, sic definiendo loquuntur Apostoli Actuum cap. 15. vers. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.*

ARTICULUS III.

An detur, ſive exiſtat aliqua Divina Traditio, ſive non ſcriptum Dei verbum.

Traditiones divinas rejiciunt & reprobant hæretici.

SOla utentes pro fidei regula, & paſſim abutentes Scriptura ſacra, Traditiones divinas faſtidiunt, expuunt & exhorrent quaſcumque Hæretici ferè omnes: ſolam enim ſcriptam *Moyſis* legem audiebant *Sadducæi*. Poſthabitis Patrum ſententiis, & omni Traditione calcata, vocem ὁμοόσιον in ſolis quærebant Scripturis *Ariani*, & non invenientes, Filium Patri ὁμοόσιον, id eſt conſubſtantialem eſſe negabant. *Semi-Ariani* vocem *Coeſſentialem*, quia nullibi in Scripturis viſam, ſimiliter exſufflabant. *Macedoniani* & *Eunomiani* Spiritum ſanctum cum Patre & Filio glorificandi, ſeu morem recitandi illum glorificationis verſum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ut quid in Scriptura novum ridebant. *Neſtoriani* B. Virginem Deiparam negantes, vocem Θεοτόκον expungebant, ut à ſacris Scripturis alienam. *Eutychis* duas in Chriſto naturas impugnantis, trita vox erat, *Qua in Scriptura jacent duæ naturæ?* & cui reſponſum à *Memma* Presbytero quodam, *Quæ Scriptura docet* ὁμοόσιον? Vulgaris erat *Pelagianorum* cantilena, *Credamus quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus aſtruere*; idem ferè reſonabat *VVicleffitarum* in ore dicentium, *Quidquid Papa, & Cardinales ex Scriptura deducunt, credendum; quidquid ultrà præſumpſerint, contemnendum ut Hæreticum.*

Poſt illos omnes, excucullatus, & nedum è clauſtro, ſed etiam ab Eccleſia, & à fide transfuga *Lutherus*, in divinas Traditiones ſic intonans, impiè dicebat adverſus Angliæ Regem: *Ego adverſus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum pono, non antiquum conſenſum, non multitudinem hominum, ſed unius Majeſtatis æternæ verbum, hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet ſanctorum, aut conſuetudini fallaci; Dei verbum eſt ſuper omnia, divina Majeſtas mecum facit, ut nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Tertulliani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent; Deus errare & fallere non poteſt; Auguſtinus & Cyprianus, ſicut omnes electi errare potuerunt, & errarunt; dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet.* Et iterùm in commentariis in Epiſt. ad Galatas, *Neque alia doctrina in Eccleſia tradi, aut audiri debet, quàm purum Dei verbum, hoc eſt Scriptura ſacra, Doctores vel auditores alii, cum ſua doctrina Anathema ſunto.*

Eas admittunt, venerantur & probant Catholici.

Sed contra hos omnes, conjuratos divinæ Traditionis hoſtes, recentiores præſertim *Lutheri* & *Calvini* ſequaces, contendunt Catholici communiter omnes, præter Scripturam divinam, ſeu Scriptum Dei Verbum, dari & Traditum, ſeu Traditionem divinam; idque probant ex Scriptura ipſa, ex Conciliis, ex SS. Patribus, & ratione, quos ut ſequamur & nos, & quoſcumque Traditionis hoſtes refellamus Hæreticos,

CON-

C O N C L U S I O.

Dico, *præter scriptum Dei verbum, dari & non scriptum, sed traditum, seu Traditionem divinam, alteram fidei nostræ regulam*; & sic

Pr. 1. Ex Scriptura sic, Scriptura sacra audienda est, & sequenda tanquam fidei nostræ regula, ut ipsi etiam fatentur & contendunt, divinæ Traditionis hostes Hæretici; ergo verè dari & audiendam ac tenendam esse divinam Traditionem aliquam, fateantur & ipsi, necesse est. Cùm Scriptura sacra multis in locis Traditionem divinam audiendam, & tenendam esse doceat, tam in veteri, quàm in novo Testamento. 1. Ex Scriptura sacra.

1. Quidem in veteri Testamento, Deut. cap. 32. vers. 7. dum ait: *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.*

2. Psalmo 43. vers. 1. dicens: *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

3. Isajæ cap. 38. vers. 19. sic prædicens: *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

4. Jeremiæ cap. 6. vers. 16. dum ait: *State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris.*

5. Ecclesiastici cap. 8. vers. 11. dicens: *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.*

6. In novo Testamento specialiùs atque clariùs, dum 2. ad Thess. c. 2. vers. 14. Paulus ait: *Itaque Fratres state: & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*, id est, tenete verbum Dei, à me vobis, sive scripto, sive viva voce, traditum.

7. Dum idem Apost. 2. ad Timoth. cap. 1. vers. 13. ait: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione in Christo Jesu.*

8. Dum ibidem cap. 2. vers. 1. eumdem sic alloquens, ait: *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*; ubi manifestè patet, loqui Paulum de doctrina ad fidem & dilectionem spectante, & non scripta, sed viva voce tradita.

Commendat ergo ibi, his in omnibus locis, Scriptura sacra, fidei doctrinam aliquam non scriptam, sed traditam, seu non scriptum, sed traditum aliquod Dei verbum. Constat ergo ex Scriptura, dari & audiendum esse verbum Dei aliquod non scriptum, sed traditum, seu Traditionem divinam aliquam.

Pr. 2. Ex sacris Conciliis, constat dari & suscipiendas esse Traditiones divinas, si Traditiones divinas suscipiendas & venerandas esse sacra Ecclesiæ Concilia decernant; Atqui sic est quòd sacra Ecclesiæ Concilia Traditiones divinas suscipiendas & venerandas esse decernunt, cùm Concilium Nicænum secundum, œcumenicum septimum, expresè dicat Act. septima: *Si quis Traditiones sive scripto sive consuetudine valentes non curaverit, anathema sit*; & insuper Concilium Tridentinum Sess. 4. decreto de canonicis Scripturis sic expressius & fusiùs declaret, se pari pietatis affectu Traditiones divinas venerari, ac Scripturas, dicens: *Sacro-sancta, œcumenica & gene-* 2. Ex sacris Ecclesiæ Conciliis.

generalis Tridentina Synodus perspiciens veritatem fidei, & disciplinam morum contineri in libris scriptis, & sine scripto in Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, nec non Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & reveretur. Ergo ex sacris Ecclesiæ Conciliis constat, dari & suscipiendas, ac venerandas esse Traditiones divinas; idque insuper

Confirmatur ex eo, quòd nedum ipsa sacra Ecclesiæ Concilia hujusmodi Traditiones dari & suscipiendas esse declarent, sed etiam ex eo, quòd suo usu, suaque praxi doceant, non alia via citiùs quàm Traditione à se fuisse extinctas hæreses, & debellatos Hæreticos: sic enim *Romana secunda* Synodus sub Cornelio habita anno 255. Traditione Novatianam confodit hæresim; sic *Antiochena* sub Dionysio celebrata anno 266. Paulum Samosatenum Traditione devicit; sic *Nicæna* œcumenica *prima* sub Silvestro habita anno 325. Arium debellavit; sic *Constantinopolitana* prima sub Damaso Papa anno 381. Macedonium evertit; sic *Milevitana* secunda anno 416. sub Innocentio primo Pelagium confudit; sic *Ephesina* prima sub Cœlestino anno 431. Nestorium, sic *Chalcedonensis* sub Leone primo anno 451. Eutychem, sic *Bracarensis* anno 563. sub Joanne tertio habita Priscillianistas, sic denique *Nicæna secunda* sub Adriano primo, anno 787. Iconomachos expugnavit, & sacrum Imaginum cultum ex Traditione venisse Apostolica pronuntiavit, Act. septima, & addidit, *Si quis Traditiones sive scripto sive consuetudine valentes non curaverit, anathema sit*; ergo ex sacris Ecclesiæ Conciliis manifestè patet dari, & suscipiendas, ac venerandas esse Traditiones divinas, easque utiles ac necessarias ad refellendos Hæreticos, & extinguendas hæreses.

3. Ex SS. Ecclesiæ Patribus.

Pr. 3. Ex SS. Ecclesiæ Patribus, constat pariter dari & suscipiendas esse Traditiones divinas, si eas dari & suscipiendas esse doceant SS. Ecclesiæ Patres. Atqui unanimis sanctorum Patrum consensus dari divinas Traditiones constanter docet & affirmat. Ergo, &c.

Pr. minor. Singula saltem priora percurrendo sæcula; & sic, in primo Ecclesiæ sæculo Traditiones varias, sive divinas, sive apostolicas, admisere *S. Ignatius Martyr, Dionysius Areopagita, & Polycarpus*; in secundo *Justinus, Papias, & Irenæus*; in tertio *Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Cyprianus*; in quarto *Athanasius, Basilius, Cyrillus Jerosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius*; in quinto *Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Chrysologus, & Gregorius Magnus*.

Ignatius quidem, dum suis in Epistolis locutus est de variis in Ecclesia receptis catholicis dogmatibus; ut de *Quadragesimæ jejunio*, de *minoribus Ordinibus*, de *die Dominico*, & de aliis multis nullibi ex Scriptura, sed ex sola Traditione notis.

Dionysius, dum lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. de Apostolis loquens, ait: *Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces.... summa illa, & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt*. Et ibidem eodem cap. Hierarchiam definiendo: *Est itaque Hierarchia, ut se habet nostra veneranda ac sacro-sancta Traditio, omnis sacrarum rerum illi quidem subjectarum ratio*.

Ju-

Justinus, dum in Apologia pro Christianis, varia refert ab iis observata, nec ullibi in Scripturis expressa; ut quòd *conveniant singulis Dominicis, quòd post Scripturarum lectionem offeratur & consecretur panis & vinum aqua temperatum, quòd nulli, nisi post baptismum, de Eucharistia participare liceat*; & alia similia, ex sola Christi Traditione nota.

Papias, dum lib. 4. sui operis ait: *Non his qui multa dicunt, sed qui vera docent oblector; neque ex illis, qui aliena & nova mandata commemorant; sed ex his qui recordatione renovant ea, quæ sunt à Domino per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar; nempe, quid Andreas dixißet, quidnam Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini Discipulus.... Neque enim ea, quæ in libris pandebantur tantùm, mihi subsidii allatura existimavi, quantum ea quæ acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.*

S. Irenæus, lib. 3. dum cap. 4. ait: *Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquißent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quem tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel attramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.*

Tertullianus, dum lib. de corona militis cap. 4. post nonnullas enumeratas Christianæ religionis observantias & cæremonias, de baptismo, de signo crucis, de oblationibus pro defunctis, & similes, ait: *Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules, Scripturam nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix; rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexit, disces.*

Origenes, variis in locis, sed præsertim ad cap. 6. Epist. ad Rom. dicens: *Ecclesia ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulis baptismum dare.*

S. Cyprianus, lib. 1. Epist. 12. dum ait: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, &c.* Sed id non noverat ex sacra de hoc profundè silente Scriptura, sed ex Traditione; & lib. 2. Epist. 3. docens ex Dominica traditione, *aquam miscendam esse calici.*

S. Athanasius, dum lib. de decretis Nicænæ fidei contra Eusebium, ait: *Ecce nos quidem, ex patribus ad patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus; vos autem, ò novi Judæi, & Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

S. Basilius Magnus de Spiritu sancto cap. 27. dum ait: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est quæ sint jura ecclesiastica... Quod genus est, ut ejus quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum signemus. Quis scripto docuit ut ad Orientem versi precemur, quæ docuit Scriptura?* Et homilia 28. contra Sabellium, Arium & Anomœos: *Et ne Spiritum sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te Dominica Traditio; Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, Martyres confirmarunt*; satis tibi sit ut dicas quemadmodum

S. Basil. hom. 28. cont. Sabel. Ar. & Anom.

S. Cy-

S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 5. dicens: *Videte itaque, fratres, ut servetis Traditiones quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis.*

S. Gregorius Nazianzenus, dum Oratione prima in Julianum, ubi dixit, propter dogmata Testamenti veteris & novi, doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Juliano mirabilem, statim addit: *Caterùm majorem atque insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras, quas Traditione acceptas in hunc usque diem servamus, &c.* Ubi per figuras Ecclesiæ paulò pòst se intelligere dicit disciplinam, politiam, ordinem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, sacraria in Templis, Monachorum ac Virginum cœnobia, & alia permulta ex sola Traditione profecta.

S. Epiphanius, dum ait hæresi 61. *Oportet autem & Traditione uti; non enim omnia à divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, Sicut tradidi vobis.* Et hæresi 69. dicens: *Respondete nobis, Arii discipuli; ingenitum dicimus omnes simul Patrem, & increatum; & admirabilis est dictio, scilicet, Ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite? neque enim lex, neque Prophetæ, neque Apostoli.*

S. Hilarius Pictaviensis, dum lib. contra Constantium Imperatorem Arianum, & objicientem, *Nolo verba quæ non sunt scripta legi*, sic respondens ait: *Rogo quis Episcopus jubeat? quis apostolicæ prædicationis vetet formam?* Quibus verbis duo intendit Hilarius: 1. prædicationem *consubstantialitatis Patris & Filii*, etsi non expressam in Scripturis, esse tamen apostolicæ prædicationis. 2. Vocem ipsam ὁμοούσιον, licèt novam, & nullibi in Scripturis expressam, retinendam tamen, quia apostolicæ prædicationi, seu Traditioni conformem.

S. Ambrosius, dum serm. 25. 34. & 36. *Quadragesimam à Christo præscriptam* docet; & serm. 38. *Symbolum Apostolorum Traditionem apostolicam esse non scriptam* asserit.

S. Hieronymus, in Epist. ad Marcellam de erroribus Montani, dum ait: *Nos unam Quadragesimam ex apostolica Traditione tempore nobis congruo jejunamus.* Et in Dialogo adversùs Luciferianos cap. 4. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti, obtineret; nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem; die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere; multaque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vendicavit.*

S. Chrysostomus in 2. ad Thessalonic. homilia, 4. *State, & tenete; hinc est perspicuum quòd non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scripto, & ea quoque sunt fide digna: quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam; est Traditio, nihil quæras ampliùs.*

S. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissimè creditur.*

S. Petrus Chrysologus serm. 85. dum ait: *Christianus animus, quæ sunt Traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed venerari, ac toto desiderat venerationis eloquio.*

S. Gre-

S. *Gregorius Magnus* lib. 9. Epistolarum Epist. 61. dum ait: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut quilibet qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.* Ergo ex illorum omnium, aliis omissis, unanimi sanctorum Patrum consensu, constat dari in Ecclesia Christi, præter Scripturam sacram, fidei doctrinam aliquam non scriptam, sed viva voce Apostolis à Christo traditam, & ab Apostolis, per successores, ad nos usque transfusam. Ergo & Traditionem divinam alteram fidei nostræ regulam, quam, ut patet ex his omnibus, Scriptura docet, Ecclesia definit, & unanimis sanctorum Patrum confirmat usus.

Pr. 4. Ex ipsa Traditionis necessitate, & sic discurrendo: cùm fides nostra fundetur in Dei verbo, juxta illud Pauli ad Rom. cap. 10. v. 17. *Fides ex auditu, auditus per verbum Dei*, datur re ipsa, & necessariò, præter Scripturam divinam, aliquod aliud Dei verbum non scriptum, sed viva voce traditum, si sint aliqua fidei dogmata in Ecclesia Christi credenda, quibus expressa sit in divinis Scripturis mentio nulla. Atqui plura sunt talia fidei dogmata, à nobis in Ecclesia Christi credenda, de quibus expressa in divinis Scripturis fit mentio nulla. Ergo re ipsa, & necessariò datur aliquod Dei verbum non scriptum, sed traditum, in quo fundetur hæc fides nostra.

4. Ex ipsa Traditionis necessitate clamante.

Pr. minor. Dogmata fidei ab omnibus Christi fidelibus credenda, sunt inter multa alia, ista hic breviter notata, & à nullo Catholico viro negata:

1. *Quòd beata Maria Deipara fuerit semper, etiam post partum, virgo.*
2. *Quòd parvuli sint baptizandi, etiam ante rationis usum.*
3. *Quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi.*
4. *Quòd ad baptismi valorem, hæc sit adhibenda forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*
5. *Quòd Paschatis festum sit die Dominico, post* 14. *Martii Lunam, celebrandum.*
6. *Quòd detur & existat apud nos Scriptura verè divina, seu quæ sit verum Dei verbum.*
7. *Quòd illa eadem, præsertim in iis quæ sunt ad fidem & salutem necessaria, sit apud nos salva & incorrupta.*
8. *Quòd verum ac legitimum illius habeamus sensum.*
9. *Quòd quatuor Evangelia sanctorum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis sint Scriptura verè divina; non verò quatuor alia, nomine sanctorum Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ, ventilata.*
10. *Quòd è quatuor Esdræ libris, duo sint verè divini, alii verò duo apocryphi.*
11. *Quòd pariter è quatuor Machabæorum libris, duo sint verè canonici & divini, alii duo econtrà apocryphi.*
12. *Quòd Pauli Epistolæ, ad Timotheum v.g. ad Titum, ad Philemonem, sint verè canonicæ, non verò ejusdem ad Senecam aliæ.*
13. *Quòd ejusdem Pauli ad Ephesios Epistola sit verè canonica, & inter authenticas habenda; non econtrà ejusdem ad Laodicenses alia,* quæ circumfertur, licèt utraque Pauli titulum præferat, & Paulus ipse, in sua ad Colossenses cap. ultimo, Laodicensis Epistolæ mentionem faciat, Ephesinæ verò nusquam.

Atqui

Atqui hæc, & alia plura hujusmodi non habemus ex scripto Dei verbo, seu ex Scriptura divina de iis nihil saltem expressè dicente. Ergo ex tradito Dei verbo, seu ex Traditione divina, altera fidei nostræ regula.

Dices. Potest probari ex sola Scriptura, quòd parvuli v. g. sint baptizandi, ex illo scilicet Joan. c. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Potest pariter ex sola Scriptura probari quòd hæc forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit in collatione baptismi adhibenda, ex illo scilicet Christi dicentis Matth. cap. 28. vers. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c.* Ergo aliqua ex his dogmatibus præfatis. ex ipsa Scriptura sola, sine Traditione constant. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia, ut hæc possent ex Scriptura probari, deberet constare de vero ac legitimo Scripturæ sensu, v. g. ut posset probari quòd parvuli sint baptizandi, ex illo laudato Scripturæ textu, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* deberet constare quod hic sit legitimus hujus loci sensus. Sed non constat ex ipsa sola Scriptura, quòd hic sit legitimus hujus loci sensus, sed ex sola Traditione. Ergo & similiter, ut possit ex Scriptura probari, quòd hæc sit in baptismo adhibenda forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ex illo textu, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* deberet constare, quòd Christus hæc dicendo præceperit ut Apostoli baptizantes sic dicerent: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Sed hoc non ex Scriptura constat, sed ex sola Traditione, & Ecclesiæ praxi; Nam sicut Christus dixit ibi, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ita dixit alibi Joan. cap. 16. vers. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Et tamen hoc dicendo non censetur præcepisse, ut quoties quis aliquid à Patre peteret, diceret: *Ego peto hoc, vel illud in nomine Christi*. Ergo non constat ex puræ Scripturæ verbis, quòd Christus præceperit ut præfata adhiberetur forma in baptismo, & diceretur, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed ex ipsa sola Scripturæ sensum explicante Traditione constat; contra quam sic

Occurritur adversariis Traditiones ex Scriptura impugnantibus hæreticis.

Objicies 1. cum Hæreticis. Scriptura dicit Deuteronomii cap. 4. vers. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo*. Ergo Scriptura Traditionem rejicit omnem, utpote quia Dei verbo additam. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ibi solùm prohibetur, ne quid addatur verbo Dei; Traditio autem divina non est quid Dei verbo additum, cùm sit Dei verbum non scriptum, sed traditum. 2. Quia ibi solùm prohibetur, quid addi Dei verbo, per quod corrumpatur, alteretur, vel impugnetur Dei verbum; non corrumpitur autem, nec alteratur, nec impugnatur ullo modo, sed potiùs explicatur, & defenditur Dei verbum, per ipsam Traditionem divinam, cùm Traditio divina sit pariter Dei verbum, & verbum Dei verbo Dei non corrumpatur, nec alteretur, nec impugnetur, sicut impugnatur sæpè per vanas & superstitiosas hominum traditiones; quales erant olim nonnullæ Judæorum & Gentilium traditiones humanæ, de quibus dicitur Matth. cap. 15. vers. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Et ibid. vers. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Et ad Coloss. cap. 2. vers. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum*. Quibus locis & similibus non repudiantur Traditiones divinæ, sed humanæ, verbo Dei contrariæ.

Obji-

Objicies 2. cum iisdem. Paulus ad Galat. cap. 1. verſ. 8. expreſsè dicit: *Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit*. Et infrà: *Si quis euangelizaverit vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Ergo ex mente Apoſtoli præter Euangelium nulla admittenda Traditio. Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio eſt 1. quia Traditio divina non eſt præter id, quod euangelizavit Paulus, ſed econtrà, de his, quæ Theſſalonicenſibus euangelizavit, dum cap. 2. verſ. 14. dixit: *State, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. Unde anathema potiùs illi, quiſquis ſit, qui Traditiones omnes rejiciendas eſſe docet, quia præter id, quod Paulus euangelizavit, euangelizat. 2. Quia ibi ſolùm vetat euangelizare Paulus, id quod eſt Euangelio jam tradito repugnans ſive contrarium; particula enim illa, *præter*, ibi idem ſignificat ac *contra*, ut explicat ſanctus Ambroſius.

Reſpondetur iiſdem SS. Patres opponentibus hæreticis.

Objicies 3. cum iiſdem. Tertullianus lib. contra Hermogenem ait: *Adoro Scripturæ plenitudinem; ſcriptum eſſe doceat Hermogenis officina; ſi non ſcriptum, timeat væ illud, adjicientibus vel detrahentibus deſtinatum*. Solam ergo Scripturam omni Traditione rejecta admittebat Tertullianus. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. Agit enim ibi *Tertullianus* contra *Hermogenem* docentem omnia, non ex nihilo, ſed ex præjacente materia, fuiſſe creata; quod dogma cùm ex Scriptura falſum eſſe manifeſtè conſtet, ideò ſe adorare plenitudinem Scripturæ & ſufficientiam, quantùm ad hoc ſingulare dogma. Ex quo non ſequitur Tertulliani mentem eſſe, quòd Scriptura ſufficiat quantùm ad omnia, & rejicienda penitùs ſit omnis Traditio ſacra.

Objicies 4. ex S. Hieronymo in cap. 23. Matth. *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur*. Ergo Traditionem non ſcriptam rejicit omnem *Hieronymus*. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. quia non indefinitè & univerſaliter loquitur S. Hieronymus de eo omni, quod non habet auctoritatem ex Scripturis, ſed de privata & ſingulari quorumdam ſententia, probare conantium ex apocrypho libro, *Zachariam* à Judæis inter templum & altare occiſum, fuiſſe *Joannis Baptiſtæ* patrem; & hoc, quia non ex canonico & authentico, ſed ex apocrypho Scripturæ libro probatur, eadem facilitate qua probatum, contemnendum eſſe dixit ſanctus Eccleſiæ Doctor Hieronymus.

Objicies 5. ex S. Chryſoſtomo in cap. 22. Matth. *Quidquid quæritur ad ſalutem, totum jam impletum eſt in Scripturis*. Ergo ſufficit Scriptura nobis, & ſuperfluit Traditio. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. Agit enim ibi tantùm *S. Chryſoſtomus* de variis ad vitia remediis, dicitque nullum eſſe hominis vitium, pro quo ſanando non ferat aliquod Scriptura remedium; ſed inde contra Traditionem concluſio nulla: hoc enim non excludit Traditionis neceſſitatem ad multa alia credenda, de quibus in Scripturis expreſſio nulla.

Inſtabis ex ſancto Auguſtino lib. 2. de doctrina chriſt. cap. 9. *In his quæ apertè poſita ſunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moreſque vivendi*. Ergo in Scripturis nedum remedia pro vitiis, ſed etiam ad fidem pertinentia inveniuntur omnia. Reſp. perm. ant. diſt. conſeq. Omnia ad fidem pertinentia, omnia quorum cognitio eſt omnibus ſimpliciter neceſſaria, qualia ſunt ea quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, & Decalogo; conc. Omnia abſolutè ad fidem pertinentia; neg. conſeq: Multa enim, ut patet ex dictis, ſunt fidei dogmata, de quibus in Scripturis nihil

apertè positum & expressum; ut v.g. *quòd Pater in divinis sit ingenitus & increatus, quòd parvuli sint baptizandi, quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi, & alia hujusmodi plura.*

ARTICULUS IV.

An in veteri lege, sicut & in nova, fuerit divina Traditio aliqua.

Viguit in omni Ecclesiæ statu divina Traditio aliqua.

QUia triplex ab origine mundi fuit Ecclesiæ status; status videlicet legis naturæ, in quo ab *Adamo* usque ad *Moysen* per bis millenos duravit annos Ecclesia; status legis scriptæ seu Mosaicæ, in quo à *Moyse* usque ad *Christum* totidem permansit; & status legis novæ, seu Euangelicæ & Christianæ, in quo à *Christo* & cum Christo permanebit usque ad *consummationem sæculi*, seu ad finem usque mundi; de cujus die *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, nisi Pater*, ut habetur Marci cap. 13. vers. 32. Ideò hìc quæritur, an sicut in lege nova fuit semper, & est divina Traditio, parem cum Scriptura vim & auctoritatem habens, ita pariter fuerit & aliqua in antiqua, seu Mosaica lege. Ad cujus resolutionem

CONCLUSIO.

Dico, *nedum in lege nova, sed etiam in Mosaica, imò & in naturali, viguiße semper Traditionem aliquam verè divinam, quæ fuerit fidei regula*: & sic

Nedum in statu legis Mosaicæ, & ante Christum.

Pr. 1. prima pars, nimirum quòd viguerit in lege Mosaica, scripta divina Traditio aliqua, idemque ex variis Scripturæ locis; & 1. ex ipso Legislatore Moyse, Deuteronomii cap. 32. vers. 7. ad ipsam Traditionem populum provocante Judaicum, & jamjam morituro dicente in suo Cygneo Cantico: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* 2. Ex illo Judicum cap. 6. vers. 13. ubi Gedeon ad Angelum sibi loquentem ait: *Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri?* 3. Ex illo Regii Prophetæ, dicentis Psalmo 43. vers. 1. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.* Et iterùm Psalmo 77. vers. 6. *Quanta mandavit patribus nostris nota ea facere filiis suis; ut cognoscat generatio altera: filii qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Quibus in locis, pluribus aliis omissis, apertè commendatur doctrina aliqua, seu nonnullorum instructio à majoribus petenda, non scripta, ut patet; ergo tradita; ergo & Traditio.

Pr. 2. In lege Mosaica plura credebant Judæi fidei dogmata in Scripturis sacris non expressa, sed solùm tradita; ergo ea ex sola Traditione tenebant, ac proinde apud ipsos Traditio vigebat aliqua. Antecedens sic ostenditur:

1. Credebant Judæi, ut fidei dogma, *Libros omnes suo in Scripturarum canone memoratos, divinos eße*, eosque ut verè divinos venerabantur, audiebant, legebant, laudabant, & ad litteram fideliter observabant.

2. Cre-

2. Credebant Judæi ut fidei dogma, *dari remedium aliquod pro originali tollendo peccato*, etiam pro fœminis, pro quibus non erat circumcisio, imò & pro omnibus sive masculis sive fœminis, diem octavum nondum consecutis, vel ex Abrahamo non progenitis; sciebantque quale illud esset tale remedium in particulari: alioquin periissent fœmellæ omnes, aliique masculi ante diem octavum morte præventi, vel ex Abrahamo non progeniti.

3. Credebant pariter Judæi in antiqua lege, *futuram Christi mortem, per cruenta sacrificia præfigurari*. Atqui nullum ex iis ex Scriptura sua cognoscebant Judæi, cùm de iis nulla penitùs fiat in Scriptura mentio; ergo ex Traditione sola. Ergo vigebat apud eos Traditio aliqua.

Pr. 3. ex S. Hilario ad Psalm. 2. dicente, *præter* legem scriptam, plura separatim, ex occultis, secretiora legis mysteria fuisse à Moyse intimata septuaginta Senioribus, ad hoc in omni Synagoga institutis, ut essent Doctores, qui ea docerent deinceps; & Christum hujus doctrinæ traditæ, & in Synagogis perpetuò conservatæ, mentionem fecisse, dum Matth. cap. 23. vers. 2. dixit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere*. Constat ergo, etiam in lege antiqua sive Mosaica, viguisse fidei doctrinam aliquam non scriptam, sed traditam, sive Traditionem divinam, imò & in lege naturæ, ante Mosaicam: ut sic

Pr. secunda pars. 1. Ex Scriptura constat, in statu legis naturæ, & ante Moysen, multa Deum revelasse Abrahamo, ea ut suis posteris traderet, juxta illud Genes. cap. 18. vers. 17. & 19. ubi Deus ait: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam*. Atqui hæc, non scripto, filiis suis tradidit Abrahamus, nec illi deinceps aliis ea scripto, ante Moysen, tradidere posteris, ut patet; ergo viva voce; ergo ab ipso Abrahamo ante Moysen fuit doctrina aliqua non scripto, sed viva voce tradita; ergo & Traditio. (Sed etiam in statu legis naturæ ante Moysen.)

Pr. 2. Ab Adamo usque ad Moysen fuit semper Dei Ecclesia aliqua, in qua fuere semper veri Dei cultores permulti; quales fuere inter alios, v.g. *Adam, Abel, Seth, Enos, Noe*, deinde *Abraham, Isaac, Jacob*, & alii. Unde quæso habebant illi veri Dei cultores modum colendi Deum? Unde suorum sacrificiorum ritum, suæ religionis mysteria, suæ fidei dogmata? qualia erant v.g. dogmata

1. *De mundo creato à Deo primo rerum omnium principio.*
2. *De futuro Messiæ adventu.*
3. *De remedio pro originali tollendo peccato.*
4. *De Deo ut bonorum remuneratore, & malorum ultore.*
5. *De alterâ, post præsentem, futura vita, &c.*

Unde, amabò, illorum omnium, & aliorum similium notitiam & fidem hauriebant? Non ex Scriptura, quæ nulla erat ante Moysen, sed ex sola Traditione aliqua. Ergo vigebat etiam apud eos, ante Moysen & Abrahamum, Traditio aliqua, quæ illorum erat fidei regula, & qua fulta, & directa illorum florebat Ecclesia. Ergo semper & in omni Ecclesiæ statu, sive legis novæ, Mosaicæ, vel naturalis, viguit aliqua Traditio divina.

Occurritur ex Scriptura reclamantibus adversariis.

Objicies 1. Christus Judæorum Traditiones reprobat & damnat, dicens Matth. cap. 15. vers. 3. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram?* Ergo nulla erat apud Judæos divina Traditio, si enim divina fuisset & necessaria, non fuisset à Christo reprobata. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia non omnes, sed aliquas dumtaxat, reprobat Christus Judæorum Traditiones; reprobat nempe Pharisaicas, non Mosaicas. Hoc est, reprobat Pharisaicas, quia illæ vel erant Judæorum, vel Gentilium: si Judæorum, illas reprobat, quia iis abutebantur Pharisæi: si Gentilium, reprobat pariter eas, quia Christianæ repugnantes fidei. Sed minimè carpit Mosaicas aliàs laudabiles, & ad salutem necessarias.

Instabis. Christus Matth. cap. 23. vers. 1. ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Ergo non Pharisaicas, sed Judaicas potiùs, vel nullas reprobat Traditiones Christus. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia ibi dumtaxat docet Christus, Scribarum & Pharisæorum doctrinam, & imperia esse sequenda, modò non constet, ea esse legi Mosaicæ contraria; vel si non sint contraria, sint tamen talia, ut his abutantur illi. Non imitandos eos esse docet, dicens: *Secundùm opera verò eorum nolite facere*, quia omnia sua faciunt ut videantur ab hominibus; sicque omnes illorum Traditiones, etiam bonas, saltem quoad abusum reprobat Christus.

Urgebis, & quæres, quænam sint illæ Pharisæorum Traditiones, quas arguit & reprobat Christus? Resp. varias fuisse, & has inter præcipuas, sequentes istas:

Notantur variæ Pharisæorum Traditiones à Christo reprobatæ.

1. Quòd ante comestionem lavandæ essent manus, ut colligitur ex illo Matth. cap. 15. vers. 1. *Accesserunt ad eum Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur Traditionem Seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.*

2. Quòd etiam inter comedendum illa manuum lotio sæpè iteranda esset, ut constat ex illo Marci cap. 7. vers. 3. dicentis: *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes Traditionem Seniorum.* Unde est quòd in Nuptiis Canæ Galilææ, *Erant lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum*, Joan. cap. 2. vers. 6. in quibus erat aqua, manibus inter prandendum lavandis destinata.

3. Quòd venientes è foro non comederent nisi loti, juxta illud Marci cap. 7. vers. 4. *Et à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare.*

4. Quòd cum peccatoribus non esset manducandum, juxta illud Matth. cap. 9. vers. 11. dicentis: *Et videntes Pharisæi, dicebant Discipulis ejus: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?*

5. Quòd cuique cavendum esset, ne à peccatoribus tangeretur, juxta illud Lucæ cap. 7. vers. 39. *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.*

6. Quòd Sabbato non esset licitum, ægros sanare, juxta illud Lucæ cap. 6. vers. 7. *Observabant autem Scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret, unde accusarent eum.*

7. Quòd etiam esurientibus & famelicis spicas Sabbato vellere, & comedere, non esset licitum, juxta illud Matth. cap. 12. vers. 1. *Abiit Jesus per sata Sabbato: Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & mandu-*

manducare, Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis.

8. Quòd frequenter jejunandum foret & adorandum, juxta illud Matth. cap. 9. verſ. 14. *Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter: Discipuli autem tui non jejunant?*

9. Quòd rerum omnium etiam minimarum decimas solverent, juxta illud Matth. cap. 23. verſ. 23. *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

10. Quòd jurare per Templum aut altare nihil esset; jurare verò per aurum Templi, vel oblationes in altari factas, obligaret, juxta illud ejusdem Matth. cap. 23. verſ. 16. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil est: qui autem juraverit in auro Templi, debet. Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, an Templum, quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci: Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?*

Addes contrà. Inter Traditiones istas enumeratas, bonæ ac laudabiles erant aliquæ; qualis erat v. g. illa quæ erat de frequenti jejunio & frequenti oratione. Ergo non istas potiùs quàm alias reprehendit Christus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia licèt inter Pharisaicas istas Traditiones aliquæ bonæ essent ex suo genere, aliæ indifferentes, & inutiles aliæ, omnes tamen carpit & arguit Christus. 1. Quia in his omnibus observandis vanam gloriam & sanctitatis famam quærebant Pharisæi, juxta illud Matth. cap. 23. verſ. 5. *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus.* 2. Quia superstitiosè minutiora quædam observabant, omittendo majora: v. g. rerum omnium etiam minimarum decimas offerebant, & in judicandis ad se delatis causis misericordiam, & judicium omittebant. Unde est quòd apud Matth. cap. 23. verſ. 24. dicantur *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* 3. Denique, quia in nonnullis illarum observandis divitias quærebant, juxta illud Matth. cap. 23. verſ. 14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.*

ARTICULUS V.

De orali Judæorum Traditione, ejusque explicationibus variis Mischna, Gemara, Talmude, Maßora, & Kabala.

TEnet communis Judæorum opinio, duplicem à Domino legem in monte Sinai fuisse Moysi latam; unam scilicet in scripto, quam ideò scriptam vocant; alteram in ore, seu viva voce traditam, quamque ideò Traditionem, seu legem oralem nominant; hancque à Moyse ad posteros ita successionis ordine derivatam affirmant, ut à Moyse ad Josue, à Josue ad Seniores, à Senioribus prioribus ad posteriores, ab istis ad Esdram, ab Esdra continua successione ad subsequentes, quasi de manu ad manum pervenerit Judæos, & ab istis tandem ad hodiernos de illa gloriantes adhuc, eamque duas in partes dividentes: ita ut prior pars ejus, qualis habetur ho-

Oralis Judæorum legis partes duæ sunt, Mischna & Kabala.

die, nihil sit aliud quàm plenior & communis legis oralis explicatio, à diversis sapientibus, peritisque viris, variis temporibus orta: altera verò sit quidem non communis & trita, sed magis anagogica, arcana, & symbolica ejusdem legis oralis explicatio. Prior pars reperitur in *Mischna* & *Gemara*, integralibus *Talmudis* partibus; & ad illam reduci potest *Massora*, seu grammaticalis illa Traditio de punctis, vocalibus, accentibus, syllabis, cæterisque minutiis, in quibus dicitur versari *Maßora*. Altera verò legis oralis pars continetur in *Kabala*. Quæ clariùs & pleniùs ut intelligantur omnia, hìc breviter & cursim explicanda singula, & sigillatim videndum, quid sit *Mischna*, quid *Gemara*, quid *Talmud*, quid *Massora*, & quid denique *Kabala* tantoperè à Judæis ventilata, & legi à Talmudistis æquiparata. Quare ut hæc omnia simul & paucis complectar, cum Catholicis ista tractantibus Auctoribus,

CONCLUSIO,

Dico, *Mischnam*, *Gemaram*, *Talmud*, *Maßoram*, *& Kabalam congruè sic explicari & describi poße, dicendo nimirum, quòd*

Mischna est lex oralis collecta, & scripto mandata.

Mischna nihil est aliud quàm *lex oralis collecta, & scripto mandata à Rabbino Jehuda* viro Judæorum integerrimo, Doctoreque peritissimo: Is enim legem oralem à Domino in monte Sinai Moysi traditam, & à Moyse ad posteros, continua Patrum Doctorumque successione propagatam, & inviolatè conservatam, cùm videret tandem corrumpi & penitùs depravari, convocatis viris sui temporis sapientissimis, Traditionumque peritissimis, rogatisque singulis, ut quidquid de illa auditu perceptum haberent, in medium proferrent, aperirent & traderent, horum omnium ipse Traditiones, legisque oralis explicationes acceptas, in hoc unum volumen digessit, quod *Mischnam*, sive legem secundam vocari voluit, seu librum de lege orali ex piorum insigniorumque Doctorum ore collecta, & scripto mandata, non ante Christum natum, ut Judæorum putant aliqui, nec tertio ineunte sæculo, hoc est, anno 219. ut volunt alii; sed post quadringentesimum circiter completum annum, ut probabiliùs cum Morino colligunt alii, ex eo quòd *Origenes*, *S. Epiphanius*, & *S. Hieronymus*, viri omnes apprimè de Judæorum libris & Traditionibus instructi, de iisque toties locuti, de hujusmodi tamen *Mischna*, libro apud Judæos celeberrimo, ubique profundè sileant, & apertè dicat S. August. lib. 2, cap. 1. *contra adversarium Legis & Prophet.* Judæos Traditiones suas non scripto, sed memoriæ mandatas habere, & alterum in alterum loquendo transfundere. Quod haud dubiè non dixisset S. August. si *Mischna* Judæorum Traditiones complectens omnes, tunc innotuisset orbi.

Gemara est Mischnæ veluti complementum & expositio.

Gemara verò nihil est aliud quàm *quædam expositio, & veluti complementum Mischnæ*. Unde Hebraicè dicta *Gemara*, idem Latinè sonans ac complementum, cujus Auctor creditur *Rabbinus Ase*; qui tractare cupiens verba eorum qui à temporibus Rabbini *Jehudæ* floruere, sicut ipse Rabbinus *Jehuda* in *Mischna* eorum omnium verba tractat, qui post Moysen ad sua usque tempora claruere, collegit reipsa omnium Oratorum verba, omnem intelligentium intelligentiam, Interpretum expositionem, & decisionum subtilitates, eaque digessit omnia, secundùm sibi datam à Deo sapientiam. Sicque hoc alterum, post editam à Rabbino *Jehuda Mischnam*, con-

ſecit opus, quod *Gemara*, id eſt complementum, ſcilicet *Miſchnæ*, vulgò nuncupatur.

Talmud volumen eſt alterum ex *Miſchna* & *Gemara* conflatum, ſicque dictum à radice *Lamad* ſignificante *Didicit*, *docuit*, eò quòd nihil ſit aliud quàm *Miſchnæ* præfatæ explicatio complectens omnia doctrinæ & diſciplinæ Judaicæ capita, & quidquid juris tam divini quàm humani apud Judæos eſt; illudque vulgò duplex ventilatur, *Jeroſolymitanum* unum, & *Babylonicum* alterum. *Jeroſolymitanum* ſic ideò dictum unum, quia à Rabbino *Johanna* ex *Miſchna* & *Gemara* conflatum in ipſis Jeroſolymorum ruinis; *Babylonicum* alterum, quia à Rabbino *Aſe* in Babylonia Ægypti, ex pluribus ſapientum in *Miſchnam* interpretationibus, conſarcinari cœptum, & *Aſe* poſt obitum à Rabbino *Jeſe* completum, & manu ultima donatum, eſtque illud adhuc hodie juris corpus, ad cujus normam reguntur Judæi. De tempore autem, quo fuerit illud utrumque orbi datum opus, etſi non conveniant auctores Hebræi, conveniant tamen inter ſe neceſſe eſt, illud utrumque, non niſi poſt abſolutum *Miſchnæ* librum prodiiſſe, cujus utrumque commentarium & explicatio eſt. Imò ſive conveniant, ſive non conveniant Judæorum Rabbini, conveniunt & fatentur Doctores Catholici, illud utrumque tam *Jeroſolymitanum* quàm *Babylonicum* horrendis intolerandiſque in Deum, maximèque in Chriſtum adorandum ſcatere blaſphemiis: ut v. g. quòd Chriſtus Dominus fuerit de adultera & polluta natus; quòd Magus & Idololatra, legiſque ſubverſor extiterit, tandemque ob ſua ſcelera meritò ſuſpenſus fuerit; & alia hujuſmodi, quæ cogitare horret animus, & ſcribere fugit calamus. Unde meritò à variis Summis Pontificibus, *Gregorio* videlicet *IX. Innocentio IV. Julio III. Paulo IV.* & *Clemente VIII.* igne comburi juſſum eſt illud utrumque, ſive Jeroſolymitanum, ſive Babylonicum opus.

Talmud eſt volumen complectẽs Miſchnam & Gemaram, ſeu legem oralem explicatam.

Maſſora vox Hebræa eſt, idem Hebraicè ſonans ac Latinè *Traditio*, ſic dicta à radice *Maſar*, id eſt, *Tradidit*. Invaluit tamen uſus, ut *Maſſora* ſumatur hic à Doctoribus, pro *critica Hebræorum doctrina, in ſacræ Scripturæ litteras, voces, verſus, accentus, & puncta vocalia*; hoc eſt, pro Hebræorum doctrina in ſingulis ſacræ Scripturæ litteris, vocibus, punctis, accentibus, verſibuſque notandis occupata, ut ſic genuina permaneat Scripturæ lectio, & ab omni corruptione ſalva perſiſtat in æternum Scriptura. Unde eſt quòd *Maßora* ſepimentum legis vocetur à Magiſtris vulgò Maſſorethis, ſeu Maſſoræ profeſſoribus Hebræis. Sic hac mediante *Maßora*, obſervarunt in Scriptura ſacra Judæi

Maſſora eſt critica Hebræorum doctrina in ſingulis Scripturæ ſacræ litteris, vocibus, punctis, accentibus, verſibuſque notandis occupata.

1. Circa litteras, illarum *ſitum*, *numerum*, & *quantitatem*, hoc eſt, quænam ex iis in textu aliis majores, quæ minores, quæ ſuſpenſæ, vel inverſæ, aut inſolito more punctatæ, quo in loco poſitæ, an in dictionis medio, vel in fine, quæve ſit cujuslibet libri media, & quoties denique in tota Scriptura reperiantur ſingulæ alphabeti litteræ, & alia hujuſmodi ſimilia.

2. Circa voces obſervarunt plurima; ſed inter alia, 1. illarum genuinam ſcriptionem & lectionem; & ubi diverſitas occurrit aliqua, eam ſub nominibus *Keri* & *Ketib* explicarunt: vox ſiquidem *Keri* ſignificat, *lectum*, & vox *Ketib*, *ſcriptum*. Unde cùm reperitur in textu Hebraico vox aliqua interpolata, & aliter legenda quàm ſcribatur, notarunt illam per *Ketib*; & alteram illius loco legendam, & in margine poſitam notarunt per *Keri*; & brevitatis cauſa, ut notat Vvaltonus, pro *Keri* ſcribitur prima ejus dumtaxat littera, ſic in margine notata *P*, & pro *Ketib* ponitur circellus, ſupra vocem

textus aliter legendam; quo circello monetur lector substituendam esse vocem in margine sub littera *P* positam. 2. Notarunt voces nonnullas plenè vel defectivè scriptas. Plenæ dicuntur, cùm litteræ *Vau* & *Jod* quiescentes exprimuntur, vel cùm *He* paragogicum additur personæ secundæ præteriti, & ejus affixo. Defectivæ autem describuntur sine litteris *Vau*, *Jod*, *Aleph* quiescentibus, vel cum *He* finali, licèt cum his soleant communiter scribi. 3. Quem situm, vel locum voces in principio, medio, vel fine versus haberent, pariter observarunt. 4. Earumdem cum vocibus aliis conjunctionem, vel cum servilibus litteris compositionem. 5. Notarunt vocum significationem, ubi ambiguitas id exigit. 6. Denique notarunt, quoties certæ quædam voces reperiuntur in Bibliis; imò & voces uno, vel pluribus punctis supernè notatas observarunt.

3. Circa Scripturæ versus duplex fuit *Maßoretharum* cura: 1. enim universam veteris Testamenti Scripturam, in certos versus sive versiculos distinxerunt. 2. Singulos cujuslibet libri versus numerarunt, & medium cujuslibet libri versum notarunt.

4. denique. Sicut litteras consonantes, voces, versusque, ita & vocales seu vocalia puncta, accentuumque notas observarunt.

Massorethæ seu Massoræ inventores fuere, non Moyses, nec Esdras, sed quingentis ferè annis post Christum natum Tyberienses Judæorum Rabbini.

Quinam autem fuerint istius criticæ, circa Scripturam, Hebræorum doctrinæ, sive *Massoræ* inventores, professoresque primi, non conveniunt etiam Judæi; volunt enim ex illis antiqui nonnulli, *Maßoræ* auctorem primum fuisse *Moysen*, alii *Esdram*. Sed probabiliùs opinantes alii, illam à *Tyberiensibus Massorethis* inventam esse credunt circa annum Christi 500. hoc est, à Judæis cum Babyloniis in urbe Tyberiade in Palæstina degentibus; unde *Tyberienses* dicti; & *Massorethæ*, quia *Massoræ* seu Traditionis ab *Esdra*, *Gamaliele*, & aliis derivatæ Magistri, circa quinti sæculi medium, hoc est, ut volunt aliqui, circa annum Christi 476. Hujusque opinionis

Ratio est 1. Quia si Moysen, aut Esdram auctorem haberet *Massora*, paris esset auctoritatis cum textu sacro, utpote quia à viris Spiritu sancto afflatis esset; sicque nec mutilari, nec variis erroribus contaminari permisissent Judæi, nec illi suas adjungere notas ausi fuissent posteriores *Massorethæ*, nec illam suis observationibus ampliassent, ut reipsa eos eam ampliasse constat.

2. Quia si tam antiquos *Massora* haberet auctores, illam sanè *Origenes* & *S. Hieronymus* viri Hebraicæ periti linguæ aliquando laudassent, occasione data. Atqui de illa, ejusque notis ubique profundè silent; ergo, &c.

3. Quia *Maßoræ* pars maxima, circa puncta vocalia, vocesque punctis notatas occupatur. Atqui puncta vocalia longè post *Moysen* & *Esdram* inventa & visa esse constat; 1. ex ipso Judæorum Talmude, in cujus neutra parte, sive in *Mischna*, sive in *Gemara*, nulla fit punctorum mentio, nullumque apparet *Massoræ* vestigium. 2. Ex ipsis antiquis Judæorum *siclis*, & monetis, in quibus videntur adhuc, sine punctis, characteres Hebræi. 3. Quia in charactere Samaritano, qui ante Esdram non differebat ab Hebræo, nulla reperiuntur puncta. 4. Denique ex eo, quòd nec Judæis liceat hodie, suis in Synagogis, sacros legere libros hujusmodi punctis notatos. Ergo, &c.

Quantùm ad hujusmodi *Maßoræ* utilitatem & usum, variant pariter Auctores; illam enim ad fovendam Scripturæ puritatem valdè utilem, legisque sepimentum vocant aliqui; occupationem diligentem in re inutili credunt

dunt alii; eam qualis habetur hodie, in multis confusam, corruptam, & incertam affirmant alii.

Kabala quæ est legis oralis pars altera magis Theologica, sic dicta à voce Hebræa, quæ idem Hebraicè sonat ac Latinè *Receptio*, orta à radice *Kibel* significante *Recepit*; sicut *Massora*, vel ut pronuntiant alii *Masora*, vox Hebræa est idem Hebraicè significans ac Latinè *Traditio*, orta à radice *Masar* significante *Tradidit*; hæc inquam legis oralis pars altera, & Kabala vulgò dicta, nihil est aliud, inquit Capnio lib. 3. de arte Kabalistica, quàm *symbolica Theologia, in qua non modò litteræ, ac nomina sunt signa rerum, sed res etiam rerum.*

Kabala est mystica & arcana Scripturæ sacræ expositio, seu Symbolica Theologia, in qua nedum litteræ ac voces, sed etiam res sunt signa rerum.

Nihil aliud, juxta *Picum Mirandulanum*, quàm *sacrorum librorum, juxta anagogicum sensum, expositio.*

Nihil denique aliud, juxta antiquos, ante Christum natum, Judæos, quàm *mystica & arcana Scripturæ sacræ expositio, non scripta, sed ore tradita, non omnibus, sed sapientioribus.*

Tres *Kabalæ* species vulgò notare solent Doctores Catholici; quarum una laudabilis est, & licita; altera ex se indifferens; tertia fugienda, & prohibita, quia mala.

Prima, quæ antiquorum, ante Christum natum, Judæorum est, nihil est aliud quàm ipsa mystica & arcana sacræ Scripturæ expositio, non scripta, sed tradita, non omnibus, sed sapientioribus; discrepans in hoc à mystica sacrarum Scripturarum expositione, nobis à sanctis Ecclesiæ Patribus vel Interpretibus tradita, quòd ista sanctorum Patrum planè & apertè, illa verò symbolicis, obscurisque procedat verbis.

Secunda, quæ Judæorum recentiorum est, ea est, quæ tota in litteris, vocibus, punctis, accentibus, variisque litterarum permutationibus, combinationibus, necnon figura, ac valore notandis occupatur, ut inde mysticos Scripturæ sensus eliciat.

Tertia denique *Kabalæ* species, eaque diabolica, nec differens ab arte magica, est ea, quæ tota in hoc potissimùm versatur, ut ex litteris, aut verbis Scripturæ detortis, & promiscuè compositis, morbos quoscumque pellere, dæmones fugare, & alia id genus patrare miracula tentet, quasi virtute divini verbi.

Prima laudabilis est & licita, nec usquam ab Ecclesia proscripta; illaque usos fuisse nonnullos, tam Græcos quàm Latinos Expositores sacros, advertit Sixtus Senensis, modo tamen longè diverso: sacri enim Interpretes Catholici mysticos Scripturæ sensus, quantumvis sublimes & captu difficiles, ea qua possunt verborum perspicuitate tradunt; Kabalistæ verò sua mysteria, nonnisi per obscura verba, symbola & ænigmata, pandunt.

Secunda, quæ indifferens est, & cujus hodiernus apud Judæos familiaris usus, quamvis satis inutilis, tres sunt partes sive species, nimirum *Gametria*, *Notarica*, & *Themura*, sive permutatio.

Gametria est *Kabalæ* species, qua explicantur voces sola transpositione litterarum. Sic ea utentes Kabalistæ, dum exponunt illud Exodi cap. 23. vers. 23. *Præcedet te Melachi*, id est, *Angelus meus*, inveniunt, aut invenire putant, Angelum illum esse *Michaelem*, quia in litteris hujus vocis *Melachi* invenitur *Michael*.

Notarica, sic à notando dicta, est *Kabalæ* species altera, qua ita explicantur voces, ut singulæ litteræ cujusque vocis totidem alia significent verba easdem initiales habentia litteras. Unde Kabalistæ dum exponunt illud

Psal-

Psalmi 3. vers. 2. *Multi insurgunt adversum me*, ita explicant, ut per illos *multos* intelligi velint Romanos, Babylonios, Ionienses & Medos, quia vox Hebraica significans *multi*, componitur ex quatuor istis litteris R. B. I. M.

Themura, sive permutatio, ea est, quâ una eademque dictio retento eodem litterarum numero, in aliam transmutatur per diversam litterarum compositionem, facta seu supposita certa litterarum combinatione, in qua à duabus simul combinatis alterutra æquivaleat alteri, & pro illa sumi possit. Ut v. g. si sic combinentur istæ A B, C D, E F, &c. B potest sumi pro A, D pro C, & sic de aliis: Quo sic supposito, si v. g. scriptum esset *DBEF*, legi posset *Cade*. Sed de inutilibus his, qui plura volet, videat Joannem Revelinum, sive Capnionem, virum natione Germanum, & eruditum, in opere de *Kabala*, & *verbo mirifico*, sive *de arte Kabalistica*, qui obiit anno 1521.

Tertia denique *Kabalæ* species, quam practicam *Elias* & *Revelinus* vocant, damnabilis est, & meritò dudum ab Ecclesia, ut magica damnata, hancque dæmonolatriæ, omnisque idololatriæ fontem esse putant nonnulli.

Objicies contra id, quod de Massoræ punctis assertum est. Nulla est lingua quæ suas non habeat vocales; vocales enim sunt quasi dictionum animæ, sine quibus nec formari possunt, nec proferri. Atqui non aliæ assignari possunt Hebraicæ linguæ vocales, quàm puncta vocalia. Ergo puncta illa semper habuit Hebraica lingua; ergo fuere simul cum aliis consonantibus puncta illa, & non consequenter à *Massorethis* Tyberiensibus orta, sed longè antè, à primo litterarum inventore & scriptore sacro Moyse; ergo & ipsa *Massora*, in hujusmodi potissimùm punctis vocalibus considerandis occupata.

Suas licèt semper vocales habuerit Hebraica lingua, non tamen semper vocalia puncta.

Resp. conc. maj. neg. min. Quia licèt suas semper vocales habuerit Hebraica lingua, sicut & aliæ, non tamen sequitur eam semper pro vocalibus habuisse puncta; nam *Aleph*, *He*, *Jod*, *Vau*, quæ hodie pro consonis tantùm habentur, imò & quæ litteræ quiescentes vocantur hodie, quia proprio puncto vocali destitutæ nullum sonum auribus exhibent, sed in præcedenti puncto quiescunt, olim tamen Hebræis pro vocalibus erant: *Aleph* videlicet pro A, *He* pro E, *Jod* pro I, *Vau* pro O & U. Pro U scilicet pronuntiatur, quando punctulum in ejus infigitur medio. Pro O, seu ut O, pronuntiatur, quandò punctulum ei superscribitur, ut tenet *S. Hieronymus*, & docet apertè *Josephus* lib. 6. de bello Judaico, ubi ornatum Templi & Summi Sacerdotis describens ait: *Corona erat aurea, scriptas ferens sacras litteras, quæ sunt quatuor elementa vocalia.* Quo in loco, ut patet, quatuor litteras quibus Tetragrammaton componebatur Dei nomen, aureæ laminæ in ornatu Summi Sacerdotis inscriptum, vocat quatuor elementa vocalia, seu quatuor vocales litteras. Suas ergo vocales habebat Hebræa lingua, ante vocalia puncta; ac proinde non à Moyse, vel ab alio, ante Tyberienses *Massorethas*, inventa fuisse vocalia puncta, dicendum.

Instabis. Christus Dominus Matth. cap. 5. vers. 18. punctorum vocalium mentionem fecisse videtur, dum dixit: *Donec transeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Et iterùm Luc. cap. 16. vers. 17. dicens: *Facilius est cælum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.* Ergo ante Tyberienses *Massorethas* longè post

Chri-

Christum subortos, in usu erant vocalia puncta, ibi, per apices, à Christo significata, cùm in Græco textu, pro apice, legatur κεραία, quæ vox apud Plutarchum, punctum Latinè sonat.

Resp. neg. ant. Falsum enim est Christum ibi *apicis* nomine vocale punctum significare, sed solùm litteræ quantumvis minimæ particulam; ita ut sensus verborum Christi sit, faciliùs esse cœlum & terram præterire, quàm unam non solùm litteram à lege cadere, etiam minimam, qualis est *Jod* apud Hebræos, sed quàm particulam ejus etiam minimam, etiam apicem; κεραία enim vox græca idem sonat ac apex, ut ad illum Matthæi locum observat *Grotius*; & ipsos litterarum *apices*, litterarum ductus vel partes cum *Gellio* vocant alii: Unde vulgaris illa translatio ducta, de *juris apicibus disputare*.

ARTICULUS VI.

An Traditiones per Ecclesiam mutari possint, & abrogari?

CUm Traditiones tantoperè primis Christi fidelibus commendaverit Apostolus, & Traditiones tamen antiquas à fidelibus olim religiosè servatas, abrogatas, & non vigere videamus hodie quamplurimas: hinc est, quòd quæritent nonnulli lamentatores temporis acti, an possint per Ecclesiam Traditiones antiquæ abrogari. Quibus ut fiat satis,

CONCLUSIO.

Dico, *Traditiones divinas & à Christo auctore profectas, nullatenus posse per Ecclesiam mutari, vel abrogari, benè autem purè apostolicas disciplinam spectantes, sicut & ecclesiasticas, & reipsa quamplurimas, pro temporum exigentia, fuisse mutatas*; & sic

Traditiones divinæ non possunt per Ecclesiam mutari & abrogari.

Pr. prima pars de divinis, 1. quia Traditiones divinæ nihil sunt aliud quàm Dei verbum non scriptum, sed traditum, ut visum est suprà. Atqui verbum Dei mutari non potest, sed manet in æternum, potiusque deficere debent cœlum & terra, quàm deficere Dei verbum, juxta illud Christi Matth. c. 24. vers. 35. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Ergo nec Traditiones divinæ à Christo immediatè profectæ, transire, deficere, seu mutari, & per Ecclesiam abrogari possunt.

Pr. 2. Ex eo quòd inferior non habeat jus superioris legem mutandi, vel abrogandi, nisi permittente vel concedente superiore. Sed Traditiones divinæ & à Christo auctore profectæ sunt superioris, ut patet respectu Ecclesiæ, cùm sint à Christo, & nullibi constat à Christo fuisse Ecclesiæ concessam, vel permissam, hujusmodi Traditiones mutandi vel abrogandi potestatem. Ergo Traditiones divinas & à Christo auctore profectas, mutandi vel abrogandi jus non habet Ecclesia, benè autem purè apostolicas: ut sic

Pr. secunda pars, 1. Ex eo quòd Traditiones purè apostolicæ, hoc est, ab Apostolis ut primis Ecclesiæ Rectoribus ortæ, non excedunt, ut patet, Ecclesiæ jus, seu potestatem. Ergo nihil obstat quominùs, pro diversa temporum exigentia, & fidelium majori bono, possint per Ecclesiam mutari, vel abrogari.

Benè autem purè Apostolicæ.

Pr.

Pr. 2. Ex ipsa Ecclesiæ praxi, qua constat Apostolicas Traditiones quamplurimas fuisse reipsa per Ecclesiam abrogatas, nedum non scriptas, sed etiam scriptas.

Nam 1. Scriptum est Act. cap. 15. vers. 28. visum fuisse Spiritui sancto, & Apostolis olim, fidelibus imponere, ut abstinerent à sanguine & suffocato; & tamen per desuetudinem, & non observantiam, abrogata est in Ecclesia hæc, licèt scripta, Apostolica Traditio. 2. Ex Traditione venerat Apostolica, consuetudo de trina in baptismo mersione servanda. Sicut & consuetudo de quotidiana Laicorum communione, peracta consecratione, facienda. Sicut & mos de agapibus, sive communibus conviviis, post Sacramentorum communionem, olim in Ecclesia fieri consuetis. Similiter & praxis de mutuo osculo, post finitas preces, olim dari solito, sive consuetudo, quæ vigebat olim, sese invicem salutandi, finitis precibus, in osculo sancto: & tamen nulla talis hodie viget in Ecclesia consuetudo. 3. Pœnitentiæ publicæ usus, qui per duodecim prima viguit Ecclesiæ sæcula, ex institutione descendebat apostolica, ut colligitur ex illo celebri apostolico facto, quo *Corinthium incestuosum* pœnitentia publica mulctavit Paulus; & tamen mutatus & abrogatus hodie ille pœnitentiæ publicæ ritus & usus. Ergo ex iis, cæteris omissis aliis, satis superque patet, plurimas per Ecclesiam fuisse mutatas, vel abrogatas Traditiones apostolicas. Ergo eas, & similes alias purè apostolicas per Ecclesiam mutari, vel abrogari posse constat. Ergo & à fortiori ecclesiasticas, hoc est, qualescumque alias, ab aliis Ecclesiæ Prælatis, post Apostolos ortas.

Sicut & à fortiori Ecclesiasticæ.

Objicies 1. Traditiones apostolicæ sunt juris divini; ergo non possunt per Ecclesiam abrogari, vel per eam abrogari possunt & divinæ. Resp. dist. ant. Traditiones denominativè tantùm apostolicæ, & reipsa divinæ, hoc est, à Christo auctore immediatè revelatæ, & viva voce traditæ, & mediantibus Apostolis, ut verbi Christi præconibus, ad nos usque transfusæ. Conc. Traditiones purè & propriè apostolicæ, hoc est, ab Apostolis ipsis, ut Ecclesiæ Rectoribus, profectæ & institutæ. Neg. ant. Istæ enim juris divini esse nequeunt, cùm non sint à Deo, sed ab Apostolis, ut hominibus, seu cùm non sint de illis, de quibus loquitur Paulus, 1. ad Cor. cap. 11. vers. 23. dum ait, *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis*; sed potiùs de illis, de quibus est intelligendus, dum ait ibidem cap. 7. vers. 12. *Ego dico, non Dominus*.

Objicies 2. Traditiones ecclesiasticæ sunt juris divini, ergo & purè apostolicæ, ac proinde per Ecclesiam mutari vel abrogari nequeunt. Pr. ant. Qui ecclesiasticas respueret Traditiones, haberetur pro hæretico; ergo signum est eas juris esse divini, easque cum divinis paris auctoritatis esse. Resp. neg. ant. Ad cujus probationem dico, illum, qui ecclesiasticas respueret Traditiones, non ideò, ex hoc præcisè, censendum esse hæreticum formaliter, sed illativè tantùm & præsumptivè, quia ex hoc, inferri posset & præsumi, illum illud fidei catholicæ dogma negare, quo credimus videlicet Ecclesiam leges condendi potestatem habere: sed ut clariùs intelligi possint antiqua varia Traditionis Ecclesiasticæ capita; sit

A R-

ARTICULUS VII.

Explicantur scitu necessaria varia, ad intelligenda antiqua plura Traditionis Ecclesiasticæ capita.

QUia in volvendis & investigandis Traditionibus antiquis, sive in SS. Patrum libris, sive in Conciliorum decretis, vel in summorum Pontificum decretalibus epistolis, passim occurrit mentio, modò de Martyribus, de Confessoribus, de Extorribus; modò de Lapsis, de Libellaticis, de Thurificatis, de Sacrificatis, de Traditoribus; modò de variis pœnitentium stationibus sive gradibus, videlicet *Flentium*, *Audientium*, *Prostratorum*, & *Consistentium*; modò de pace, de reconciliatione, vel de communione pœnitentibus illis indulta vel denegata; modò de communione *ecclesiastica*, *laica*, *peregrina*, per *Eulogias*, vel per *Agapas*; modò de viatico eisdem in fine vitæ concesso vel negato, modò de peccatorum *Exomologesi* facta vel facienda; modò denique de litteris *confessoriis*, *formatis*, *communicatoriis* & *commendatitiis*, & similibus aliis; quibus auditis & non intellectis, moretur statim & hæreat, necesse est, vel errandi periculum subeat Lector imperitus & incautus, cui ut præcaveatur incommodo fortè futuro, hæc omnia hìc simul & semel breviter ut explicentur

CONCLUSIO.

Dico, *primis olim nascentis Ecclesiæ sæculis, dum in Christianos tyrannica builiret Gentilium persecutio, variis Christi fidelibus, in odium Gentilitatis, & Christianæ Religionis zelo, indita fuisse nomina varia, pro vario eorum vel perseverantiæ in fide, vel lapsus à fide, vel pœnitentiæ gradu, sive modo, post lapsum à fide.*

Christianis olim persecutione vexatis varia fuere indita nomina.

Conclusio hæc quia historica, ex sola tradita constat Ecclesiæ historia, & clariùs sola inductione, vel explicatione patebit: & dicendo, quòd primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus, Christiani bulliente persecutione pro fide vexati, vel erant perseverantes & fortes in fide, vel deficientes & lapsi à fide, vel pœnitentes post lapsum à fide. Si perseverantes & fortes in fide, hoc est, si constanter & fortiter in fidei Christi confessione persistentes, & supplicia quæque, verbera, exilia, carceres, mortemque subire potiùs quàm Christum negare parati, ex iis pro diverso persecutionis genere, alii dicebantur *Martyres*, alii *Confessores*, & *Extorres* alii. Si verò lapsi essent à fide, fidem scilicet negando, vel publicè profiteri vitando, vel idolis quoquo modo litando, isti pro diverso lapsus genere, alii *Sacrificati*, alii *Thurificati*, alii *Libellatici*, alii *Traditores*, vel genericè *Idololatræ* vocabantur alii. Si denique hujusmodi lapsi, post suum à fide lapsum, cordis dolore tacti redirent, fores Ecclesiæ pulsarent, inter pœnitentes recipi rogarent, & ad pœnitentiam admissi publicæ pœnitentiæ jugum subirent stadiumque decurrerent, ex illis pro diverso publicæ pœnitentiæ gradu, sive classe, alii dicebantur *flentes*, alii *audientes*, alii *prostrati*, alii *consistentes*; & sic patet quomodo, primis illis nascentis Ecclesiæ sæculis & calamitosis persecutionis tyrannicæ temporibus, varia variis Christi fidelibus fuerint indita nomina; quorum omnium ut clarior innotescat idea, de singulis singulatim, & de nonnullis ad hæc spectantibus aliis, hìc breviter agendum.

Nam vel erant fortes in fide, vel lapsi à fide, vel pœnitentes post lapsum à fide.

De

De fortibus in fide.

Si fortes in fide. Fortes in fide meritò dicuntur illi Christi fideles antiqui, qui, dum tanquam leo rugiens circuiret, quærens quem devoraret à Dæmone mota tyrannica Gentilium persecutio, ei juxta S. Petri monitum fortiter restitere, & fortes in fide Christi constanter permansere; quos nulla Gentilium persecutio, nulla tribulatio, nec angustia, neque mors potuit à Christi fide & charitate separare, & de quibus dici potest, quod de antiquis illis Heroibus in fide, veteris Testamenti Patribus, scripsit olim Paulus ad Hebr. c. 11. v. 35. & seq. dicens, quòd in charitate radicati & fundati, & fortes in bello facti, *alii distenti sunt, alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Hi, inquam, omnes Christi fideles, hi omnes testimonio fidei probati, fortes in fide merentur verè dici, quos flectere nulla tyrannorum sævitia potuit, qui tormenta quæque, verbera, vincula, exilia, carceres, mortemque subire potiùs, quam fidem negare maluere, & è quibus ideò nonnulli *Martyres*, alii *Confessores*, & alii *Extorres*, sive exules fuere vocati.

Alii Martyres. *Martyres* dicuntur hodie hi soli, qui mortem sunt pro Christo passi; at olim præsertim primis Ecclesiæ temporibus & sancti *Cypriani* ætate, Martyres dicebantur, non solùm hi, qui fuerant pro Christo morte plexi, sed etiam hi, qui fuerant pro Christo & Religione tormenta passi aliqua, quales erant *tot Confeßores quæstionati & torti, & insignium vulnerum & cicatricum memoria gloriosi*, de quibus loquitur sanctus Cyprianus in epist. ad Florentium; qualis fuit & sanctus Joannes Apost. qui Romæ ante portam Latinam à *Domitiano* Imp. in ferventis olei dolium pro Christo missus, *Martyr* verè dicitur, inquit S. Hieron. in cap. 2. Matth. licèt illæsus evaserit, nec fuerit mortem passus, saltem tunc & ex vi hujus tormenti mortem licèt naturaliter illaturi, quamvis longè pòst, eum Ephesi naturali morte defunctum passim asserant PP. ut *Irenæus*, *Tertull. Eusebius*, *SS. Hieron. Ambrosius*, *Chrysost. August. Beda*, & alii, inter quos Baronius eum obiisse tenet, anno à Christo nato 101. Clementis Pontificatus 9. & ætatis suæ 93. & confirmat Ecclesiæ traditio, quæ illius tanquam defuncti, & cum Christo in cœlo regnantis festum celebrat, quod nulli ante mortem tribui solet.

Alii Confessores. *Confessores* dicuntur à nobis hodie etiam hi, qui sola vitæ sanctitate Christum sunt confessi, sed primis Ecclesiæ temporibus, dum in Christianos vigebat Gentilium tyrannorum persecutio, Confessores dicebantur hi soli, qui ante Magistratum constituti & de fide quæstionati, Christi fidem constanter & intrepidè fuerant confessi & professi, inquit *Albaspinæus observ. 21. lib. 1.* quales dici possunt hi qui nondum erant torti à Tyrannis, sed ut torquerentur inclusi, hoc est, qui jam erant confessi nondum ob confessionem tormenta passi, sed ut paterentur in carcere retenti, de quibus loquitur *S. Cyprianus*, dum in epist. 15. dicit se scripsisse *sive jam tortis fratribus, sive ut torquerentur inclusis, &c.* Fateor videri Cyprianum interdum Confessores cum Martyribus confundere, quamvis eos hoc in loco satis distinguat, & apertiùs adhuc in epist. ad Antonianum quæ est 52. dum ibi de Moyse presbytero ait vers. 18. *Et presbytero Moyse tunc adhuc Confessore*

fessore, nunc jam Martyre subscribente, ut lapsis infirmis & in exitu constitutis pax daretur; & iterùm in lib. de lapsis num. 14. dicens: *Has Martyrum cœlestes coronas, has Confeßorum glorias spiritales,*

Extorres sive exules dicebantur olim hi, qui erant extra patriam pro fide & Christi religione pulsi, & horum duplex genus erat; alii enim erant à Tyrannis Christianæ Religionis odio in exilium missi; alii verò sponte secedebant, ut se periculis subducerent, & tormentis in quibus despondebant se invictum & propositi tenacem retenturos animum, & quos interdum laudat Cyprianus, & interdum objurgat; laudat siquidem lib. de lapsis, & eos inter stantes numerat, dum ait: *Nemo incorruptam stantium firmitatem maligna obtrectatione debilitet: cùm dies negantibus præstitus excessit, quisquis professus extra diem non est, Christianum se esse confessus est, primus est victoriæ titulus Gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri, secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari, illa publica, hæc privata confessio est, &c.* Eosdem econtrà objurgat extorres ob fidem factos, & in patriam redeuntes injussos, dum epist. ad Clerum Rom. quæ est 7. de illis, ait: *Alius in eam patriam, unde extorris factus est, regreditur, ut deprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat, &c.* cujus & objurgationis meminit, dum epist. 15. ad eumdem Clerum Rom. ait: *Nec extorribus quando oportuit objurgatio defuit.*

Alii Extorres fuere vocati.

De lapsis à fide.

Lapsi metaphoricè dicebantur olim hi, quicumque tyrannico in Christianos sæviente persecutionis bello, fuerant à fide quodammodo cecidisse, seu fidem negasse deprehensi; sicut *stantes* econtrà eadem metaphora vocabantur hi, qui fuerant in fide constanter perseverasse reperti, ut constat ex sancti Cypriani epist. ad lapsos num. 27. Et quia sicut multifariàm multisque modis poterat quisque in fide stare, & idolorum cultum vitare, ita & ab ea ad idololatriam deficere & cadere; unde exorta sunt varia lapsorum genera, & varia consequenter lapsis imposita nomina; alii enim dicti fuere *Sacrificati*, alii *Thurificati*, alii *Libellatici*, alii *Traditores*, alii quandoque *Blasphemi*, & alii qui aliqualem alium publicum, qualiscumque esset, religionis cultum idolis exhibuerant, *Idololatræ* communi nomine fuere vocati.

Si lapsi à fide.

Sacrificati dicebantur hi, qui aliquo quocumque modo, vel idolis sacrificia immolaverant, vel de immolatis gustaverant, seu ut loquitur Clemens Romanus apud Cyprianum epist. 31. *Qui illicitis sacrificiis manus suas, atque ora polluerant, pollutis antè mentibus propriis; unde etiam sunt ipsæ manus atque ora polluta.*

Alii Sacrificati.

Thurificati vocabantur hi, qui fuerant thus idolis obtulisse deprehensi, qualis erat *Trophimus* & alii, cum quibus communicare perperam & calumniosè à Novatiano schismatico accusabatur Cornelius olim, qua de re interrogavit Cyprianum Antonius Numidiæ Episcoporum unus, ut constat ex Cypriani ad Antonium epist. ubi sic ait: *Ut rescriberem tibi quam hæresim Novatianus introduxisset, vel Cornelius, qua ratione Trophimo & Thurificatis communicet.*

Alii Thurificati.

Libellatici vulgò dici solebant illi, qui vel privatim fidem negabant, vel fidem retinentes, publicè profiteri non audebant, & ne traherentur ad aras, cum cæteris, publicè fidem professuri, vel idolis immolaturi, id pecunia redi-

Alii Libellatici.

redimebant, & à Gentilium Magistratibus, pecunia vel æquivalenti præmio aliquo *libellos* securitatis obtinebant, quibus constaret eos abundè Principum edictis de idolorum cultu satisfecisse, nec de fide ulteriùs inquirendos esse; unde duo fuere Libellaticorum genera, alii qui fidem negabant, alii verò qui non negabant, sed palàm profiteri non audebant, & ne ad id cogerentur, id pecunia redimebant, securitatis accipiendo libellos, ut supplicia evaderent.

Opinatur *Albaspinæus* Aurelianensis Episc. observationum lib. 1. Libellaticos alios fuisse qui libellos Tyrannis offerebant, alios qui recipiebant, & utrique ut supplicia fugerent; alii enim erant, inquit, in carcere, qui, ut quoquo modo fugerent pœnas, libellum ultrò judicibus offerebant, quo se Christianos esse negabant, quales hi videntur fuisse, de quibus loquitur Clerus Rom. in 2. ad Cyprianum responso dicens, *Qui se ipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderunt*; alii verò erant, qui prævidentes judicis animum pecunia flecti posse, ac corrumpi facilè, se Christianos esse fatebantur, sibique ideò idolis immolare vetitum esse; & ne ad id cogerentur, vel ad fidem palam profitendam, oblata pecunia libellos securitatis obtinebant, quibus muniti de fide non forent inquirendi; qualis videtur esse is, cujus processum describit Cyprianus in epist. ad *Antonianum*, & quem comparans cum mœcho, dicit, *Multò graviorem & pejorem esse mœchi, quàm Libellatici causam, cùm hic necessitate, ille voluntate peccaverit, hic existimans sibi satis esse, quòd non sacrificaverit, errore deceptus sit*; quod indicat, istum non fidem negasse, sed errore deceptum esse: si enim fidem negasset, pejor non esset mœchi causa.

Alii Traditores dicti. *Traditores*, post impia Diocletiani Imperatoris edicta, dicti fuere à Christianis hi, qui persecutionis metu Infidelibus perfidè tradebant, alii sacra Ecclesiæ vasa, alii sacros comburendos libros, alii fidelium catalogum, in quo fidelibus, & fidei suæ infideles ipsi, & cum lapsis à fide, puniendi; quales fuisse dicuntur olim Cirtensis in Numidia conciliabuli præsules sub *Secundo* Tigitano Episcopo præside congregati, pro electione Cirtensis Ecclesiæ vacantis Episcopi, & de quibus dictum quòd, *Traditores traditorem elegerunt* Episcopum, Paulum scilicet quemdam, qui posteà sacros & ipse tradidit libros, aliaque Ecclesiæ supellectilia sacra,

De pœnitentibus post lapsum à fide.

Si pœnitentes post lapsum à fide. Hi omnes præfati sive *Sacrificati*, sive *Thurificati*, sive *Libellatici*, sive *Traditores*, vel alio quocumque modo à fide lapsi, cordis dolore tacti, resipiscere & ad Ecclesiæ pacem ac communionem redire volentes, admittebantur quidem, sed non nisi publicæ pœnitentiæ camino probati atque purgati; & in hujus publicæ ac canonicæ pœnitentiæ decursu, juxta *S. Greg. Thaumat. epist. canonica*, quatuor erant stationes sive quatuor percurrendi gradus, quorum primus dicebatur *fletus*, secundus *auditio*, tertius *prostratio*, quartus *consistentia*; unde pœnitentes qui erant in prima statione, sive in primo gradu, dicebantur *Flentes*, qui in secundo *Audientes*, qui in tertio *Prostrati*, & qui denique in quarto *Consistentes*: poterant tamen pœnitentes ab inferiori gradu ad superiorem ascendere, impertransito medio, quando hoc ex illorum pœnitentiæ fervore, ita visum erat Episcopo, ut constat ex Ancyrano Conc. can. 6. & Nicæni Concilii can. 12.

Alii Flentes. *Flentes*, hoc est, lapsi ad *fletum* primum pœnitentiæ publicæ gradum admissi,

missi, dicebantur hi, quibus nondum erat licitus in Ecclesiam ingressus, sed solùm permissus præ foribus Ecclesiæ suorum peccatorum fletus, seu hi, quibus nondum licebat intra Ecclesiam cum fidelibus ingredi, sed solùm extra Ecclesiæ fores stare, ibique ad ingredientium genua procumbere, illorum pro se preces emendicare, & ob sua commissa peccata, fletibus ac lacrymis limen Ecclesiæ rigare, qualis esse debuit ex præscripto *S. Basilii* homicida voluntarius ille, cujus pœnitentiam præscribit in epist. ad Amphilochium càn. 56. dicens, *Debet quatuor annis deflere extra fores oratorii, & fideles ingredientes orare, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.*

Audientes, hoc est, ad *auditionem* secundum publicæ pœnitentiæ gradum admissi, vocabantur hi, quibus erat intra fores Ecclesiæ venire permissum, ibique Psalmorum cantum, Scripturæ sacræ lectionem, & Episcopi conciones cum cæteris audire licitum, quales erant hi qui Licinii persecutione sæviente lapsi erant, & de quibus Concilium Nicænum primum decernens can. 11. sic ait: *Tribus annis inter audientes habeantur*; qualis fuit & alter ille homicidii voluntarii reus, de quo, novem licèt peregisset annos in fletu, S. Gregorius Nyss. in epist. Canonica ad Metilinensem Episcopum dixit olim, *Tot annos in auditione permaneat sola Doctorum & Scripturarum auditione dignus habitus.* Alii Audientes.

Prostrati, hoc est, lapsi pœnitentes ad *prostrationem* tertium publicæ pœnitentiæ gradum admissi, erant hi, quibus nedum intra fores Ecclesiæ, sed ulteriùs ipsam intra Ecclesiam ingredi licitum erat, ibique pœnitendo ad Episcopi genua procumbere, benedictionem & manuum impositionem exorare, orationibus interesse, non tamen Missæ sacrificium cum fidelibus audire, quales erant lapsi illi gravissimi criminis haud dubiè rei, de quibus Ancyrani Concilii Patres dixere, can. 16. *Postquam quindecim annis substrati ac supplices fuerint, communionem ad preces assequantur, deinde cùm in communione quinque annis perseveraverint, oblationem attingant.* Alii Prostrati.

Consistentes, hoc est, lapsi pœnitentes ad *consistentiam* quartum & ultimum publicæ pœnitentiæ gradum admissi, dicti fuere hi, quibus concessum erat cum fidelibus in Ecclesia remanere, cum illis in orationibus consistere, & communicare, Missæque sacrificio interesse, sed sine jure oblationis & Eucharisticæ communionis, seu sine jure offerendi ad altare munera, sine jure Eucharistiæ Sacramenti sumendi; quales erant illi, de quibus ejusdem Ancyrani Concilii Patres, can. 6. dixere: *Cùm duobus annis supplices substrati fuerint, tertio anno communicent, sed sine oblatione*, hoc est, consistentes remaneant, ut in oratione communicent cum populo, ut expressè Nicænum Concilium præscribit dicens, can. 11. *Duobus annis sine oblatione, populo in oratione communicent*: Unde & isti nedum *Consistentes*, sed & *Communicantes* dicti, quia cum fidelibus non solùm in Ecclesia remanebant & consistebant, sed & in omnibus cum illis communicabant, excepto jure ad oblationes & Eucharistiam, quod jus nondum recuperaverant, quia nondum ad *Exomologesim* ultimum publicæ & solemnis pœnitentiæ ritum venerant, nec consequenter acceperant, per reconciliatoriam Episcopi manum, jus ad ultimam, perfectam & absolutam communionem in ipsa Exomologesi, & non antè dari consuetum, ut ex dicendis clariùs patebit, quid sit *Exomologesis*, explicando. Alii Consistentes nominati.

De Exomologesi, ultimo solemnis pœnitentiæ ritu.

Exomologesis erat publici peccati publica confessio, non sacramentalis, sed cæremonialis, & ultimus publicæ pœnitentiæ ritus.

Exomologesis, græca vox est, idem quod confessio latinè sonans, quæ apud Ecclesiæ Patres & Concilia, non semper sumitur pro confessione sacramentali, privata & auriculari significanda, sed quæ etiam interdum usurpatur pro illo actu externo, quo quis dolorem suum de peccato suo publicè commisso publicè testatur, seu pro detestatione peccati publici publicè facta, qualis fuit illa quam Tertullianus Regem Babylonis egisse dicit, & in exemplum tradit lib. de pœnit. & patient. dicens: *Diu enim pœnitentiam Deo immolarat, septemnii squallore exomologesim operatus*. Hæc ut patet *exomologesis*, sacramentalis confessio dici nequit, cùm non dum esset tunc sacramentalis instituta confessio; qualis pariter erat illa de qua loquebatur *S. Cyprianus* in epist. 13. ad Presbyteros & Diaconos Carthaginensis Ecclesiæ data, permittens illam, urgente exitu, etiam apud Diaconum à lapsis pœnitentibus fieri, dicens: *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem; vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint*. Hæc enim Exomologesis apud diaconum fieri permissa, confessio sacramentalis dici nequit, cùm sacramentalis confessio soli sacerdoti & non diacono fieri possit, cùm solis sacerdotibus & non diaconis sit data solvendi atque ligandi potestas; sed erat externa illa non sacramentalis, sed cæremonialis peccati publici publica detestatio, in fine pœnitentiæ publicæ & canonicæ fieri solita; seu erat ultimus publicæ & solemnis pœnitentiæ ritus, quo lapsi suum dolorem de peccato commisso publicè testabantur, quæ detestatio peccati, cùm esset publicè facta, erat publica quædam peccati confessio, unde *exomologesis*, id est confessio dicta, sed non sacramentalis, & quæ proinde fieri poterat etiam apud diaconum, & qua, à lapsis in fine pœnitentiæ, facta, & manu super eos imposita, veniebant ad Dominum cum pace, ut loquitur S. Cyprianus, id est, cum perfecta, canonica & integra reconciliatione, seu cum communione perfecta, majori & absoluta, ac proinde cum jure ad oblationem & Eucharistiam, ut manifestè constat ex Concilio Carthaginensi quarto de ea reconciliatione loquente & expresè dicente, can. 76. *Reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*.

Reconciliatio pœnitentis duplex, una cum Deo, & altera cum Ecclesia.

Dices. Hac in Exomologesi per manus impositionem reconciliatur pœnitens & absolvitur; ergo vera confessio sacramentalis est. Resp. dist. ant. Reconciliatur pœnitens cum Ecclesia, & absolvitur à pœnis satisfactoriis vel ab excommunicatione; conc. Reconciliatur cum Deo, & absolvitur à peccatis; neg. ant. & conseq. Quia jam reconciliatus cum Deo & absolutus à peccatis supponitur pœnitens, per privatam confessionem sacramentalem, quæ fieri solebat ante satisfactionem, & per impositionem manus, quæ fiebat super pœnitentem publicum, dum à tertio pœnitentiæ gradu transibat ad quartum; nam in toto ipso publicæ & solemnis pœnitentiæ decursu, multiplex manus impositio diversis temporibus super pœnitentes fieri solebat.

De

De impositione manus super pœnitentes.

Varias inter manuum impositiones, quæ super publicè pœnitentes fieri solebant toto illo publicæ ac solemnis pœnitentiæ decursu, erant præsertim quatuor istæ, quarum *Manus impositio super pœnitentē quadruplex.*

Prima erat ea, quæ fiebat super eos in ipsa pœnitentiæ acceptatione, seu dum eis publicæ pœnitentiæ facultas dabatur, & de qua intelligendus est Concilii Toletani undecimi canon 12. dicens; *Pœnitentia per manus impositionem accepta.*

Secunda erat ea, quæ singulis solemnitatibus fieri solebat ab Episcopo certas precum formulas pronuntiante, & manus extendente super omnes simul pœnitentes.

Tertia erat illa; quam à tertio gradu ad quartum ascendentes recipiebant, qua dabatur eis simplex reconciliatio, seu absolutio à peccatis, & minor communio qua reddebatur eis jus communicandi cum cæteris fidelibus in omnibus, excepto jure ad oblationes & Eucharistiam; & hæc reconciliatio simplex, seu prima hæc à peccatis absolutio, hæc minor communio, est ea, quam Concilii Nicæni Patres vocant *viaticum maximè necessarium*, dum can. 13. sic definiunt: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egrediatur è corpore, ultimo & maximè necessario viatico minimè privetur*, & de qua absolutione, & minori reconciliatione, ac communione loquens pariter Concilium Arausicanum primum ait, can. 3. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*; hoc est, sine majori & absoluta communione, quæ est Eucharistica, placuit dari minorem seu absolutionem à peccatis, quam Nicæni Patres vocarunt *viaticum maximè necessarium*. *Quid sit Viaticum maximè necessarium ex Conc. Nic. Can. 13.*

Quarta manus impositio & ultima erat ea; qua dabatur eis ultima & absoluta reconciliatio, & major ac absoluta communio, seu qua reddebatur eis jus ad oblationes, etiam & ad Eucharistiam, & hæc est illa reconciliatio illaque manus impositio, de qua loquitur Conc. Carthag. quartum dum can. 76. sic decernit; *Reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*: & ea de qua intelligendus S. Cyprianus dum epist. 13. ad Presbyteros & Diaconus Carth. Eccl. de lapsis in mortis periculo constitutis scribit, dicens: *Non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem; vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace*, id est, cum reconciliatione perfecta & absoluta, seu communione majori & absolutissima, videlicet Eucharistica, & quæ est ea, quam Confessores etiam Martyres designati lapsis dari postulabant suis literis seu libellis, ut indicat ibid. Cyprianus pergens & dicens, *ut veniant ad Dominum cum pace, quam Martyres literis ad nos factis desideraverunt.*

De pacificis Martyrum Libellis.

Libelli pacifici, seu Confessoriæ literæ nihil aliud erant, quàm certi quidam pacis & indulgentiæ libelli à Confessoribus nondum passis, seu à Martyribus *Pacifici Martyrum libelli erant*

hi quibus Martyres designati Episcopos rogabant, ut pœnitentibus indulgerent, & residua satisfactionis parte relaxata pacem darent.

tyribus designatis, lapsis publicè pœnitentibus dari consueti, quibus libellis hi Martyres candidati rogabant Episcopos, ut suum post discessum lapsis quibusdam nominatis & publicè pœnitentibus indulgerent, hoc est, residuam satisfactionis, seu incœptæ pœnitentiæ partem relaxarent, & pacem communionemque darent; tantus siquidem olim ab Episcopis deferebatur Confessoribus honor, hoc est, Christianis sæviente Gentilium persecutione Christi fidem publicè confessis, & ad Martyrium destinatis, ut ad preces eorum, lapsis quibusdam pœnitentibus canonicæ seu per canones injunctæ pœnitentiæ partem relaxarent, & pacem ac communionem indulgerent, eo ferè modo, quo incestuoso Corinthio, ad preces Corinthiorum, indulsit olim *Paulus* absolvens eum ab excommunicatione, & residuam ei satisfactionis seu pœnitentiæ partem relaxans, condonans & indulgens, ut ipse testatur 2. ad Cor. cap. 2. vers. 10, dicens: *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi donavi.* Rogaverant enim Paulum Corinthii per *Titum*, ut incestuoso excommunicato & jam pœnitenti absolutionem & remissionem indulgeret; sic & in carcere detenti Martyres designati per literas rogabant Episcopos, ut lapsis pœnitentibus indulgerent, eisque pœnas relaxarent; ex quo Pauli facto, & Martyrum praxi, non obscurè probatur à S. Thoma & aliis Ecclesiasticas Indulgentias conferendi potestas.

Verùm quia in hujusmodi libellorum usu, multiplex sæpè contingebat abusus, quo fiebat 1. ut Confessores nonnulli simplices & imperiti lapsorum importunitate victi vel delusi pacis libellos quibuslibet lapsis passim & sine discrimine darent; 2. quòd dando pacis libellos, se pacem dare putarent, indeque decepti lapsi simplices multi, pacem sibi à Martyribus & non ab Episcopis dari censerent; 3. quòd libellos hujusmodi lapsis interdum darent, non nominatim designando eos, de quo conqueritur S. Cyprian. epist. 11. ad Martyres data dicens: *Sed & illud ad diligentiam vestram redigere & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis; audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: Communicet ille cum suis; quod numquam omnino à Martyribus factum est, &c.*

De literis Communicatoriis, Confessoriis, Commendatitiis & Formatis.

Literæ Communicatoriæ erant literæ aliæ ab Episcopis datæ lapsis Martyrum libellos ferentibus, ut sic communionem eis non à Martyribus, sed ab Episcopis dari cõstaret.

Hos præfatos libellorum abusus ut tollerent Illiberitani Concilii Patres an. 305. & post illos Arelatensis Concilii primi Præsules an. 314. literas Communicatorias ab Episcopis dandas statuere; Illiberitani quidem can. 25. sic dicentes: *Omnis qui attulerit literas Confessorias, sublato nomine Confessoris, eò quòd sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, Communicatoriæ dandæ sunt literæ.* Arelatenses verò sic canone 9. decernentes: *De his qui Confessorum literas afferunt, placuit, ut sublatis eis literis, alias accipiant Communicatorias:* Ut sic, per has Communicatorias literas lapsis Martyrum libellos offerentibus ab Episcopis datas, fidelibus constaret, hos lapsos ad Ecclesiæ communionem esse admittendos, eamque communionem eis, non à Martyribus, sed ab Episcopis ad Martyrum preces dari; unde ideò hæ literæ modò *Communicatoriæ*, modò *Confessoriæ*, modò *Commendatitiæ*, modò *Formatæ* interdum dictæ. *Communicatoriæ* dicebantur, quia eo fine datæ, ut per eas his muniti ad fidelium communionem reciperentur lapsi: *Confessoriæ* verò quia ad preces Confessorum & in gratiam Confes-

forum

sorum desiderantium pacem & communionem dari lapsis, vel quia Confessorum libellorum loco concessæ, sicut & *Commendatitiæ* dictæ, dum hi quibus datæ, per eas erant commendati, imò & *Pacificæ*, ut constat ex can. 7. Concilii Antiocheni, sub Julio Papa, primi dicente, *Nullus peregrinorum sine Pacificis, id est, Commendatitiis suscipiatur epistolis*. Literæ denique *Formatæ* ideò vocatæ, quia sub certis notis & sub certa verborum formula conceptæ; in Concilio enim Africano quarto, an. 407. præceptum est, ut in Formatis apponeretur dies Paschæ illius anni; sed quoquo modo fuerint hæ literæ vocatæ, certum est, eas ideò fuisse datas, ut in fidelium communionem reciperentur his muniti. Est autem fidelium communio multiplex.

De multiplici fidelium communione.

Cùm communio Christiana generaliter sumpta nihil sit aliud, quàm communio, seu communicatio, quam quisque fidelis habet in corpore Christi mystico seu Ecclesia, cum cæteris fidelibus; & cùm in Ecclesia duo sint Christianorum seu fidelium ordines, unus scilicet Ecclesiasticorum, & alter Laicorum, ideò Christiana communio dividebatur olim in *Ecclesiasticam* & *Laicam*; & inter utramque media erat *Peregrina* communio, & istis addi possunt duæ aliæ olim primos inter Christianos usitatæ, *Eulogica* nimirum, & *Agapica*.

Communio fideliũ multiplex.

Ecclesiastica communio dicebatur illa, qua quis communicabat Ecclesiæ, seu erat cum fidelibus aliis in Ecclesia & de Ecclesia, ut Ecclesiasticus, v.g. ut episcopus, ut presbyter, ut diaconus, &c. Unde tot censebantur hujus communionis species, quot sunt ordinum gradus: nam episcopus longè alia ratione communicabat, seu hujusce communionis particeps erat, quàm presbyter, & presbyter alia quàm diaconus & cæteri; & si contingeret quempiam ob crimen aliquod enorme deponi, & omnimoda ac perpetua depositione deponi, ut loquuntur Canones, seu si quis ita deponeretur, ut nedum sui gradus honore privaretur, sed etiam ab omni functione removeretur, tunc ille censebatur integro suo communionis Ecclesiasticæ jure privatus, & inter Laicos, hoc est, ad Laicam communionem relegatus & ejectus.

Ecclesiastica qua quis communicabat Ecclesiæ ut Ecclesiasticus.

Laica communio erat ea, qua quis communicabat Ecclesiæ, seu erat cum fidelibus in Ecclesia & de Ecclesia ut Laicus, qualis erat illa de qua S. Cyprianus in epist. 52. ad Antonianum data, loquens de Trophimo quodam Episcopo lapso, qui sacrificaverat & idolis incensum obtulerat, quem ut Episcopum restitutum fuisse conquerebatur Antonianus, & cui respondet Cyprianus, eum quidem pœnitentem & satisfacientem fuisse admissum, non ut Episcopum, sed ut Laicum, dum ait: *Sic tamen admissus est Trophimus ut Laicus communicet, non secundùm quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet*: unde Clericum reduci ad communionem Laicam, erat Clericum reduci de ordine Clericali seu Ecclesiastico, ad ordinem Laicalem, & fieri quasi de Clerico Laicum.

Laica qua quis communicabat Ecclesiæ ut Laicus.

Dices 1. cum *Baronio*, *Pamelio* & aliis. Laica communio nihil est aliud, quàm communio Eucharistica, sumpta inter Laicos extra cancellos & altaris septa; habebant enim olim in Ecclesia locum suum Laici, in quo orarent & communicarent, nimirum extra cancellos sive chorum, masculi ad meridiem, & fœminæ ad aquilonem; *Monachi* quia Clero viciniores cancellis astabant proximi, & Clerus intra cancellos erat; ostiarii virorum

introitum, & diaconissæ fœminarum aditum custodiebant, ut constat ex Const. Apost. lib.2. cap.16. Ergo Laica communio perperam dicitur à nobis ea, quâ quis est in Ecclesia & de Ecclesia ut Laicus. Resp. neg. ant. ratio est quia ut sapienter observat Albaspinæus Aurelian. Episc. lib.1. observat. potest esse communio Laica sine receptione Eucharistiæ; ergo Laica communio non est communio Eucharistica inter Laicos recepta. Antec. probatur ex antiqua Ecclesiæ disciplina, quâ constat, quòd presbyter etiam gradu suo privatus, censuris perculsus, & in pœnitentiæ decursu sine absolutione mortuus, poterat post mortem in fidelium communionem restitui, ut patet ex Conc. II. Agathensis can.12. dicente, *De his, qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.* Sed illa communio, ut patet, non erat Eucharistiæ receptio, quæ mortuis dari nequit; non erat communio Ecclesiastica seu sacerdotalis, ad quam restitui non poterat ille, cùm supponatur in perpetuum suo gradu depositus; ergo Laica tantùm erat illa communio, ratione cujus fidelium suffragiis juvari poterat, ut Laicus, etiam mortuus.

Dices 2. cum *Bellarmino*. Laica communio nihil est aliud, quàm communio seu receptio Eucharistiæ, sub una tantùm specie, panis scilicet; ergo, &c. Resp. id pariter defendi non posse, quia his etiam temporibus quibus SS. PP. & Canones de communione Laicali mentionem fecere, Laici etiam sub utraque specie communicabant, ut manifestè patet ex S. Cyrilli Jerosol. Catechesi 5. dicentis, *Sanctificeris eo sanguine Christi quem assumis; & cùm adhuc est humiditas in labris tuis, manibus attingens & oculos & frontem & reliqua sensuum organa consecra.* Ergo Laica communio dici non potest de Eucharistia, sive sub una tantùm specie, sive extra cancellos, & inter Laicos sumpta.

Peregrina qua quis communicabat Ecclesiæ, non in proprio, sed in alieno gradu.

Peregrina communio inter *Ecclesiasticam* & *Laicam* media, propriè loquendo dicebatur ea, quæ erat aliena à gradu, quem quis priùs occupabat, quæque ideò *peregrina* dicebatur, quia non erat propria, sed aliena à gradu proprio; sic v.g. dum Episcopus propter crimen aliquod suspendebatur à communione Episcopali, & cogebatur communione Chorepiscoporum vel Presbyterorum contentus vivere, tunc ille dicebatur ad peregrinam communionem reduci, quia communio hæc non propria, sed aliena erat à proprio Episcopi gradu, ac proinde peregrina communio erat respectu Episcopi; & idem dicendum est de Chorepiscopo si redigeretur ad communionem presbyteri, & de presbytero si ad communionem diaconi, & sic de aliis: tunc enim illa qualiscumque esset, quia aliena erat à proprio gradu, peregrina communio erat, de qua loqui censendi sunt 36. Agathensis Conc. PP. anno 506. sub *Symmacho* Papa dicentes, *Contumaces verò Clerici prout dignitatis ordo permiserit ab Episcopis corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque suscipiant.*

Ex quo solo canone, tria ista manifestè probantur; Primum est, peregrinam communionem in eo sitam esse, ut sit ea, qua quis Clericus non sit in proprio gradu, sed in alieno & inferiori; secundum est, falsam esse eorum opinionem, qui volunt communionem peregrinam, non esse aliam à Laica, cùm constet ex hoc canone, Clericum in peregrina communione

posi-

positum, ad suum pristinum & proprium posse redire gradum, Clerico econtrà ad communionem redacto Laicam, nullus detur ad Clerum regressus, cùm sit perpetua & omnimoda depositione pulsus: tertium est, falsam pariter aliorum vel eorumdem sententiam, qui tenent peregrinam communionem nihil esse aliud, quàm communionem Eucharistiæ sub altera tantùm specie, cùm peregrinam communionem sic in pœnam tribui constet, & absurdum sit & ab omni sana mente remotum, Agathensis Concilii PP. Clericis contumacibus superbia elatis, & officium suum implere negligentibus, in pœnam tribuisse eis Eucharistiæ communionem, etiam sub una tantùm specie, imò & Clerico capitalis criminis reo & sacrilego, qui bona subripuisset Ecclesiæ, dum can. 5. dixere, *si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.*

De Eulogiis.

Eulogica communio, erat quædam communionis species alia, quæ fiebat olim per *Eulogias*, hoc est, per oblationes benedictas ex matrice Ecclesia per parochias cæteris fidelibus solemnissimis diebus missas; mittebatur enim à matrice Ecclesia benedictus panis seu Eulogiæ, ut colligitur *ex 12. Can. Laodiceni Conc.* cæteris fidelibus absentibus per pagos & vicos dispersis, ut sic esset eis aliqua participatio, societas, & communicatio cum Episcopo, & fidelibus aliis in matrice commorantibus Ecclesia, sicque repræsentaretur illa communitas & unio, quæ inter omnes unius diœcesis fideles esset, intelligerentque omnes, se unum simul omnes cum Episcopo componere & referre Christi corpus, seu ut loquitur *Innocentius* Papa, *ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos*: & hæ sunt Eulogiæ, de quibus intelligendi Laodiceni Conc. PP. can. 32. dum eas ab hæreticis missas recipere vetant, dicentes, *quòd non oporteat ab hæreticis Eulogias accipere, quia sunt maledictiones potiùs quàm benedictiones.*

Eulogica quæ fiebat per Eulogias à matrice Ecclesia, fidelibus missas.

De Agapis.

Agapica communio pariter dici potest aliqua, antiqua illa in *Agapis* consociatio seu participatio & communicatio, quæ fiebat olim inter primos nascentis Ecclesiæ Christianos: erat enim *Agape* convivium, seu cœna quædam vulgaris, pauperibus & divitibus communis, à primis Christianis & ditioribus in Ecclesia fieri solita, festis quibusdam diebus, puta in Natalitiis Martyrum, primitùs quidem ante communionem Eucharisticam, deinde post illam, idque ad imitationem cœnæ Christi vulgaris & agni, ante cœnam Eucharisticam discipulis factæ, & in mutuæ ac Christianæ charitatis symbolum; unde cœna hæc græcè Ἀγάπη, & latinè *Charitas*, dicta est.

Agapica erat antiqua illa fidelium in Agapis cõsociatio.

Fiebat autem hoc charitatis convivium primitùs, ac proinde tempore *S. Pauli*, ante communionem Eucharisticam ad imitationem Christi, qui post cœnam agni vulgarem & communem, instituit & celebravit Eucharisticam; sed deinde cùm sanxit Ecclesia Eucharistiam, ob reverentiam, non nisi à jejunis sumendam esse, fieri cœpit hoc vulgare convivium, seu *Agape*, post communionem Eucharisticam: verùm quia frigescente charitate & crescente fidelium numero, res abiit in abusum, etiam tempore *S. Pauli* Apostoli, ita ut divites privatim convenirent, cœnamque illam

soli præoccuparent, & pauperes excluderent vel non expectarent, & multò minùs invitarent, ibique se se inebriarent, dum pauperes esurirent, quem abusum reprobans & arguens ajebat olim Paulus, 1. ad Cor. cap. 11. verf. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* quasi dicat, ait Corn. à Lap. dum sic convenitis ad manducandum, hoc non est, cœnam Dominicam manducare, seu cœna vestra non est cœna Dominica, uti esse solebat; seu non instituitis cœnam, exemplo Domini, qui omnes Apostolos, etiam Judam, suæ cœnæ etiam vulgari, sobriæ & piæ adesse voluit; convenitis enim ad vos inebriandum & pauperes excludendum, quem cœnæ abusum & non cœnam absolutè taxat hìc Apostolus; ut constat ex versu 33. ubi concludens ait: *Itaque, fratres, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate; si quis esurit, domi manducet.*

Sed tandem propter abusus à Laodiceno Concilio vetita.

Verùm, cùm hic abusus, aut similis, etiam longè post *Pauli* tempora duraret adhuc, & sive ante, sive post sacram synaxim, fieret hæc vulgaris cœna, sive *Agape*, Laodiceni Concilii PP. an. 320. cœnas illas vulgares seu *Agapes* in Ecclesia fieri prohibuere, can. 28. definientes, *quòd non oporteat in domiciliis divinis, id est in Ecclesiis convivia, quæ vocantur Agapes, fieri, nec intra domum Dei comedere vel accubitus sternere.* Quod & iterùm posteà vetitum in Quinisexto Concilio, can. 74. dicente, *Non oportet in Dominicis locis vel Ecclesiis charitates quas vocant facere, & intus in æde comedere & accubitus sternere: qui hoc fecerint, cessent, vel excommunicentur.*

Et hæc visa fuere hìc breviter & cursim prænotanda in hoc nostro de Traditione libello, ad clariùs & expeditiùs intelligenda varia, sive disciplinæ, sive antiquæ Traditionis Ecclesiæ capita, sive sanctorum Patrum dicta, sive priscorum Conciliorum, vel summorum Pontificum decreta.

ARTICULUS VIII.

De clarioribus, qui, sive de Historia, sive de Traditione Ecclesiastica, scripsere viris.

CUm diversis temporibus diversæ fuerint in Ecclesia Traditiones in usu, quarum aliæ retentæ vigent adhuc, aliæ, pro diversa temporum exigentia, fuere per Ecclesiam abrogatæ vel mutatæ; nec valeat illas ab istis ritè secernere Theologus, nisi variam variorum temporum Ecclesiæ noverit Historiam; nec Historiam Ecclesiæ ritè quis callere possit, nisi Historicos prænoscat Ecclesiasticos, & alios cum aliis sæpè conferat, volvat, atque revolvat: Ideò hìc cursim & breviter juvat designare clariores atque præcipuos, inter quos occurrit

Josephus.

1. *Josephus* natione Hebræus, *Mathathiæ* filius, anno Christi 37. &c. *Caligulæ* primo natus, vir nedum historicus, sed & miles & militiæ dux, qui in Syria fervente bello à Jerosolymitanis Galilæorum ductor electus, fortiter omnia gessit, usque ad Jotapam captam, qua capta, in ea inclusus ut defensor, captus & ipse à Romanis, & ad *Vespasianum* ductus, Imperium

perium Vespasiano prædixit venturum, seque brevi è carcere dimittendum ab illo, ut ipse lib. 3. de bello Judaico narrat cap. 4. meminitque *Suetonius* in Vespasiano cap. 5. E carcere dimissus ut prædixerat, cum *Tito* Vespasiani filio ad Jerosolymorum obsidionem profectus est, quo bello peracto, *libros 7. de bello Judaico* ipso græcè scripsit, & *Vespasiano Titoque* dicavit, quos Titus Bibliothecæ publicæ tradi jussit. Scripsit insuper & 20. *libros alios Antiquitatum Judaicarum* à mundi exordio usque ad decimumquartum annum Domitiani, & Christi circiter nonagesimumtertium, quos *Domitiano* dicavit, in quibus Historiam sacram, à Genesi usque ad Machabæos, & à Machabæis ad sua usque tempora narrat, & in quibus licèt Judæus luculentum & mirabile de Christo Jesu testimonium perhibet, asserens eum plusquam hominem fuisse & verè Christum sive Messiam, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, à Pilato quidem morti traditum, sed die tertia, triumphanti Resurrectione redivivum, dum in lib. 18. cap. 4. sic expresè dicit: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, plurimosque, tam de Judæis, quàm de Græcis sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum à nostræ Gentis Principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio: Apparuit enim tertia die vivus, ita ut divinitùs de eo Vates hoc & alia multa miranda prædixerant, & usque hodie Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Et hujus testimonii meminere Eusebius & Hieronymus; ille lib. 1. Historiæ Eccl. cap. 11. iste in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis Catalogo. *Egregium de Christo Josephi testimonium.*

Dicunt Judæi locum illum non esse in Josepho, & à Christianis perperam Josepho tributum: sed contrà, Resp. 1. cum *Cor. à Lap. in Chronotaxi Act. Apost.* non esse quidem in Hebræa Josephi translatione per ipsos Judæos facta, quia ipsi sustulerunt, sed esse nedum in latina, sed etiam in græca Josephique genuina editione; Josephus enim non hebraicè, sed græcè hos scripsit libros: vel Resp. 2. cum Bellarm. lib. de Script. Eccl. Judæos non habere Josephum *Mathathiæ* filium, de quo hìc est quæstio, & qui græcè scripsit hos 20. Antiquitatum Judaicarum libros, sed Josephum *Gorionis* filium, qui aliquid simile scripsit hebraicè; ac proinde non est mirum, si Judæi hoc in suo Josepho non inveniant de Christo testimonium, & perperam ac falsò dicant à Christianis insertum.

2. *Hegesippus* S. Justino & Athenagoræ coævus, qui, (ut expresè testantur Eusebius & S. Hieronymus; ille lib. 4. Historiæ Eccles. cap. 21. iste lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis) scripsit *Historiam Ecclesiasticam, ad sua usque tempora*, id est, ad annum à Christo nato 177. Sed hujus Historiæ librorum sola supersunt fragmenta, apud Eusebium & Hieronymum. Hegesippus.

3. *Julius Africanus*, vir Origeni coævus, illoque pauló senior, (ut Julii indicat Epistola de *Historia Susannæ* ad Origenem missa;) qui scripsit librum de temporibus ab origine mundi, usque ad *Macrinum* Imperatorem, & *Heliogabalum* circa annum 222. Sed hic pariter non comparet hodie liber, licèt extaret tempore Photii, de eo in sua Bibliotheca testantis. Julius Africanus.

4. *Eusebius Pamphili* Cæsariensis Episcopus, sed Arianæ sectæ miles, imò signifer acerrimus; qui præter 15. libros *de Præparatione Evangelica*, & 20. alios *de Demonstratione Evangelica*, *de Historia Ecclesiastica insuper scripsit 9. sicut & Chronicon*, ab orbe condito ad annum usque Christi 330. Eusebius.

5. *Ruffinus* Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter, *S. Hieronymi* primùm familiaris Ruffinus.

liaris olim & amicus, sed posteà æmulus & adversus, & Origenis Apologista ac defensor acerrimus, Pelagianorumque fautor apertus, imò Pelagii prædecessor vocatus à S. Hieronymo. Vir fuit juxta *Gennadium lib. de Script. Eccl.* de græco in latinum translator elegantissimus, qui varios græcorum Auctorum libros è græco latinè transtulit, ut Basilii Cæsariensis Episcopi, Gregorii Nazianzeni, Clementis Romani Recognitiones vulgò dictas, Xysti Sententias, Eusebii Cæsariensis Historiam Ecclesiasticam, quique insuper præter hæc omnia & alia plura, scripsit

1. *Tres invectivarum libros contra S. Hieronymum.*
2. *Apologiam pro Origene.*
3. *Commentaria in Psalmos aliquot.*
4. *Epistolas ad diversos plurimas.*
5. *Symboli Apostolorum expositionem unam.*
6. *Historiæ Ecclesiasticæ libros duos.*

Quos duos Historiæ Ecclesiasticæ libros addidit Eusebii Cæsariensis Historiæ è græco in latinum à se translatæ; & tandem in Sicilia circa annum Christi 410. vel 411. obiisse creditur vir ille doctrina clarus, sed erroris labe meritò notatus à *Gelasio* Romano Pontifice, ut constat ex cap. *Sancta Romana*, dist. 15. imò & ab *Anastasio* primo, supremo pariter Pontifice, anteà damnatus, ut indicat ipsa Anastasii ad Joannem Jerosolymitanum epistola. Vide *S. August. in epist. 93. S. Hieronymum in epist. 41. Sixt. Senen. Bellarm. Baron. &c.*

Palladius. 6. *Palladius* vir natione Galata, Ruffino coætaneus & amicus; qui per triennium, & ultrà convixit in Ægypti eremo cum Euagrio Pontico, quique Helenopoleos tandem Episcopus ordinatus, scripsit eorum, quæ in eremo viderat, vel audierat, multorum præsertim Sanctorum vitæ historiam, ad *Lausum* Præfectum, unde *Lausiacam* vulgò dictam. Utilis quidem esse potest hæc historia, licèt ut Origenista reprehendatur à S. Hieronymo Palladius, in Epistola ad Ctesiphontem; & à S. Epiphanio, in Epistola ad Joannem Jerosolymitanum.

Orosius. 7. *Paulus Orosius* Presbyter Hispanus & Tarraconensis, acris ingenii vir, insignis Orator & Historicus, S. Augustini discipulus; cujus suasionibus & consiliis scripsit 7. *Historiarum libros*, ab orbe condito usque ad annum Christi 416. adversùs criminatores Christiani nominis, in quibus potissimùm describit clades, quibus Romani fuere vexati, dum colerent falsorum Deorum idola, anno circiter Christi 421.

Sulpicius. 8. *Severus Sulpicius* vir fuit Aquitanicus natione, genere & eruditione clarus, *S. Paulini* coævus & amicus Presbyter; qui duos elegantes scripsit *de Historia sacra libros*, ab origine mundi exordiens, usque ad annum Christi 400. Scripsit insuper *S. Martini Turonensium Episcopi vitam, & dialogum de conversatione Orientalium Monachorum*; sed cautè legendi libri illi: in primo enim de Historia sacra libro dicit, *Filios Dei, qui filias hominum genuerunt, fuiße Angelos*, quod communiter refellitur à SS. Chrysost. August. & aliis. In dialogo verò reprehendit Episcopos, qui Origenis damnarunt libros, &c. Floruit circa annum Christi 420.

Theodoretus. 9. *Theodoretus Cyrensis* in Syria Episcopus, de quo alibi; qui inter alia plura suæ doctrinæ monumenta, scripsit *Historiæ Ecclesiasticæ, à Constantino videlicet usque ad Theodosium juniorem, quinque libros*; quique, si Gennadio

nadio credamus, eam ad Leonem usque perduxit, duobus aliis adjunctis libris, licèt hi duo non compareant libri posteriores.

10. *Socrates*, non Atheniensis ille Philosophus *Archelai* discipulus, Platonisque Magister, & Ethicæ primus descriptor celebris, qui vixit ante Christum natum annis circiter 428. sed *Socrates* alter patria Constantinopolitanus; & in Constantinopolitano foro causarum Actor celeberrimus; quique posteà relicto foro, *Historiam scripsit Ecclesiasticam 7. libris*, initium ducens ab eo tempore, quo Eusebii Cæsariensis desinit Historia, hoc est, à Constantino Magno, usque ad Theodosii junioris Imperatoris tempora. Novatianorum erroribus fuisse consperſum Socratem istum, nedum indicat Nicephorus; sed & ipse plus quàm satis ostendit, cùm Novatianum sectæ auctorem inter Martyres numeret. Socrates.

11. *Sozomenus* natione Palæstinus, & Socrati coætaneus, Historiam pariter scripsit Ecclesiasticam 9. in libros distributam; cœptam similiter à Constantino Magno, ad Theodosium juniorem usque perductam, ipsique Theodosio Imperatori dicatam; sed Novatianis sicut *Socrates* favisse fertur, & cum illo floruisse, circa annum Christi 440. Sozomenus.

12. *Victor Uticensis*, sive, ut placet aliis, *Vitensis*, in Africa Episcopus sanctissimus, & in persecutione Vvandalica multa pro Christi religione passus; qui sub *Zenone* Imperatore, circa annum 490. tres *de eadem persecutione Vvandalica* libros scripsit egregios, lectuque dignissimos, ob insignium, qui in ea claruere Martyrum, in fide & religione constantiam. Victor Uticensis.

13. *Liberatus* Archidiaconus Carthaginensis, qui vivens anno 560. paulò post quintam œcumenicam Synodum, scripsit *Breviarium de causa Nestorii & Eutychetis 24. capitibus comprehensum*, quod reperitur in secundo Conciliorum tomo. Sed cautè legendum esse opus illud, monent *Baronius* ac *Bellarminus*, quia plura in eo reperiuntur perperam scripta, & non satis veritati, aut fidei consona. Liberatus.

14. *Aurelius Cassiodorus*, ex Consule Romano, & Prætorii Præfecto in *Vivariensi* Cœnobio Monachus, & ex Monacho ejusdem Cœnobii tandem Abbas; qui præter Chronicon, quod scripsit ab orbe condito usque ad Theodoricum Italiæ Regem, præter 12. variarum Epistolarum libros, & Gothorum Historiam in 12. libros alios pariter distributam, aliaque nonnulla, scripsit insuper *Tripartitam Historiam, ex Socrate, Theodoreto & Sozomeno*, per Epiphanium Scholasticum latinè translatis, excerptam, seu græcas *Socratis*, *Theodoreti*, & *Sozomeni* Historias, ab Epiphanio Scholastico latinè versas, in unum opus veluti continuatam Historiæ seriem collegit, in gratiam suorum Monachorum Vivariensium; & hoc Historiæ Compendium (quod vulgò Tripartita nuncupatur Historia, quia ex triplici illo auctore decerpta) 12. in libros divisit; tandemque propè centenarius, & meritis clarus obiit circa annum 575. Librum insuper edidit *de institutione divinarum litterarum* in quo potissimùm curat, ut doceat, qui Interpretes legendi sunt in singulos Scripturæ sacræ libros, ostenditque liberalium artium utilitatem, ad sacræ Scripturæ intelligentiam. Cassiodorus.

15. *Euagrius* Scholasticus vulgò dictus, & *Epiphanensis*, sive Epiphanius, quia Epiphaniæ in Syria natus, anno circiter 537. qui *sex scripsit Historiæ Ecclesiasticæ libros*, ab eo incipiens tempore, quo desiere *Socrates*, *Theodoretus*, & *Sozomenus*, pergensque ad annum usque Mauritii Imperatoris duodecimum, hoc est, incipiens ab Ephesina Synodo, anno Christi 431. habita, ad annum usque circiter 594. Euagrius.

16. *Gre-*

Gregorius Turonicus. 16. *Gregorius Turonicus*, de quo infrà lib. 4. qui *de Historia Francorum scripsit libros decem, cum ejusdem Historiæ epitome*; & insuper de gloria Martyrum unum, de gloria Confessorum duos, de miraculis sancti Juliani unum, & de miraculis sancti Martini quatuor; obiitque anno 596.

Beda venerabilis. 17. *Beda venerabilis*, natus in exiguo Angliæ vico *Girvico* vulgò dicto anno 673. Ordinis sancti Benedicti Monachus, vir sui sæculi pietate & eruditione primus; qui inter varia alia, tomis octo collecta, scripsit *de sex mundi ætatibus, de temporibus* ad intelligendam supputationem temporum sacræ Scripturæ, libris quinque *Historiam* gentis suæ, cum epitome, *Martyrologium*, & plures Sanctorum vitas. Obiitque sanctè 27. Maii anno 733. ætatis verò suæ anno, non 105. ut contendit Baronius, sed 63. ut ex ejus sic inscripto colligitur epitaphio:

Beda Dei famulus, Monachorum nobile sidus,
Finibus è terræ profuit Ecclesiæ.
Solers iste Patrum scrutando per omnia sensum,
Eloquio viguit, plurima composuit.
Annos in vita tres duxit bisque triginta,
Presbyter officio, maximus ingenio.
Junii septemnis viduatus carne Kalendis,
Angligena Angelicam commeruit patriam.

Paulus Diaconus. 18. *Paulus Diaconus* Aquilejensis, hoc est, juxta *Aub. Mir. in Sch. ad Sigeb. Paulus* cognomento *Vvinfridus* natione Longobardus, & Aquilejensis primùm Diaconus, deinde *Desiderii* Longobardorum Regis Cancellarius, qui suo victo Rege inter nobiles captivos abductus à Carolo Magno, ob sapientiam singularem & eruditionem variam, magno in honore fuit aliquandiu; posteà ob suspicionem nescio quam relegatus, ad *Arichim* Beneventanum principem & Desiderii Regis generum confugit, eoque defuncto principe Beneventano, in monte Cassino, cœnobii Cassinensis Monachum induit, & is est qui juxta *Sigeb.* & *Miræum* præter vitam S. Gregorii Rom. Pont. primi, præter miracula S. Arnulphi Metensis, & aliorum Metensium Pontificum gesta, scripsit insuper gesta S. Cypriani Carthaginensis Episcopi & Martyris, vitas *SS. Benedicti, Mauri*, & *Scholasticæ* virginis, nec non *Historiam Vinnulorum*, qui posteà Longobardi fuere nominati, idque circa annum 774.

Hilduinus. 19. *Hilduinus* S. Dionysii, in Francia, juxta Parisios Abbas Benedictinus, Rabani Mauri coætaneus, Ludovici Pii Imperatoris & Gallorum Regis Archicapellanus, sive magnus ab eleemosynis præfectus; qui ejusdem Imperatoris jussu scripsit opus illud celebre, cui titulus est, *Areopagitica*, hoc est librum illum, quo fusè describit historiam vitæ & passionis sancti Dionysii Areopagitæ, contenditque multipliciter Dionysium Areopagitam fuisse Gallorum Apostolum, primumque Parisiensium Episcopum: quo in opere contexendo, se fatetur usum, ejusdem Ludovici jussu, nedum antiquis Græcorum historiis, codicibusque Latinis variis, sed etiam vetustissima S. Dionysii Areopagitæ passionis historia, à nobilissimo religiosissimoque *Visbio* oculato teste conscripta. Obiit autem Hilduinus anno Domini 842. & jacet in Suessionensi S. Medardi Abbatia.

Flodoardus. 20. *Flodoardus* à quibusdam *Flauvaldus*, eruditus Remensis Ecclesiæ Presbyter & Canonicus, deinde Monachus ac tandem Abbas cœnobii S. Remigii

migii in urbe Remensi, qui *libris* 4. *scripsit Remensium Episcoporum gesta, sive Ecclesiæ Remensis historiam*, quæ pertingit usque ad annum Christi nongentesimum quadragesimum octavum, suamque narrationem incipit ab ipso Remensis Civitatis ortu, quæ, ut ait, à qualitate civium, qui in bello duri cordis erant, dicta est *Cordurus* primò, deinde milites *Remi* fratris Romuli fugientes à facie Romuli ad eam profugerunt, eamque à nomine sui principis Remi Remum denominarunt; scripsit & Chronicon Remense de rebus gestis ab anno nongentesimo decimo nono usque ad annum nongentesimum sexagesimum sextum, quo anno obiisse creditur ipse, ut refert Bellarminus in suo catalogo Script. Eccl. & Aub. Miræus in sua Bibl.

21. *Usuardus* nono vivens sæculo, scriptor, ut creditur, natione Gallus, & Fuldensis cœnobii, ut opinantur aliqui, vel ut veriùs tenent alii, S. Germani Pratensis Parisiensis Ordinis Benedictini monachus, qui S. Hieronymi, & Bedæ venerabilis exemplo, satis acuratum & celebre scripsit Martyrologium, jussu Caroli Magni: displicebat enim Carolo Magno quòd Hieronymus & Beda brevitati studentes, necessaria omisissent permulta, & plures anni dies reliquissent intactos; quod ut suppleret, & Imperatori pareret *Usuardus*, festivitates Sanctorum per singulos anni dies annotans, integrum hoc multòque fusius Martyrologium effecit circa annum Christi 812. ut notat Bellarm. lib. de Script. Eccl. sicut & Sigebertus Gemblacensis monachus *in suo pariter de Script. Eccl. libro*. Usuardus.

22. *Simeon Metaphrastes* vir natione Græcus, patria Constantinopolitanus, & professione non *Trivialis ludi Magister*, ut falsò credidere nonnulli, sed vir natalibus & meritis clarus, & Imperatoribus à secretis eruditissimus, & scriptor in Oriente celeberrimus, qui *vitas Sanctorum Orientalis Ecclesiæ* collegit, & elegantiori stylo conscriptas in ordinem digessit, juxta currentes anni dies, sed non integra semper fide, multa siquidem addens de suo, quorum nulla reperitur mentio apud veteres historicos, unde *Metaphrastes* vulgò dictus, resque non ut gestæ fuere, sed ut geri potuere, sæpè narrans; hasque Sanctorum vitas ab eo græcè descriptas habemus latinè traductas apud *Aloysium Lippomanum* tom. 5. 6. & 7. & ex parte apud *Surium*. Scribebat autem Simeon iste circa annum 859. Idque colligit Bellarm. in suo de Script. Eccl. libro, ex eo quòd *Michael Psellus* Michaelis *Ducæ* præceptor, eo vivens tempore, Simeonis Metaphrastæ funebrem orationem habuerit. Vide *Surium*, ad diem 27. *Novem. Baron. Bellarm. Bolland. &c.* Simeon Metaphrastes.

23. *Ado Viennensis* in Gallia post *Agilmarum* Archiepiscopus, vir doctrina & morum sanctitate laudabilis, cujus memoriam celebrat Ecclesia in Romano Martyrologio 16. Decembris die, qui *unum ab orbe condito ad sua usque tempora scripsit Chronicon*, & *Martyrologium unum*, nec non *Historiam Passionis S. Desiderii Viennensis Archipræsulis* prædecessorisque sui. Chronicon suum per sex mundi ætates ita divisit & concinnavit, ut Ado Viennensis.

1. Ætas duret, ab Adamo usque ad diluvium.
2. Currat à diluvio usque ad Abraham.
3. Ab Abraham usque ad Davidem.
4. A Davide usque ad captivitatem Babylonicam.
5. A captivitate Babylonica usque ad Christum.
6. A Christo ad sua usque tempora, & ultrà.

Obiit

Obiit autem *Ado* die 16. Decemb. anno 874. non 879. ut sentit Bellarm. idque manifestè colligitur ex eo quòd *Atteranus* successor Adonis interfuerit Concilio Trecensi habito anno 878. & subscripserit Papiensi celebrato anno 876. Vide *Baron. Bolland. & Gall. Christ.*

Marianus. 24. *Marianus* natione *Scotus*, *Fuldensis* Abbatiæ in Germania Monachus, qui obiit circa annum 1086. scripsit tres *Chronicorum libros*, ab initio mundi usque ad annum 1083. in quo satis diligenter historiam describit universalem. Ei tribuitur & opus illud cui titulus est, *Calculatio de universali tempore*.

Nicephorus Triplex. Constantinopolitanus. 25. *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus, is est, qui nono vivens sæculo, ad *Leonem III.* Rom. Pont. valdè prolixam scripsit Epistolam à Baronio, tom. 9. Annalium relatam, & nonnulla alia contra Iconomachos edidit Opuscula tom. 9. Bibl. PP. edit. Colon. inserta, & qui insuper contexuit *Breviarium Historiæ de rebus gestis à Mauritii Imperatoris cæde, usque ad annum Christi 769.* Quod Breviarium Dionysius Petavius latinum fecit. Ei pariter tribuitur *Chronologia Tripartita*, sive *Chronicon*, ab *Anastasio Bibliothecario* latinè redditum. Quod similiter extat in *tom. 2. Bibl. PP. editionis antiquæ*, & cui nonnulla addidit Anastasius ipse; unde ortum est, ut crediderint aliqui, non istius Nicephori, sed alicujus alterius junioris esse *Chronicon* istud, eò quòd in eo numerentur Patriarchæ Constant. omnes usque ad *Photium*, qui non fuit invasor Patriarcha nisi 30. annis post obitum Nicephori Const. sed id facilè conciliari contendunt alii, dicendo, id fuisse ab Anastasio superadditum Chronico Nicephori. Qui à Leone Armeno Iconomacho exulans obiit sanctissimè 14. sui exilii anno, Christi verò 828.

Callistus. *Nicephorus* alter celebris pariter Græcorum Historicus, *Callistus Xanthopulus* cognomine dictus, quia ex *Callisto* patre natus, is fuit, qui 14. vivens sæculo scripsit *Historiam Ecclesiasticam* 23. libris expressam, & *Andronico* Seniori Imperatori dicatam de rebus à Christi adventu ad sua usque tempora gestis; sed de ea soli supersunt 18. libri de rebus scilicet à Christi adventu gestis, usque ad *Phocæ* Imperatoris obitum, hoc est, usque ad annum 610. qua in Historia, si nonnulli reperiantur interdum dispersi Græcorum errores, qualis est error de processione Spiritus sancti à solo Patre, id non mirum videri debet: Fuit enim Schismaticus Græcus *Nicephorus* iste *Callistus*, ut notat *Bellarm. lib. de Script. Eccl. ex Baron. Ann.*

Gregoras. *Nicephorus* denique tertius, & *Gregoras* vulgari cognomine dictus, Historicus pariter Græcus fuit, qui scripsit *Historiæ Byzantinæ libros* 11. hoc est, Imperii Orientalis Historiam, ab eo tempore quo Orientis Imperium in Latinorum potestatem transiit, sive à Constantinopoli per Latinos capta, usque ad suam ætatem, seu usque ad obitum Andronici junioris Imperatoris, qui incidit in annum 1341. ac proinde ab anno 1200. usque ad annum 1341.

Petrus Comestor. 26. *Petrus Comestor*, Trecis in Campania natus, & Trecensis Ecclesiæ Canonicus & Decanus, Parisiensis Ecclesiæ posteà Cancellarius, ac tandem his relictis omnibus, Canonicus Regularis in Parisiensi S. Victoris Abbatia, vir eruditus & pius, vulgòque Magister Historiæ Scholasticæ dictus, quòd *Historiam sacram 16. in libros distributam scripserit*, hoc est, libros historiales, tam veteris quàm novi Testamenti, continua Scripturarum serie, multis insertis profanis, nec sufficienter eliquatis Historiis, in unum corpus redegerit, quod opus ex usu, Historia Scholastica vulgò dictum. Obiit circa annum 1198. jacetque in eadem sancti Victoris Abbatia, cum hoc epitaphio:

Petrus

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor, vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

27. *Vincentius Bellovacensis*, natione Burgundus, Ord. FF. PP. ideò Bellovacensis dictus; non quia Bellovacensis Episcopus, ut volunt multi, sed quia Conventus Bellovacensis alumnus, ut asserunt alii, qui vivens tempore Innocentii IV. scripsit specula quatuor, *doctrinale* videlicet, *historiale*, *naturale*, & *morale*. Vincentius Bellovacensis.

Doctrinale in 17. libros divisum tractat de omnibus scientiis à Grammatica usque ad Theologiam.

Historiale historias narrat varias ab initio mundi usque ad annum 1244.

Naturale 32. complectens libros, de rebus naturalibus agit, ut de herbis, avibus, &c. & tandem in ultimo libro de locis & temporibus.

Morale tres complectens libros, tractat de passionibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis & virtutibus. Obiit anno circiter 1256.

28. *Jacobus Vitriacus*, seu de *Vitriaco*, natione Gallus, *Vitriaci* exigui prope Lutetiam vici natus, Canonicus Regularis Ogniacensis primùm, & ex Canonico, Argentolii ad Sequanam Parochus, unde Argentolii natus à quibusdam creditus: vir Latinè, Græcè & Hebraicè doctus, & in sacratum Scripturarum lectione sufficienter versatus, Aconensis primùm in Syria, deinde Tusculanus Episcopus, ac tandem S. R. E. Cardinalis à Gregorio IX. Rom. Pont. creatus, Sedisque Apostolicæ in Terra Sancta, in Germania, & in Francia quondam Legatus, qui *tres libros Historiæ Orientalis & Occidentalis* edidit, in quibus Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ statum describens, ea narrat, quæ propriis oculis in Oriente viderat: scripsit & duos alios de *vita B. Mariæ Ogniacensis*, & contra *Saracenos alterum*; obiitque Romæ anno Christi 1244. cujus corpus inde translatum est in Ogniacense Canonicorum Regularium Cœnobium, ut ipse suæ extremæ voluntatis tabulis mandaverat, ut notat *Aub. Mir. in sua Bibl. in Sch.* Jacobus de Vitriaco.

29. *Matthæus Parisius*, sive Parisiensis, natione Anglus, Ord. S. Benedicti Congregationis Cluniacensis & cœnobii S. Albani in Anglia Monachus, vir fuit suo sæculo clarus, celebris & doctus, Pictor, Architectus, Poeta, Orator, Theologus & Historicus, qui scripsit Historiam Anglicanam à Vuillelmo primo usque ad trigesimum quintum annum Henrici tertii, hoc est, ab anno Christi 1067. usque ad annum 1250. quo anno, hæc in Historia hæc habentur, *hic terminatur fratris Matthæi Parisiensis, Monachi sancti Albani Chronica*, continuasse tamen dicitur usque ad sui obitus annum qui fuit 1259. Scripsit insuper *Res gestas Abbatum sancti Albani*, & alia. Historiam ejus multa continere scitu digna observat Bellar. in suo catal. Script. Eccl. præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam & Imperium; sed monet cautè legendum, utpote quia à Tigurinis hæreticis vitiatum, additione multorum, ad invidiam Romanæ Ecclesiæ conflandam. *Vide Bell. in catal. Script. Eccl.* Matthæus Parisius.

30. *Jacobus de Voragine*, vir eruditus, & suo sæculo clarus, ex Ordine FF. PP. & in Lombardia Provincialis, & è Provinciali Genuensis Archiepiscopus, ortus è *Varagio* exiguo Genuensis ditionis oppido, unde de Varagine dicendus, licèt honoris causa ab amicis, malignè ab inimicis, & igno- Jacobus de Voragine.

ignoranter ab aliis de Voragine vulgò dictus, qui vitæ Sanctorum Historiam contexuit unam cum hoc præfixo titulo, *Legenda Aurea*, sive Lombardiæ Historia, quod opus statim ubique magno cum applausu receptum, sed tandem posteà eruditorum sequentium sæculorum judicio notum atque neglectum, utpote quia parum accuratum, & fabulis interdum conspersum opus, cujus auctor obiit anno Christi 1298. ætatis verò suæ anno 96. *Vide Sixtum Sen. lib.* 4. *Bibl. sanctæ*, & *Possev. in App. sac.*

Petrus de Natalibus.

31. *Petrus Natalis*, vulgò *de Natalibus*, seu Italorum more *Petrus Natali*, unde Latinè *de Natalibus* vulgò dictus, sicut *Conti de Comitibus* & *Visconti de Vicecomitibus*, interdum etiam *Petrus Venetus* à patria cognominatus, sicut & *Petrus Equilinus* ab Episcopatu, quia Æquiliæ, sive Equilii, hodie vulgò *Jesolo*, Venetorum ditionis urbis Episcopus, is est qui circa annum 1372. *ex variis multisque voluminibus aliis, plurimorum Sanctorum catalogum* concinnavit, quo vitas eorum, passiones, & miracula breviter & historicè collegit; sed nec diligenter, nec cautè; annumerat enim interdum inter Sanctos & Martyres, viros ab Ecclesia recisos & hæreticos, ut v.g. *Priscillianum* Hæresiarcham virum natione Hispanum, ob scelera varia Treviris morte punitum, cum *Latroniano* sectario suo, ut fusè narrat *Aub. Mir. in Bibl. de SS. Eccl. in Schol.*

S. Antoninus.

32. *S. Antoninus* sic, quia statura pusillus, nomine dictus, patria Florentinus, & professione Ordinis FF. PP. alumnus, sacrique Palatii Auditor primùm, & deinde Florentinæ Archipræsul Ecclesiæ ab Eugenio IV. nominatus, vir eruditus & sanctus, in utroque jure, & in Historia Ecclesiastica summè versatus, qui scripsit *Summam Theologicam* quatuor in partes divisam, *Summam Confessionalem*, seu librum de eruditione Confessorum, qui dicitur *Defecerunt*, quia incipit, *Defecerunt scrutinio*; & *Summam Historialem*, tres in partes ita divisam, ut prima pars recenseat ea, quæ ab origine mundi fuere gesta usque ad S. Silvestrum Rom. Pont. secunda ea quæ à *S. Silvestro* ad *Innocentium III.* & tertia denique referat ea, quæ ab *Innocentio III.* usque ad *Pium II.* Romanum pariter Pontificem, hoc est, ad annum usque Christi 1459. quo anno ex hac mortali vita sanctè discessit, & in Sanctorum catalogo posteà relatus ab *Adriano VI.* anno Christi 1523. Vide *Trith. & Bellarm. lib. de Script. Eccl. Sixtum Sen. & Aub. Miræum in Bibl. Eccl.*

Æneas Silvius.

33. *Æneas Silvius*, ex nobili Picolomineorum familia Senis ortus, vir doctus, prudens & magnanimus, Imperatori primùm à secretis, deinde Senensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, demum Papa, dictusque *Pius* illo nomine II. qui cùm sacram expeditionem moliretur adversus Turcas Christiani nominis hostes, obiit Anconæ die 14. Augusti anno Christi 1464. ætatis verò suæ anno 58. Varia & erudita reliquit opera à se antequam summus Pontifex esset scripta; scripsit enim inter alia plura *de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum, de Historia Bohemorum, de clade Constantinopolitana, de clade universalis Ecclesiæ, & de Concilio Basileensi libros duos*; sed ut observant Bellarminus in suo de *Script. Eccl. catalogo*, & Aub. Miræus in sua Bibl. quæ Æneas Silvius scripsit pro Concilio Basileensi cùm juvenis esset, retractavit senex & Pontifex, extatque inter Concilia eruditum ejus retractationis Diploma. Omnia ejus opera Basileæ Basileenses excuderunt anno 1551. sed marginibus pravas notationes adjecerunt, & nonnulla alia omiserunt, si credamus *Aub. Miræo in Bibl. SS. Eccl.*

34. Lu-

34. *Ludovicus* sive *Aloysius Lippomanus*, patria Venetus, *Modonii* in Peloponneso, deinde *Veronæ* in Italia, & tandem *Bergomi* Veneticæ ditionis Episcopus, vir linguarum peritia, eruditione profunda, & vitæ innocentia clarus, qui eminuit olim inter alios Tridentini Concilii Patres, ut *Julii III.* Rom. Pont. Legatus, quique *de vitis Sanctorum* reliquit *volumina octo, & catenam in Genesim, Exodum & Psalmos*; obiitque anno 1559. Lippomanus.

35. *Joannes Molanus* natione Flander, civis Doctorque Theologus Lovaniensis, vir ingenio magnus & in Historia Ecclesiastica non leviter versatus, qui primus omnium *Usuardi Martyrologium notis & additionibus illustravit egregiis*, quique omnium Belgii Sanctorum Kalendarium texuit Ecclesiasticum; & obiit 18. Septemb. anno Christi 1585. Molanus.

36. *Nicolaus Arpsfeldius*, natione Anglus, & Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconus; qui in vinculis pro causa Religionis Catholicæ, regnante Elisabetha Regina, per viginti annos & ultra *Londini* vixit; ac tandem ibi Confessor obiit, anno 1593. post scriptam Historiam Anglicanam Ecclesiasticam, nec non Vvicleffanam. Arpsfeldius.

37. *Gilbertus Genebrardus*, Ricomagi in Arvernia natus, qui ex Monacho Benedictino, & Hebraicæ linguæ Professore Regio Parisiensi, Archiepiscopus evasit Aquensis; edidit *Chronologiæ librum unum*, & Chronographiæ libros quatuor, sicut & Commentarium *in Psalmos, in Canticum, in Joel*, &c. & obiit anno 1597. Genebrardus.

38. *Cæsar Baronius*, Soræ in Campania Neapolitanæ ditionis ortus anno 1538. Romanæ Congregationis Oratorii Presbyter eruditissimus, Protonotarius, deinde Bibliothecarius Apostolicus, & tandem S.R.E. Cardinalis à Clemente VIII. creatus, qui præter *eruditas ad Romanum Martyrologium notas*, contra Mathiam Flacum & Magdeburgenses alios Satanicarum centuriarum cusores, 12. tomis in folio, incredibili labore & diligentia mirabili, *Annales scripsit Ecclesiasticos*, sive universam Ecclesiæ Historiam à Christi in mundum adventu, usque ad annum 1200. obiitque tandem 3. Julii anno Christi 1607. ætatis verò suæ 69. Baronius.

39. *Henricus Sponda*, natione Gallus & Vasco, vir sapiens & eruditus, natus ex *Sponda* patre, qui à secretis erat *Joannæ* Navarræ Reginæ, sed quia Calvinianæ sectæ vir, ita & Henricus Sponda filius ejus, donec assiduè lectis Perronii & Bellarmini posteà S. R. E. Cardinalium eruditis de Controversia libris, abjurata Calviniana hæresi, fidem amplexus est Catholicam, & factus posteà de Catholico Clericus, Presbyter, ac tandem *Appamiarum* Galliæ Narbonensis Episcopus, qui præter *librum de Cœmeteriis sacris* editum, occasione cujusdam extumulati nobilis Calvinistæ, diœcesis Vasatensis, quo demonstrat nefas esse hæreticos simul cum Catholicis iisdem monumentis sepeliri, & si fortè sepulti fuerint, extumulandos esse; edidit insuper *Annales Ecclesiasticos*, ex 12. tomis Baronii in Epitomen redactos, tomis duobus in folio, & præterea *Annalium* ejusdem *Baronii* continuationem, ab anno, quo is desierat, usque ad finem anni 1640. obiitque Tolosæ anno 1643. & ætatis suæ anno 75. Vide *Petrum Frizon Doct. Sorb.* qui ejus scripsit vitam. Sponda.

40. *Dionysius Petavius*, natione Gallus, patria Aurelianensis, & professione Societatis Jesu, vir ingenii magni, & eruditionis profundæ, linguas apprimè callens externas, Theologus, Historicus, Orator, & Poeta eloquens, sapiens, & floridus, qui Societatem ingressus anno 1605. ætatis suæ percurrens 22. in ea tandem piè obiit Parisiis anno 1652. ætatis suæ Petavius.

69. post varia relicta Ecclesiæ scripta: inter quæ sunt 1. *Opera Synesii Ptolemaidis Episcopi è Græco latinè reddita, cum notis adjunctis*, 2. *Breviarium historicum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, cum notis Chronologicis*. 3. *Opera S. Epiphanii græcè & latinè data, notisque illustrata variis*. 4. *Opus de doctrina temporum*. 5. *Rationarium temporum*. 6. *Paraphrasis Psalmorum omnium, & Canticorum, aliaque varia, Poetica, Latina, Græca, Hebraica.*

Boleranus. 41. *Matthæus Boleranus*, patria Narbonensis, & professione Congregationis Doctrinæ Christianæ Sacerdos eruditus & pius; qui inter alios suæ sanctæ eruditionis fœtus, brevem sed mirabilem, & ubique gentium probatum, texuit Historiæ Sanctæ librum in quatuor alios subdivisum, cum hoc præfixo titulo, *Florus Sanctus*, hoc est epitome totius Historiæ Sacræ, in qua breviter, eleganter, & lucidè res gestas, & bella populi Dei, ab orbe condito ad Christum usque, recensuit, anno circiter 1655.

Bollandus. 42. *Joannes Bollandus*, natione Brabantinus, & professione Societatis Jesu, vir ingenio, stylo, & eruditione clarus, qui cœpit idiomate gallico magnum & egregium illud *historiæ vitæ Sanctorum opus*, cujus duo in folio dedit volumina magna, de vitis Sanctorum mensis Januarii, & tria pariter æquè magna alia, de vitis Sanctorum mensis Februarii: sed tandem vitas describens Sanctorum mensis Martii, morte præventus anno 1665. 12. Septembris, opus reliquit imperfectum, quod nihilominus, pari cum successu, continuatur ab aliis non minùs eruditis ex eadem Societate viris.

Ribotus. 43. *Augustinus Ribotus*, vulgò *Riboty*, è Niciensi Comitatu, & nostri sæculi, ac Congregationis Doctrinæ Christianæ Scriptor egregius, acuti ingenii, vitæ laudabilis, & exquisitæ eruditionis Auctor; qui cœptam à *Bolerano* continuans historiam, alterum ferè simile, licèt paulò fusius texuit opus, cum hoc præmisso titulo, *Florus Christianus*, hoc est, totius Historiæ Ecclesiasticæ epitome, in qua, non minùs lepidè, quàm breviter & eruditè, res in Ecclesia gestas, à Christo nato ad nostra usque tempora, 12. libris enarrat; obiitque Tolosæ 28. Julii anno 1676. dum specialem insuper, & eruditam texeret Sacrorum Ecclesiæ Conciliorum Historiam.

Savinus. 44. *Bernardinus Savinus*, Avenionensis patria, & ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ Presbyter, & Scriptor alter non minùs eruditus, vir vitæ laudabilis, mansuetæ indolis, & patiens laboris; qui universam à Christo nato ad nostra usque tempora, jam prælo paratam, & luci publicæ maturam, Ecclesiæ reliquit historiam; cui præambulum, & quasi luciferum præmisit libellum unum, cum hoc præfixo titulo, *Canon temporum*, sive probata Christi nati Epocha, ad explorandam historiæ fidem. Obiit Parisiis in domo S. Caroli 1. Julii anno 1687.

Scribunt adhuc hodie in nostra præsertim Gallia viri quamplures alii sua eruditione clari, de quibus hìc solùm dicam, quod de S. Ambrosio dixit olim Hieronymus in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis catalogo, *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, usque in præsentem diem scribit: de quo, quia superest, meum judicium substraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.*

METHODICUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM
APPARATUS.

LIBER QUARTUS.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus.

A Traditione ad SS. Eclesiæ Patres, fideles, & incorruptos Traditionis sacræ testes, progredimur; sunt enim hi venerandi post Prophetas & Apostolos magistri, de quibus, maximè de Traditionibus agens, debet quisque Theologus cum S. August. lib. 1. contra Julianum cap. 8. dicere: *Quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico*. Quod ut verè tutòque præstare valeat, & auream secutus Victoris Carthaginensis regulam, à Martino primo Romano Pontifice probatam; *Nihil noviter dicat, nihil quod non à SS. Patribus fuerit expressè traditum, vel indicatum*, sciat necesse est, Quinam sint sancti Ecclesiæ Patres, Doctoresque dicendi? Quanta sit illorum, sive singulorum, sive plurium, sive omnium simul idem asserentium, vel negantium auctoritas? Quid, ubi, & quando pro Ecclesia scripserint? Quæ sint illorum genuina, vel supposititia scripta? An, & in quibus interdum erraverint? Quare, ut hæc breviter & summatim hoc in libro prælibentur singula, sit

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint Doctores Ecclesiæ dicendi.

Licèt verum sit & indubitatum, fuisse semper, esse adhuc, & ad finem usque futuros esse varios in Ecclesia Doctores, juxta illud Pauli ad Ephesios, cap. 4. vers. 11. dicentis: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum*. Et iterùm 1. ad Cor. cap. 12. vers. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*. Falsum tamen est, eos omnes & singulos, qui Doctoris titulo gloriantur in Ecclesia, viros quantumvis scientia & eruditione claros, esse Doctores Ecclesiæ dicendos; magnum siquidem discrimen est inter esse Doctorem in Ecclesia, & esse Doctorem Ecclesiæ: Ut quis enim Doctor in Ecclesia dicatur, satis est, quòd sit fidelis, seu de Ecclesiæ Catholicæ gremio, & ab Universitate aliqua probata, Doctoris gradu ritè donatus. Ut verò quis Doctor Ecclesiæ dici possit, requiruntur in eo multò plura, videlicet eminens doctrina, insignis vitæ sanctitas ad mortem usque, & Ecclesiæ declaratio. Unde

CONCLUSIO.

Doctoris Ecclesiæ dotes sunt

Dico, *eos solos propriè Doctores Ecclesiæ dicendos esse, quos, ob eminentem doctrinam, & insignem vitæ sanctitatem, ut tales agnovit, sive recepit, vel declaravit Ecclesia; sicque ad constituendum Ecclesiæ Doctorem, tria illa requiri, videlicet eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & Ecclesiæ declarationem.*

Eminens Doctrina.

Pr. prima pars, de eminenti doctrina. Doctores Ecclesiæ censendi sunt illi soli, de quibus Christus apud Matth. cap. 5. vers. 13. ait, *Vos estis sal terræ . . . Vos estis lux mundi, &c.* illi soli juxta S. August. lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 6. *Per quos condiendi sunt quodammodo populi, illi quos elegit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum*. Atqui nulli tales esse possunt, ut toti mundo, suæ doctrinæ lumine luceant, ut suæ sapientiæ sale populos quodammodo condiant, & cæterorum errores auferant, nisi eminentis doctrinæ lumine fulgeant. Ergo nulli censendi sunt Ecclesiæ Doctores, nisi eminentis doctrinæ lumine fulgeant, imò & nisi fuerint insigni vitæ sanctitate clari; ut sic

Vitæ sanctitas.

Pr. secunda pars. 1. Ex ipsa Ecclesiæ praxi, ex eo scilicet quòd nullos usquam ut suos esse, ac dici voluerit Ecclesia Doctores, nisi & eminenti doctrina, & insigni vitæ sanctitate claruerint. 2. Quia ut visum est, Ecclesiæ Doctor debet populos suæ sapientiæ sale condire, & errantium errores auferre. Atqui ut id præstare possit, debet nedum suæ doctrinæ luce lucere, sed etiam morum exemplo clarere; seu debet nedum docere, sed etiam facere; imò potiùs facere, quàm docere, cùm Christus, qui est Magister, & Doctor omnium sanctissimus & primus, priùs cœperit *facere & docere*. Et apud Matth. cap. 5. vers. 16. in Euangelio per Ecclesiam Doctoribus adaptato, expressè dicat: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra*: & vers. 19. *Qui solverit*

unum

unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur. Ergo ut quis Doctor Ecclesiæ dici possit, non satis est, quòd eminentis doctrinæ lumine fulgeat; sed debet insuper, insigni morum, seu vitæ sanctitate clarere; imò debet insuper, ut talis ab Ecclesia recipi, sive declarari, ut sic

Pr. tertia pars. 1. Ex eo quòd, sicut nullus; quantumvis doctrina celebris, potest in Universitate ulla Doctoris titulo gloriari, nisi fuerit ab illa Doctoris gradu ritè donatus. Et sicut nullus potest, ut Sanctus in Ecclesia coli ritu publico, cultuque Sanctis debito, quantumvis vitæ sanctitate & merito clarus, nisi fuerit ex iis, quos in Sanctorum Canone adscripsit Ecclesia; ita potest nemo Doctoris Ecclesiæ titulo gaudere, quantumvis eminenti doctrina & insigni vitæ sanctitate conspicuus, nisi is, quem priùs ipsamet tali titulo decoraverit Ecclesia. Ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem, præter eminentem doctrinam, & insignem vitæ sanctitatem, requiritur Ecclesiæ declaratio, saltem aliqua, tacita, vel expressa. Ecclesiæ declaratio.

2. Ex eo quòd Doctores Ecclesiæ sunt hi, quos in decidendis fidei morumque controversiis consulit, & audit Ecclesia: sed Ecclesia, cùm non agat cæco modo, non consulit, nec audit indiscriminatim quoscumque Doctores; scit enim, & benè novit Ecclesia, non omnium esse, ea, quæ fidei sunt, docere, juxta illud Pauli ad Cor. 1. cap. 12. vers. 29. dicentis; *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* Nec omni credit spiritui, sed hos solùm consulit & audit, quos priùs maturè probaverit, & ut dignos, qui consulerentur & audirentur, elegit ac declaravit. Ergo hi soli Ecclesiæ Doctores dicendi, quos ut tales agnovit, & declaravit Ecclesia; ac proinde, præter eminentem doctrinam, & insignem vitæ sanctitatem, requiritur aliqualis, Ecclesiæ declaratio tacita, vel expressa ad constituendum Ecclesiæ Doctorem.

Objicies 1. in secundam partem. Ut quis dicatur, & sit Ecclesiæ Doctor, satis est, quòd cùm aliqua doctrinæ fama scripserit pro Ecclesia, & in nullo à fide, vel à Romanæ Ecclesiæ communione deviaverit, quin requiratur vitæ sanctitas; ergo, &c. Pr. ant. *Theophilus* Alexandrinus Episcopus, vir crudelis, & vindictæ cupidus, numeratur inter Ecclesiæ Doctores à Concilio œcumenico quinto, collatione 8. sic loquente: *Super hæc sequimur per omnia & SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Proculum, &c.* Ergo nulla requiritur in Doctore Ecclesiæ, insignis vitæ sanctitas. Resp. neg. ant. ad cujus probationem, perm. ant. neg. conseq. quia, licèt *Theophilus* Alexandrinus ibi numeretur inter Ecclesiæ Doctores, non sequitur, non requiri sanctitatem ad constituendum Ecclesiæ Doctorem, cùm sanctus fuerit & ipse Theophilus. Nec sufficit eminens doctrina sine sanctitate.

Instabis. *Theophilus* Alexand. ita fuit Joanni *Chrysostomo* infensus, tantoque erga illum motus odio, ut eum è sede dejici, & in exilium trahi fecerit; ergo non sanctus, sed crudelis & vindictæ cupidus fuit ille Theophilus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia si hæc Theophili cum Chrysostomo discordia, sive odium sufficeret ad tollendam Theophili sanctitatis famam, sufficeret etiam ad *S. Epiphanium* è Sanctorum Catalogo delendum: Epiphanius enim, dum vixit, contra Chrysostomum Theophilo adhæsit;

nec tamen hoc ab Epiphanio sanctitatis famam, & Ecclesiæ venerationem abstulit; hunc enim ubique colit, & ut Sanctum veneratur Ecclesia. Ergo nec Theophili sanctitatis famam tollere debet præfata Theophili cum Joanne Chrysostomo discordia, maximè cùm ipsum resipuisse Theophilum & sanctè finiisse constet. Esto talis fuerit olim Theophilus qualis objicitur; fuit etiam & Paulus olim *spirans minarum*, & Ecclesiæ persecutor: anne ideò minùs sanctè finiisse, & non sanctus dicendus ille Doctor Gentium, quem martyrio finiisse constat? ita & sanctè finiisse dicendus Theophilus Alexand. quem in præfato Concilio œcumenico collat. 5. sanctum ipsa vocat Ecclesia, quem beatum nominarunt ipsi Romani sub Gelasio habiti Concilii Patres.

Nec eminens doctrina cum sanctitate, nisi accedat Ecclesię declaratio.

Objicies 2. in tertiam partem. Si ad constituendum Ecclesiæ Doctorem declaratio requiratur Ecclesiæ, sequitur quatuor dumtaxat Ecclesiæ Doctores esse, videlicet *SS. Gregorium magnum*, *Augustinum*, *Ambrosium*, *& Hieronymum*: hos enim solos, aliorum nulla mentione facta, dignis honoribus venerandos proposuit Bonifacius VIII. in sua decretali, quæ incipit, *Gloriosus Deus in Sanctis suis*, habeturque in VI. lib. 3. titulo *de reliquiis & veneratione Sanctorum*, *cap. unico*. Atqui id dici non potest, cùm plures alios, præter 4. illos, veneretur Ecclesia Doctores; ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem non requiritur Ecclesiæ declaratio. Resp. neg. seq. maj. Ad cujus probationem dico Bonifacium VIII. ibi nullum de novo constituere, declarare, aut proponere venerandum Ecclesiæ Doctorem; sed solùm statuere, ordinare, & præcipere, ut per universas orbis Ecclesias, duodecim Apostolorum, Euangelistarum, & quatuor istorum Ecclesiæ Latinæ Doctorum, *Gregorii*, *Augustini*, *Ambrosii*, *& Hieronymi* Festa solemniter sub duplici celebrentur Officio; istis autem quatuor antiquis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus egregiis, & non aliis, hos decrevit honores summus ille Pontifex, quia cæteris notiores erant, eorumque doctrina magis fidelium omnium usu comprobata; unde non ideò soli, sed tantùm præcipui Ecclesiæ Doctores dicendi sunt inter antiquos quatuor isti, sicut & inter recentiores Doctores Ecclesiæ dicti, *S. Thomas* Aquinas & *S. Bonaventura*; ille Doctor Angelicus, iste Seraphicus; ille à S. Pio V. Romano Pontifice, iste à Sixto V. iisdem Doctorum honoribus speciali bulla donatus.

ARTICULUS II.

Quinam sint Ecclesiæ Patres dicendi.

QUamvis Patres Ecclesiæ post Christum dici debeant Apostoli, Euangelistæ, cæterique primævi, ac præcipui Christi discipuli, nec non Apostolorum in Christo filii successores Episcopi, de quibus olim à Regio Psalte propheticè dictum Psalm. 44. vers. 17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*, id est, inquit August. *Patres missi sunt Apostoli*, *pro Apostolis filii nati sunt tibi*, *constituti sunt Episcopi*: hi enim ut præcedentium Apostolorum filii, & subsequentium populorum Patres, perpetua successione sunt Ecclesiæ dati, ut filios Ecclesiæ continuò per Euangelium in Christo generent, vel genitos divini verbi pabulo foveant, conservent, & pascant, per se quidem, & ex officio, vel per alios in hunc

finem,

finem, ministeriumque deputatos. Qui id implent munus, non ex officio, sed ut deputati, & solo charitatis impulsu, Magistri quidem dici possunt, & Pædagogi, sive Doctores, sed non Patres, ut 1. ad Cor. cap. 4. vers. 15. insinuavit olim Paulus dicens: *Si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.* Idem & singuli suis populis insinuare possent Episcopi, ideò in Conciliis congregati, Concilii Patres vulgò nuncupati: si Concilii Patres dicendi, ergo & Ecclesiæ; in Concilio enim congregatur Ecclesia.

Ex communi tamen, probatoque Theologorum omnium usu, hìc nomine Patrum Ecclesiæ, non intelligunt Theologi, Apostolos, Euangelistas, vel primævos alios Christi discipulos, clarioribus titulis satis aliundè notos, nec Episcopos hodie per orbem dispersos, quantumvis eruditione, & vitæ sanctitate conspicuos; sed antiquos illos ac sanctos primorum sæculorum Doctores, quorum in Ecclesia scripta laudantur, & benedicitur memoria, ob eminentem doctrinam & insignem vitæ sanctitatem, perpetuamque ad mortem usque cum Romana Ecclesia communionem; seu antiquos illos fideles, qui primis Ecclesiæ sæculis, post Apostolos, doctrina & vitæ sanctitate claruere, & ad Ecclesiam in esse perfecto constituendam, hoc est, doctrina, virtutibusque formandam elaborarunt, eamque sic suæ doctrinæ radiis, & morum exemplo quodammodo genuerunt: unde, per metaphoram, translato patris nomine ad generationem spiritualem, sunt Ecclesiæ Patres vulgò, & jure nuncupati. Ex quo colligitur, ad hoc, ut quis Pater Ecclesiæ dici possit, necesse esse, ut præter conditiones pro Doctoribus assignatas, competentem antiquitatem habeat. Quod ut clariùs constet, & proposita resolvatur quæstio,

C O N C L U S I O.

1 Dico, *eos solos propriè Patres Ecclesiæ dicendos esse, quos ob eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem, ut tales agnovit, sive tacitè vel expressè declaravit Ecclesia.* Dotes SS. Ecclesiæ Patrum sunt

Pr. 1. & 2. pars, nimirùm, quòd eminens doctrina, & insignis vitæ sanctitas requirantur, & ex eo præcisè quòd hæ duæ conditiones sive dotes requirantur pro Ecclesiæ Doctoribus, ut visum est; ergo & requiruntur pro Ecclesiæ Patribus, cùm Pater Ecclesiæ dici possit nemo, nisi fuerit etiam Doctor Ecclesiæ; sunt enim Patres Ecclesiæ instructores & Doctores, quos consulit & interrogat Ecclesia, licèt non omnes sint ejusdem sapientiæ, ejusdem sanctitatis, ejusdem ponderis, eruditionis, & approbationis; sicut enim ex Apostolo 1. ad Cor. c. 15. v. 41. *Stella differt à stella in claritate*, sic & Ecclesiæ Doctor ab Ecclesiæ Doctore, in eruditione. Pr. conseq. de ratione Patris Ecclesiæ est, filios in Christo Jesu per Euangelium generare, genitos Euangelico lacte nutrire, parvulis petentibus panem verbi divini, panem frangere, eosque verbo & vitæ exemplo ad Christianam & cœlo dignam formare vitam, sicque Ecclesiam propagare, ampliare, instruere, & in esse perfecto quodammodo generare. Atqui id implere nequit Ecclesiæ Pater, nisi fuerit etiam Doctor Ecclesiæ, seu nisi eminenti doctrina, ac insigni vitæ sanctitate, cæterisque Doctoris Ecclesiæ dotibus fuerit insignitus; ergo ut quis

Eminens doctrina.

Insignis vitæ sanctitas.

sit Ecclesiæ Pater, necesse est ut eminentem doctrinam & insignem vitæ sanctitatem habeat, imò & competentem antiquitatem, ut sic

Competens antiquitas. Pr. 3. pars. Sicut in naturalibus, pater, quia est principium essendi filio, necesse est, præcedat filium, sitque prior ac antiquior illo; ita & à pari, in hac spirituali generatione, ille qui dicitur Ecclesiæ Pater, quia Ecclesiam doctrina, & vitæ exemplo, quodammodo formavit, & instruxit, ad illam in esse perfecto constituendam elaboravit, illique talis esse perfecti quodammodo principium fuit, necesse est, ut illam in hoc esse perfecto constitutam præcedat, sit prior & antiquior illa, quoad illud esse perfectum considerata; ergo & ut ad hoc requisitam competentem antiquitatem habeat: alioquin si illa careat, nullo modo Ecclesiam genuisse dici potest, nec proindè Ecclesiæ Pater vocari; juxta præfatum Pauli textum, *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.* Quod etiam requiratur Ecclesiæ declaratio, sic

Ecclesiæ declaratio. Pr. 4. pars. SS. Ecclesiæ Patres, & Doctores sunt hi, quos in decidendis fidei controversiis tenetur Ecclesia consulere, juxta illud Deuter. cap. 32. vers. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Imò & juxta Trident. Concilii decretum Sess. 4. non potest Ecclesia, nec ullus Ecclesiæ fidelis, *contra unanimem consensum Patrum*, ipsam Scripturam sacram interpretari. Ergo debet certò scire Ecclesia illum unanimem Patrum consensum, & illos consulendos Patres suos certò cognoscere; sed non potest pro certo cognoscere illos, nisi priùs eos examinaverit, probaverit, & tanquam suos agnoverit, & ut tales habendos esse judicaverit, vel usu declaraverit. Ergo ut quis habeatur pro Ecclesiæ Patre, debet per Ecclesiam declarari; ergo, &c.

Nec sufficit doctrina sine sanctitate. Objicies 1. in secundam partem. Plures sunt Ecclesiæ Patres, qui non habentur in Ecclesia pro Sanctis, ut *Tertullianus*, *Origenes*, *Eusebius Cæsariensis*, *Ruffinus*, & alii. Ergo, ut quis sit Ecclesiæ Pater, non requiritur insignis vitæ sanctitas. Resp. neg. ant. & probationem ejus: hos enim & similes laudatos viros, etsi summa ac profunda eruditione claros, suos ut Patres, vel Doctores nusquam agnovit, aut vocavit Ecclesia, quamvis eorum nonnulla probaverit, & fidelibus legenda permiserit opuscula; illos enim in multis errasse, & perpetuam cum Ecclesia Romana communionem & fidem non servasse, constat; eos autem errores retractasse suos, & ad Ecclesiam & fidem rediisse non constat: constat econtrà, eos omnes ab Ecclesia censura notatos, ut de singulis, suis locis, infrà patebit. Unde eos non ut Patres suos, sed ut suspectos, & cautè legendos viros, indicat Ecclesia; & inde est quòd meritò dicat *Alfonsus Baptista* Ord. Præd. in sua, pro Patrum auctoritate, apologetica defensione pag. 89. *Doctissimus fuit Tertullianus, sapientissimus Origenes, eruditissimus Eusebius Cæsariensis, & tamen Ecclesia nunquam Doctores suos appellavit eos, nec aliquis unquam ausus est, eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit, non solùm doctrina, sed etiam sanctitate præstantibus.* De iis tamen agemus suis in locis, quia viris fama & eruditione claris, inter Patres vulgò relatis, atque laudatis.

Nec doctrina cum sanctitate sine anti- Objicies 2. in tertiam partem. *S. Thomas* Doctor Angelicus, *S. Bonaventura* Doctor Seraphicus, & *S. Bernardus* Doctor Mellifluus, sunt verè Doctores, & Patres Ecclesiæ; sed hi non habent antiquitatem illam, ut quasi infantem adhuc Ecclesiam instruere, doctrina & virtutibus forma-

re,

re, & sic quodammodo generare potuerint; cùm Ecclesia jam esset, ante illos, doctrina & virtutibus formata; ergo, ad hoc, ut quis sit Ecclesiæ Pater, præfata non requiritur antiquitas. Resp. conc. maj. neg. min. Habent enim & isti Ecclesiæ Doctores, & Patres insigniter sancti, aliis licèt longè juniores, sufficientem antiquitatem, ut Ecclesiam doctrina virtutibusque formare, ac quodammodo generare potuerint; licèt enim ante Patres istos fuerit Ecclesia, doctrina virtutibusque formata, quia tamen isti suis scriptis amplam ad refellendas hæreses Ecclesiæ præbuere materiam, sicque eam, suo modo, ab hæresis morte præservando, illam in ea, quam profitetur fidei sinceritate, quodammodo regenerarunt, & insuper *S. Thomas* & *S. Bonaventura* à 1274. & *S. Bernardus* à 1153. annorum antiquitatem habeant, meritò possunt, & debent, insigni Patrum & Doctorum Ecclesiæ titulo donari, & reipsa fuere donati *Bernardus* quidem longè post alios antiquiores Ecclesiæ Patres, unde Patrum posthumus vulgò dictus, & tandem post Bernardum, *Thomas* & *Bonaventura*; ille quidem à S. Pio V. iste à Sixto V. eaque potissimùm de causa, quòd hi duo, quasi duo fulgentia Ecclesiæ lumina, scholasticam Theologiam, ad resistendum hæresibus, à Deo Ecclesiæ datam, disposuerunt, illustrarunt, & ampliarunt; sicque Ecclesiam suo modo, quoad valdè utilem ac necessarium cognoscendi modum, regenerarunt; si isti duo meritò Patrum Ecclesiæ titulo ideò donati; ergo & istis antiquior, nec sanctitate aut cœlesti doctrina minor *S. Bernardus*, qui non minùs pro Ecclesia ab hæresibus, & dissidiis purganda, ac reformanda desudavit; qui Petrum *Abailardum* in Concilio Senonensi, *Gilbertum Porretanum* in Remensi, similiter & *Henricum*, non rectè sentientes convicit, ac repressit; qui Cisterciensi Ordini, ac proinde & Ecclesiæ novum splendorem, & incrementum maximum dedit; qui summos Ecclesiæ Pontifices & monuit, & juvit, variaque alia, magni momenti, pro Ecclesia feliciter gessit.

quitate & Ecclesiæ declaratione.

ARTICULUS III.

Utrùm SS. Ecclesiæ Patres sint infallibiles in fidei discernenda materia.

Sciendum est priùs SS. Ecclesiæ PP. & Doctores spectari posse 1. vel ut sunt homines præcisè, vel ut sunt Ecclesiæ Patres, & Doctores à Deo Ecclesiæ dati, quales intelligit Paulus 1. ad Cor. cap. 12. vers. 28. dicens: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.*

2. eosdem, sive ut homines, sive ut Patres & Doctores Ecclesiæ posse iterùm considerari, dum loquuntur, vel ut loquuntur singulatim, hoc est quilibet seorsim, vel conjunctim, hoc est simul omnes, vel non singulatim, neque conjunctim omnes, sed pauci tantùm.

3. denique eosdem spectari posse, vel dum loquuntur in materia fidei, & solo supernaturali lumine cognoscibili, vel in merè naturali & ad fidem non spectante, solisque naturæ viribus cognoscibili doctrina. His positis,

CON-

CONCLUSIO.

Dico, *nullius seorsim sancti Ecclesiæ Patris, imò nec plurium aliquorum idem sentientium, contradicentibus, vel tacentibus cæteris; benè autem omnium simul sumptorum, & unanimiter idem asserentium sententiam esse infallibilem in fidei discernenda materia*; & sic

Nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus, est infallibilis.

Pr. 1. pars. 1. Quia nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus, sive consideretur ut homo, sive ut Ecclesiæ Pater & Doctor, habet donum infallibilitatis; nam si haberet, vel ex se, vel ex Christi promisso; non habet ex se, cùm ex se sit homo fallibilis & mendax; non etiam ex Christi promisso, cùm Christus nulli privato homini, nullique Ecclesiæ Patri, vel Doctori privato, sed soli Ecclesiæ, tale donum promiserit; ergo nullius privati seorsim loquentis Ecclesiæ Patris, quocumque modo, & quacumque in materia considerati sententia, sive auctoritas est infallibilis.

2. Quia id fatentur & ipsi SS. Ecclesiæ Patres; ait enim S. Hieron. epist. ad *Ctesiphontem*: *Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui tractatores; illos semper verum dicere, istos in quibusdam, ut homines errare contingit*; & S. August. epist. 19. ad Hieron. idem sentiens, sic ait: *Alios ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ita senserunt ipsi, sed quia mihi, vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non aberrant, persuadere potuerant*; & lib. de bono perseverantiæ cap. 21. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros in quibus opuscula mea retractanda suscepi*. Ergo supponunt & sentiunt isti SS. Patres, aliis omissis, se fallibiles esse, & errare posse singulatim sumptos.

3. Quia variis exemplis eos sæpè errasse constat: nam erravit ille quantumvis doctus & sanctus, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse credidit; erravit ille qui in Christi corpore pœnas doloresque fuisse negavit; erravit ille qui in millenariorum dogma descendit; erravit ille qui justis morte raptis, ad extremi usque judicii diem, veram felicitatem ademit; erravit ille, nec verum dixit, qui animam hominis, ex traduce fieri putavit; erravere denique hi omnes, qui Angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos fuisse putarunt. Ergo eos omnes singulatim sumptos fallibiles esse constat; ac proinde nullius cujuslibet privati, infallibilis esse potest auctoritas; imò nec plurium aliquorum, contradicentibus, vel tacentibus cæteris, ut sic

Nec plures aliqui contradicentibus cæteris.

Pr. 2. pars. Quia multi sæpè de aliquo dogmate convenere SS. PP. imò & major illorum pars, quod tamen non est de fide, quia refragantur cæteri; ergo infallibilis non est illorum auctoritas in discernenda fidei materia sive doctrina. Pr. ant. Multi SS. PP. ut *Basilius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Gregorius magnus*, *Damascenus*, & alii, docent, istius mundi creaturarum universitatem, non simul, hoc est, non in instanti, sed sex dierum spatio fuisse productam; & tamen hoc non est fidei dogma, quia oppositum tenet *S. Augustinus*. Multi pariter SS. PP. Moysen in hac vita existentem, Dei essentiam non vidisse tenent, ut *Hieronymus*, *Nazianzenus*, *Gregorius magnus*, *Chrysostomus*, *Cyrillus*, *Leo*, *Dionysius* & alii; nec tamen hæc illorum sententia fidei dogma

est,

eſt, quia contradicit *S. Auguſtinus* cum paucis aliis, & probabilis illius à multis judicatur opinio. Ergo etiam plurium SS. PP. auctoritas, contradicentibus, vel tacentibus aliis, infallibilis non eſt in diſcernenda fidei materia; benè autem auctoritas omnium idem unanimiter aſſerentium, ut ſic

Pr. 3. pars. 1. Quia non eſt poſſibile, illos omnes ſimul ſumptos errare, qui ſunt à Deo Eccleſiæ dati, ut Eccleſiam ab errore præſervent; aliàs, illis errantibus erraret Eccleſia, quod eſt contra promiſſum Chriſti dicentis de Eccleſia Matth. 16. verſ. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Atqui SS. Eccleſiæ PP. & Doctores ſunt ex iis, qui ſunt à Deo Eccleſiæ dati, ut illam ab omni errore præſervent, juxta illud Pauli ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. dicentis: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*. Ergo impoſſibile eſt SS. Eccleſiæ Patres & Doctores omnes ſimul ſumptos, de aliquo, tanquam de fidei dogmate, unanimiter conſentientes errare, & falli; ergo illorum omnium ſimul ſumptorum infallibilis eſt auctoritas in diſcernenda fidei doctrina.

Benè autem omnes ſimul ſumpti unum & idem unanimiter affirmantes vel negantes.

2. Quia ex Eccleſiæ mente id manifeſtè confirmatur: profitetur enim Eccleſia in Conciliis congregata, dum quid de fide credendum proponit ac definit, ſe SS. Patrum ſequi fidem & mentem; unde in Chalcedonenſi Concilio conclamatum olim, *Hæc eſt fides Patrum*; unde in Concilio Viennenſi dictum à Clemente V. *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis aciem convertentes, ſacro approbante Concilio declaramus*; unde & in Tridentino Conc. Seſſ. 4. in decreto de editione & ſacrorum librorum uſu, ſpecialiter ſub pœna anathematis prohibitum eſt, *ne quis Scripturam ſacram contra unanimem SS. PP. ſenſum interpretari audeat*. Supponit ergo ſancta mater Eccleſia infallibilem eſſe unanimem SS. Patrum conſenſum in explicanda Scriptura, ac proinde in diſcernenda fidei doctrina in Scriptura, vel Traditione contenta, ergo &c. Dixi in materia fidei: nam in alia quacumque naturali, & lumine naturali cognoſcibili materia, non eſt mirum, ſi fallibilis ſit eorum etiam unanimis ſententia, nec majorem certitudinem, quàm ratio qua nituntur, habeat.

Objicies 1. in primam partem. Singuli Eccleſiæ PP. & Doctores, eorumque ſcripta approbantur ab Eccleſia; ergo ſupponit Eccleſia nullum ex his erraſſe, ſingulóſque ut infallibiles proponit audiendos. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. quia approbatio qua per Eccleſiam approbantur SS. PP. & DD. Eccleſiæ ſcripta, non eſt definitio, ſed permiſſio: non eſt definitio, qua determinentur ut infallibilia, & cum obligatione ſequendi; ſed qua ſolùm recipiuntur, & legi permittuntur ut utilia, vera, catholica vel probabilia; nam illa SS. PP. ſcripta, vel continent fidei dogma, vel ſunt de rebus ad fidem non ſpectantibus, vel errores contra fidem continent aliquos; ſi primum, ea approbat ut vera & catholica; ſi ſecundum, ea ſolùm recipit & permittit ut probabilia; ſi tertium, ea non approbat nec recipit, ſed excipit Eccleſia, ut conſtat de multis à Gelaſio

Objectionibus occurritur variis.

lasio exceptis, in Concilio Romano 70. Episc. cap. *Sancta Romana Ecclesia* dist. 15. aut si non excipit, ideò non excipit, quia nondum satis constat, id quod continent, contra fidem esse, & aliunde aliquid probabilitatis habet; unde est, quòd licèt pugnantia loquantur interdum SS. PP. & neget unus quod alter affirmat, & utriusque scripta approbet Ecclesia, non sequitur quòd pugnantia & contradictoria approbet Ecclesia, quia utriusque approbat scripta, ut solùm probabilia; duo autem probabilia, ut probabilia, nec contradictoria sunt, nec opposita.

Objicies 2. Si singuli Patres fallibiles sint, frustrà ergo illorum auctoritate utitur argumentando Theologia. Resp. neg. conseq. quia licèt fallibiles sint SS. PP. & non infallibilis eorum auctoritas, est tamen talis ac tanta, ut sententiam faciat probabilem, juxta illud S. Th. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. loquentis de sacra Theologia, & dicentis: *Utitur autem auctoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter.* Quod intelligendum est de auctoritate singulorum seorsim sumptorum; nam ex auctoritate omnium simul sumptorum, & idem asserentium argumentatur plusquam probabiliter, cùm unanimis SS. PP. consensus sit infallibilis, & fundet Ecclesiæ definitionem.

Instabis. Singuli Patres fallibiles sunt; ergo & omnes simul sumpti. Resp. neg. conseq. 1. quia non est moraliter possibile, omnes simul sumptos falli, benè autem singulos seorsim spectatos. 2. quia singulis non est infallibilitas à Christo promissa; benè autem omnibus simul sumptis, cùm sit Ecclesiæ promissa, & non possit infallibilitas Ecclesiæ stare, nisi infallibilis sit unanimis SS. Patrum consensus, qui fundat Ecclesiæ definitionem, seu quem sequitur, & sequi tenetur suis in definitionibus Ecclesia; vel si infallibilitatem non habeant ex Christi promissione SS. Patres omnes simul sumpti idem affirmantes, illam saltem, eos habere constat ex Ecclesiæ approbatione & usu, quo constat, Ecclesiam sequi, & sequendum præcipere unanimem SS. Patrum consensum.

Objicies 3. Difficile est, ac ferè impossibile, explorare & invenire omnium SS. Patrum consensum, cùm multorum nos lateant opera, & plurium perierint scripta; ergo unanimis omnium consensus, frustrà proponitur ut sequendus & infallibilis. Resp. neg. ant. 1. quia, ut optimè advertit *Gamachæus*, & alii cum illo, ille unanimis SS. Patrum consensus non est mathematicè sumendus, ita ut ne quidem unus, ex omnibus omnium temporum Patribus, desit; sed moraliter, ita ut sit consensus omnium circiter, vel ferè omnium, eo modo quo res morales sumi debent: moralia autem moraliter sunt intelligenda. 2. quia juxta regulam Eminentissimi Cardinalis Perronii, in erudita ad majoris Britanniæ Regem responsione, *tunc unanimis Patrum consensus cumulatè probatus æstimari debet, cùm singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper Orthodoxus, semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

Objicies 4. Hæreticus non esset, qui negaret doctrinam aliquam nondum ab Ecclesia definitam & propositam, quam tamen de fide teneret unanimis SS. Patrum consensus; ergo unanimis SS. Patrum consensus non reputatur infallibilis in discernenda fidei materia. Resp. dist. ant. Non esset hæreticus formaliter & præcisè, quatenus illam negaret contra unanimem SS. Patrum consensum; conc. Non esset hæreticus consequenter & illativè, sive præsumptivè; neg. ant. Ratio est, quia præsumeretur nega-

re

re infallibilitatem Ecclesiæ, quæ est de fide; præsumeretur autem negare infallibilitatem Ecclesiæ, si negaret doctrinam aliquam contra unanimem SS. Patrum consensum, quem sequitur, & sequendum proponit Ecclesia. Unde licèt doctrina illa, quam unanimis PP. consensus tenet esse de fide, sit de fide; non est tamen de fide catholica, & sub pœna hæresis credenda, donec fuerit supremo Ecclesiæ judicio definita, & omnibus ad credendum proposita.

ARTICULUS IV.

Assignantur nonnullæ in legendis SS. Ecclesiæ Patribus observandæ regulæ.

UT sine abusu, magno cum fructu, & debita cum reverentia legat, intelligat, & laudet sanctos Ecclesiæ Patres, nedum noster aliquando Candidatus, sed etiam jam peritus & doctor quisque Theologus, Regulæ ab erudito SS. PP. lectore servandæ.

CONCLUSIO.

Dico, *in legendis SS. Ecclesiæ Patribus, istas, inter alias, à lectore perito servandas esse regulas.*

1. est, ut diligenter attendat, *quando*, hoc est, quo sæculo, quo anno, quo imperante, quove sedente Romano Pontifice scripserit ille, cujus scripta legit, sanctus Ecclesiæ Pater; id enim si diligenter observet, deprehendet sæpè, non in hæresim lapsum, quem interdum lapsum fabulantur, vel calumniantur hæretici. Sic v. g. *Papiam, Justinum* & *Irenæum*, quantumvis fabulosam, & hæreticam hodie, de millenario Christi in terris regno, sententiam secutos, minimè tamen in hæresim lapsos esse comperiet, si advertat sententiam illam eo tempore, quo illi SS. vixere Patres, nondum ut hæreticam fuisse damnatam; sic & *S. Cyprianum*, quantumvis varia pro rebaptizandis hæreticis certamina passum, ab omni hæresis labe purum deprehendet, si dogma de non rebaptizandis hæreticis, tempore S. Cypriani, ut de fide nondum definitum fuisse consideret; sic & *S. Augustinum*, quantumvis animam ex traduce fieri censuerit, nullatenus errasse noscet, si tempore quo ita censuit, hac de re nondum ultimo Ecclesiæ judicio decisa, varias fuisse Catholicorum sententias, & unicuique in suo sensu abundare licitum observet; sic & plures alios non errasse, quos errasse mentiuntur hæretici. 1. Ut observet quando scripserit ille, cujus scripta legit.

2. est, ut *observet scribentis ætatem*, an videlicet juvenis esset dum scriberet, an in virili ætate, vel in senili; experientia enim constat, etiam in nobis, plura nos sentire & probare juvenes, quæ grandiores facti, & maturiùs assecuti revocamus. Testes sunt omni exceptione majores duo S. Augustini Retractationum libri, in quibus jam senex multa retractat quæ junior incautè protulit; unde est quòd Bellarminus sapienter dicat, *Quàm aliter sapiat Augustinus senex, quàm Augustinus juvenis.* 2. Ut observet scribentis ætatem.

3. est, ut ad scribendi *causam & occasionem* attendat, hoc est, advertat *contra quos*, & qua occasione, scripserint interdum SS. Patres, ut genuinum illorum attingat sensum; sic v. g. ut *Sanctum Hilarium* Pictaviensem 3. Ut ad scribendi causam & oc-

Epi-

casionem attendat.

Episcopum non errasse videat, dum lib. 10. de Trinitate, Christum Dominum omnis doloris sensus expertem fuisse, ac proinde nullum sensisse dolorem asseruit, advertat S. Hilarium scribere contra Arianos Christum Dominum Deum esse negantes, utpote quia doloribus & passionibus obnoxium multis; & intelliget Hilarium loqui de Christo Domino, non ratione humanitatis passibilis & mortalis, sed ratione divinitatis impassibilis & immortalis considerato.

4. Ut advertat quomodo, an per modum concionantis, vel simpliciter loquentis scribat.

4. est, ut advertat *quomodo?* an per modum concionantis, vel per modum viri simpliciter loquentis, quia ut observat *Vincentius Lirinensis*, verba à SS. Patribus concionando prolata, non sunt in rigore semper intelligenda; sed interdum tanquam ex zelo quodam, & hyperbolicè dicta. Sic v.g. dum *S. Joannes Chrysostomus* suum concionando hortatur populum ad assiduam sacræ Scripturæ lectionem, non est voluisse censendus, sicut eum voluisse perperam censent nostri temporis hæretici, ut omnes indiscriminatim, etiam indocti, & instabiles, etiam rudes, & ignaræ mulierculæ, divinæ Scripturæ vacarent, sub pœna salutis; alloquitur enim Græcorum multitudinem Theatris, Scenis, Spectaculis, Poetarumque fabulis intentam, & divinarum Scripturarum insciam; idque ægro ferens animo, vehementi concionantis zelo raptus, ut hos omnes ab his avertat fabulis, cæterisque malorum periculis, ad divinam Scripturam legendam hortatur omnes; legendam scilicet à sapientibus & peritis, audiendam verò ab aliis rudibus & indoctis; vel si legendam, cum debita licentia legendam.

5. Ut si dura vel antiquata Patrum dicta legat, ne mutet, vel corrigat, sed reverenter exponat.

5. est, ut *si dura vel antiquata Patrum dicta* reperiat, caveat, ne corrigat, hoc est, quando reperiuntur SS. Patrum locutiones aliquæ duriores, nec ampliùs in Ecclesia usu receptæ hodie, caveat ne corrigat illas, aut mutet, vel in usum trahat, sed benignè & reverenter exponat; non corrigat aut mutet, quia hoc non esset Patres interrogare, sed docere; non in usum trahat, sive usurpet, quia ad tollendum erroris periculum, & occasionem, eas non ampliùs usurpat Ecclesia. Sic v. g. licèt Christus dicatur interdum à SS. Patribus *homo Dominicus*, non est hujusmodi usurpanda locutio, quia eam hodie non usurpat Ecclesia; nec corrigenda tamen aut mutanda, sed piè & reverenter explicanda: dicendo nempe, sic Christum à SS. Patribus *hominem Dominicum* vocatum olim, non ratione suppositi, qui Dominus est, & non aliquid Domini; sed ratione humanæ assumptæ naturæ, quæ est natura & instrumentum Domini. Sic quando *S. Basilius* & alii cum Tertulliano dicunt interdum, in Eucharistiæ Sacramento *panem esse figuram Corporis Christi*, non est pariter hæc corrigenda, mutanda, vel usurpanda locutio, quia eam non usurpat Ecclesia; sed benignè & modestè explicanda, dicendo nempe, quòd quamvis Corpus Christi sit verè in hoc venerabili Eucharistiæ Sacramento, ut ipse *S. Basilius*, aliique cum tota Ecclesia fatentur passim alibi SS. Patres; tamen quia hic non apparet nobis in propria & naturali specie, atque figura, sed sub specie & figura panis, ideò dicitur à SS. illis Patribus, esse ibi in figura, seu sub figura, sive sub specie panis; sicque, & in hoc solo sensu, panis figura Corporis Christi dicitur ab illis, & his præsertim temporibus antiquis, quibus hujusmodi loquendi modi nondum erant satis Ecclesiæ judicio limati, & examinati.

6. Ut si quid obscurum,

6. est, ut *si quid obscurum* vel fidei non satis congruum inveniat in aliquo Patris Ecclesiæ textu, explicet per ea quæ clariùs dixerit in alio. Sic

v. g.

v.g. si quis perperam credat, S. Chrysostomum homilia 14. in Joannem, possibilitatem visionis Dei negare, dum super illud Joannis, *Deum nemo vidit unquam*, ait: *Nam id quod est Deus non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli*, facilè intelliget eum, non de visione Dei intuitiva, sed de comprehensiva loqui, ex iis, quæ dixit alibi, præsertim dum in parænesi ad Theodorum lapsum cap. 7. exponens illud Petri, *Bonum est nos hìc esse*, ait: *Quid dicemus quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, neque per ænigma, sed facie ad faciem, non ampliùs inquam per fidem, sed per speciem?* si enim Deum facie ad faciem nos aliquando visuros asserat, Deum consequenter videri posse tenet, ac proinde in priori præfato loco, dum ab Angelis vel ab Archangelis Deum videri negat, non de intuitiva, sed de comprehensiva Dei visione loqui censendus, sicque Chrysostomus per Chrysostomum explicandus.

vel fidei nō satis congruum reperiat in aliquo Patris textu, explicet illud per ea quæ clariùs dixerit in alio.

7. est, ut *in vertendis, vel interpretandis* SS. Patrum scriptis, non tam ad verba quàm ad sensum attendat: reprehensus enim olim à Ruffino *S. Hieronymus*, quòd non rectè vertisset *S. Epiphanii* ad *Joannem* Jerosolymitanum epistolam, se non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum vertisse, & hoc SS. PP. scripta vertendi genus optimum esse, respondit, *Epist.* 101. *ad Pammachium*.

7. Ut vertens vel explicans PP. nō tam ad verba, quàm ad sensum attendat.

8. denique est, ut observet, quòd, si duos, vel plures interdum SS. Patres *opposita sentire* videat, ita ut unus neget, quod alter affirmat, neutrum increpet, vel damnet; sed singulorum Catholicæ mentis intentionem excuset, & Dei providentiam adoret, quæ sic eos inter se opponi fortè sinit, ut sic ex oppositarum opinionum conflictu eruatur & elucescat veritas, sicut ex duorum collisione lapidum elicitur, & elucescit elicitus ignis. Sic olim *Paulus* restitit *Petro*, *Polycarpus Aniceto*, *Cyprianus Stephano*, *Theophilus & Epiphanius Chrysostomo*, *Augustinus Hieronymo*, & ex eodem Dei zelo, multoties alibi, sanctus sancto. Sic & hodie de multis sub judice pendentibus adhuc, disputat schola cum schola, Thomista cum Scotista, Doctor cum Doctore, Theologus cum Theologo, Catholici licèt hi omnes, & pro fide Catholica mori parati singuli.

8. Ut si duos Patrum inter se discordes inveniat, neutrum damnet, sed utriusque mentem catholicam excuset.

His regulis ita positis atque prævisis, sciat insuper SS. Ecclesiæ Patres, quorum scripta laudantur in Ecclesia, in tres quasi classes posse distribui, quarum *prima* sit eorum, qui Apostolicis, aut immediatè proximis floruere temporibus usque ad S. Irenæum. *Secunda* eorum, qui post Apostolica tempora, ad quintam usque œcumenicam vixere Synodum, anno Christi 553. sub *Vigilio* Romano Pontifice coactam. *Tertia* denique eorum, qui deinceps claruere ab hac œcumenica Synodo ad sanctum usque Thomam Doctorem Angelicum, & Bonaventuram Doctorem Seraphicum.

Ut hos omnes singillatim agnoscat, & in promptu quisque secernat, nec si fortè cognomines, interdum confundat, juvat eos hìc cum suis scriptis, hoc ordine, sequentibus articulis depingere, ut cognomines omnes, licèt diversæ Classis, diversique temporis; imò & nonnullos interdum alios, non SS. Patres, sed scriptores Ecclesiasticos, quia cognomines, vitæque sanctitate, aut eruditione claros, & in scholis sæpè laudari solitos, eodem complectemur articulo.

ARTICULUS V.

De sancto Martiali. An. 74.

S. Martialis missio, gesta, & obitus.

QUamvis dubium sit, & sub judice pendeat adhuc, quo tempore, an primo scilicet, vel tertio tantùm sæculo, cum sociis in Gallias primùm venerit *S. Martialis* Lemovicensis Episcopus primus; communis tamen & antiqua Lemovicensium traditio, pluriumque veterum Breviariorum & Martyrologiorum lectio tenet, eum à *Petro* missum venisse primo nascentis Ecclesiæ sæculo, & esse illum, qui dicitur de tribu Benjamin, Stephani Protomartyris consanguineus, à S. Petro, Christo jubente, baptizatus ætatis anno 15. unus è 72. Christi discipulis, illeque vulgò creditus, de quo adhuc puerulo, Christus Matth. cap. 18. vers. 4. dixit olim: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno Cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*: & de quo iterùm Joan. cap. 6. vers. 9. *Andreas* in Deserto Christo dixisse fertur, *Est puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces*; qui puer sive juvenis, ut ex Lemovicensis Ecclesiæ Martyrologio constat, post baptismum, tribus permansit annis cum Christo, & tredecim cum Petro, quinque videlicet Jerosolymis, septem Antiochiæ, & uno Romæ; unde tandem à Petro Apostolorum principe in Galliam Aquitanicam missus, cum *Austricliniano* & *Alpiniano*, ibi per 28. annos, in Episcopali ministerio, vixit Lemovicensium Episcopus primus, tandemque post varios irradiatos Euangelica luce Galliæ populos, videlicet Tolosanos, Burdigalenses, Ruthenenses, Arvernos, Mimatenses, & alios, post eversa varia Gentilium idola, post edita miracula plura, & inter alia, post mortuum, solo contactu baculi sibi à Petro traditi, suscitatum, post primam in Gallia Ecclesiam sub S. Stephani Protomartyris nomine, Lemovicæ, Christo dicatam, Spiritu sancto plenus, cum magna & indicibili gloria è terris in cœlos migravit, anno ætatis suæ 59. Apostolatus verò, sive Episcopatus sui 28. & à Christi ad Cœlos ascensu 40. ac proinde anno post Christum natum 74. relictis, ut fertur, epistolis duabus, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, tom. 2. edit. Lugd.

Duæ S. Martialis Epistolæ.

1. Est *ad Burdigalenses* jam in Christo renatos directa & 13. complectens capita, in qua jam absens *Martialis* eorum in memoriam revocat ea, quæ præsens docuerat, ut eos in fide confirmet, ut hæc ejus indicant verba, quibus cap. 11. sic ait, *Hoc etenim vobis scribere necessarium duxi, sicut & præsens docui vos, per Euangelium Christi, volens vos confirmare in veritate fidei nostræ per quam sanati estis ab infidelitate, ut firmam fidem vestram custodiatis, &c.*

2. Est *ad Tolosanos* pariter in Christo regeneratos directa & 28. capitibus diffusa, qua hortatur eos ad perennes Deo gratias agendas de sua per baptismum regeneratione, & à damnationis æternæ caligine per Christum ereptione, dum sic incipiens ait, *Servus Dei Apostolus Jesu Christi, Martialis Cephas omnibus fratribus, qui sunt Tolosæ cum Sacerdotibus & Ministris*

nistris spiritualibus Ecclesiarum Dei, gratia vobis & veritas & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo; gratias agite Deo incessanter, filii, qui eripuit vos à profunda caligine damnationis æternæ ... Varia deinde tradit eis tum fidei, tum vitæ Christianæ documenta, & eorum in memoriam revocat, ea quæ jam apud eos euangelizaverat, cap. 22. dicens: *Mementote verò sermonis mei, quem sæpè dicebam vobis, quanta, & qualia in cœlo parata sunt sanctis & timentibus Deum, &c.* Qua etiam in epistola cap. 13. testatur se fuisse cum Christo eo tempore, quo Judas osculo Christum tradidit, dum sic ait: *Nam & discipulo suo, à quo tradendum se noverat, dulcedine suæ bonitatis nobis trementibus & intuentibus sævitiam eorum, qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit.*

Epistolæ duæ S. Martialis vulgò dictæ.

Piæ quidem epistolæ illæ, imò & utiles forent ad firmanda varia Ecclesiæ dogmata, contra nostri temporis hæreticos, qualia sunt v. g. *sacrosanctum Missæ sacrificium, signum crucis, Sanctorum cultus*, & alia non pauca, si genuinas S. Martialis epistolas, & primo illo sæculo scriptas esse constaret; sed suppositicias & non genuinas esse, colligitur ex multis:

1. Quia passim in his citantur sacræ Scripturæ textus, juxta S. Hieronymi versionem, quod evidens signum est, eas non S. Martialis esse primo viventis sæculo, sed auctoris S. Hieronymo recentioris, Martialique proinde longè posterioris.

2. Quia nullibi usquam apud decem primorum sæculorum auctores invenitur de iis mentio facta, primùmque reperta narrantur in S. Petri Lemovicensis sacrario, anno circiter 1060. & tandem longè pòst in lucem editæ, circa annum 1521.

3. Quia harum epistolarum auctor dicit epist. 2. cap. 13. se cum aliis discipulis interfuisse, quando Judas osculo Christum prodidit, quod videtur Euangelio repugnare, memoranti solos 12. dum eos memorat, qui interfuere cum Christo, cœnæ; ait enim Matth. cap. 26. vers. 21. & Marc. cap. 14. vers. 17. Christum cum duodecim Apostolis cœnam celebrasse, cum iisdem in hortum ingressum fuisse, ac deinde cum iisdem obviàm venisse proditori Judæ: *Vespere autem facto venit cum duodecim: & discumbentibus eis & manducantibus, ait Jesus, &c.* Ergo harum epistolarum auctor esse nequit S. Martialis; id enim non diceret S. Martialis, qui non fuit de duodecim Apostolis, sed de 72. discipulis unus. Hæc & plura de S. Martiali, vide apud *Baronium* anno Christi 74. *vetera Breviaria Lemov. Burdigal. Bituric. Suession. Galliam Christianam*, & alios communiter opinantes, illum Apostolicis vixisse temporibus, & primo in Gallias venisse sæculo, licèt eum non ante tertium venisse sæculum, reclament eruditi plures alii.

ARTICULUS VI.

De utroque Clemente, Romano videlicet & Alexandrino.

Ne audito S. Clementis nomine intelligatur statim & ubique illustris ille nascentis Ecclesiæ martyr S. Clemens Christi quondam in terris Vicarius, hujus nominis primus, & S. Petri successor tertius, ideò hìc prævìè distinguendus ab Alexandrino, & seorsim prænoscendus uterque.

De S. Clemente Romano. 102.

S. Clementis ortus, gesta & obitus, ex *Niceph. Greg. Tur. Brev. Rom. Baron. &c.*

S. Clemens patria Romanus, Faustiniani filius, Apostolorum coadjutor & discipulus, quartus post *Petrum*, *Linum* & *Cletum*, & sui nominis primus Romanus Episcopus, (cujus meminit Paulus ad Philip. cap. 4. vers. 3. dicens: *Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*;) hic est summus ille Pontifex, qui septem Urbis regiones divisit olim septem notariis, singulas singulis attribuens, qui Martyrum passiones & acta diligenter conscriberent; is est ille S. Petri successor verè Apostolicus, qui cùm doctrina & vitæ sanctitate multos ad Christi fidem converteret, ab Imperatore Trajano relegatus est trans mare Ponticum ad Chersonesi Tauricæ deserta; quibus in locis aquarum penuria siccis & aridis, ut Christianis succurreret numero multis ibi detentis & ad secanda marmora ab eodem Imperatore damnatis, suis precibus à Deo fontem aquarum obtinuit, quo miraculo Præfectus Imperatoris non ad Christi fidem conversus, sed in iram potiùs concitatus, Clementem in mare alligata ad collum anchora submergi præcepit; quo submerso B. Pontifice & orantibus ad littus Christianis, (si credamus *Niceph. Greg. Turon. Breviar. Rom. Baron.* & aliis) ad tria millia recessere maris undæ, quod spatium ab aquis relictum ingressi fideles ædiculam in templi formam invenere marmoream, & intus lapideam arcam in qua reconditum quiescebat beati Clementis corpus; sicque prò fide catholica aquis submersus obiit sanctus ille Pontifex nono sui Pontificatus anno, Imperii Trajani tertio, & Christi 102. die Novemb. 23. scripto relictis variis, ut dicitur, suæ doctrinæ monumentis, sed è quibus, saltem ex iis quæ circumferuntur, genuina & indubitata perpauca; sunt autem

Scripta S. Clementis vulgò dicta.

Scripta S. Clementis Romani nomine vulgata.

Duæ ad Corinthios Epistolæ.

1. *Duæ ad Corinthios epistolæ*, in quarum prima, occasione seditionis apud Corinthios exortæ, hortatur eos ad fraternam concordiam & humilitatem, dicens inter alia: *Humiles ergo mente simus, fratres, fastum omnem, superbiam, amentiam & iras deponentes, &c.* hæc verò genuina & pro Clementis epistola est ab omnibus probata, cùm de ea loquatur S. Hieron. dum suo in cat. Scriptorum Eccl. de S. Clemente loquens dicit: *Scripsit Clemens scilicet ex persona Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valdè utilem epistolam, quæ in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur charactëri epistolæ, quæ sub Pauli nomine fertur, convenire*. Et hæc reperitur in 1. tom. Conc. editionis Parisien. an. 1671. Altera verò, quæ sub Clementis nomine fertur, & cujus solùm pars reperitur ibidem, reprobatur à veteribus, inquit S. Hieron. post Eusebium; eam tamen genuinam esse contendunt aliqui, & de illa intelligendum esse S. Hieronymum, dum lib. 1. contra Jovinianum cap. 7. de *spiritualibus Eunuchis ait, Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque penè sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit*.

Duæ ad Jacobum aliæ.

2. *Duæ aliæ epistolæ ad Jacobum fratrem Domini*, in quarum prima narrat Clemens, quomodo S. Petrus ipsum invitum successorem elegerit suum, & omnia præcepta ab eodem sibi tradita explicat; & in altera de Sacramentis, de

de sacratis vestibus ac vasis, Jacobum instruit: supposititiæ, & non à Clemente scriptæ reputantur communiter ab omnibus, idque manifestè patet, de prima quidem, quia in ea significatur Jacobo S. Petri obitus; ergo scripta est post obitum S. Petri, ac proinde ad Jacobum fratrem Domini & Jerosolymorum Episcopum scripta esse nequit, cùm constet ante S. Petri obitum Jerosolymis occisum obiisse Jacobum; ergo non est Clementis, vel si Clementis est, ad Simonem fratrem Domini, non ad Jacobum scripta est, ut opinantur *Bellarm.* & *Possevinus*. De altera verò patet, eam Clementis non esse, cùm in ea auctor instruat Jacobum de Sacramentis, vestibus sacris atque vasis, & non sit credibile Clementem Apostolorum discipulum de his instruisse Jacobum Apostolum.

3. *Tres epistolæ aliæ ad diversos*, quarum 1. est ad Coepiscopos, Presbyteros, Diaconos ac reliquos generaliter Clericos & fideles, & in qua agit de officio Sacerdotis & Clericorum. 2. Est scripta à Clemente discipulis suis Julio & Juliano, (qui malorum hominum persuasionibus à recta via tantisper declinaverant) & gentibus inter quas habitabant directa. 3. Denique, quæ fertur sub nomine Clementis, est ab eo suis scripta discipulis & directa Jerosolymitanis, in qua agit de vita communi ac reliquis, seu in qua contendit auctor omnia, quæ sunt hoc in mundo, communia esse debere, & communem omnium usum, etiam uxorum, quod non sapit S. Clementem, estque desumptum ex lib. 10. Recognit. & dictum à *Faustiniano* Ethnico, & rejectum à S. Clemente, dum in epistola 1. ad Corinth. dixit, *Uxores nostras ad id quod bonum est emendemus, amabiles castitatis mores ostendant*. Unde & ex styli diversitate à stylo epistolæ Clementis ad Corinth. colligunt eruditi communiter omnes, suppositiitias & non Clementinas esse tres epistolas istas. Et tres ad diversos aliæ.

4. *Recognitionum libri* 10. ad Jacobum fratrem Domini, qui incipiunt, *Ego Clemens in urbe Roma natus*, quique nihil sunt aliud, quàm 10. libri S. Clementi vulgò tributi, in quibus B. Clemens S. Petri discipulus suam historiam incipiens à sua sui ipsius conversione, & pergens usque ad recuperationem & conversionem patris sui Faustiniani, describit ea quæ gessit Petrus, videlicet conciones ejus, disputationes, profectiones sive itinera, aliaque ejus apostolica gesta, mirosque modos, quibus per illum suam ipse *Clemens* recognoverit & recuperaverit matrem *Mathidiam* à teneris annis non visam, quia ex urbe Romana cum duobus geminis natis egressam ne perirent, deinde patrem suum scilicet *Faustinianum* dudum pariter non visum, ac tandem utroque parente recognito ac recuperato, recognoverit duos germanos fratres geminos, *Faustinum* scilicet & *Faustum*, sicque vicissim omnes & parentes & fratres anteà dispersi se se mutuò recognoverint ac recuperaverint; unde libri isti in quibus hæc si non fabulosa, saltem mira à Clemente narratur recognitionum historia, *libri Recognitionum* vulgò dicti, sed inter apocryphos communiter rejecti. Licèt utilia contineant documenta non pauca, & citentur interdum ab eruditis; Clementis autem non esse, ideò suspicatur Sixtus Senensis, 1. quia in illis sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis & Aristotelis Philosophia referuntur multa, quæ Petri esse non est credibile; 2. quia his in libris multa sunt incerta, multa fabulosa & nonnulla Catholicis dogmatibus adversantia; 3. quia in his narrantur itinera S. Petri, hoc est, ipsa S. Petri & Clementis peregrinatio ex Italia in Palæstinam, & è Palæstina ad Antiochiam usque, per singulas Recognitionum libri decem.

urbes & loca, quæ sunt inter Palæstinæ Cæsaream & Antiochiam, quod indicat hos præfatos Recognitionum libros, vel Clementis non esse, vel esse idem opus cum eo, quod vulgò itinerarium S. Petri dicitur, ac proinde apocryphum opus, sicut apocryphum esse constat ipsum itinerarium S. Petri ex S. Athanasio in synopsi & ex Romano Gelasii Concilio.

Constitutionum Apostolorum libri octo.

5. *Constitutionum Apostolicarum libri octo*, qui Clementi vulgò tribuuntur, non minùs suppostitii quàm decem Recognitionum libri; de his enim Constitutionibus idem ferendum judicium, nimirum Constitutiones illas utilia & à Græcis olim multùm laudata continere documenta, sed nullius auctoritatis apud Latinos, imò à posterioribus Græcis in Trullano Concilio can. 1. reprobatas tanquam per hæreticos depravatas: in his enim veritati dissona reperiuntur plura, quale est illud lib. 3. cap. 2. ubi dicitur quartas nuptias meram esse libidinem ac impudicitiam, his verbis: *Nam & illud scire oportet, matrimonium, si legitimum est, justum esse utpote Deo probatum; bigamiam verò, id est, iterùm nabere post promissionem, sceleratum esse, non quidem propter conjugium ipsum, sed propter mendacium: tertium conjugium intemperantiæ indicium ostendere: quartum verò conjugium & deinceps planè libidinem esse, & manifestam impudicitiam.* Quale pariter est illud lib. 3. cap. 10. quo prohibetur Laicis absolutè ne baptizent, his verbis: *Imò neque Laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale, ut sacrificium, aut baptismum.* Quale est & illud quo lib. 6. cap. 15. hæreticorum & impiorum baptisma declaratur invalidum & nullum, ac proinde iterandum, his verbis: *Similiter docemus oportere contentos esse uno baptismo qui in mortem Domini datus est, non illo baptismo qui ab hæreticis infamibus, sed qui à probatis sacerdotibus tribuitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c.* qualia sunt & alia plura.

Canones Apostolorũ græcè conscripti.

6. *Canones Apostolorum* à Clemente græcè conscripti & ab Exiguo Dionysio latinè traducti, de quibus fusiùs agemus infrà, nihil sunt aliud quàm certæ quædam antiquæ leges sive Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur ab Apostolis editæ, & à B. Clemente S. Petri Apostolorum Principis discipulo collectæ; sed cùm non certò constet, hos Canones esse genuinos Apostolorum fœtus, imò multò probabilius sit, ut dicetur infrà, illos esse suppostitios & Apostolorum temporibus nondum editos, consequenter non certò constare potest, illos esse à B. Clemente S. Petri discipulo & Apostolorum coætaneo collectos, & multò probabilius est horum collectionem B. Clementi vulgò tributam esse suppostitiam.

Liturgia sive Missa.

7. *Liturgia S. Clementis*, seu sacri sacrificii celebrandi formula, sive Missa, quæ tribui solet B. Clementi, de ea idem judicandum censet Bellarm. ac de liturgia S. Jacobi, nimirum illam verè Clementis esse, sicut istam S. Jacobi, sed à posterioribus auctam; quòd enim sit Clementis, colligitur ex *S. Proclo* in tractatu divinæ liturgiæ sic expresè dicente: *Permulti quidem, & alii ex eorum numero, qui SS. Apostolis successerunt pastores & doctores Ecclesiæ pietate insignes, mysticæ liturgiæ expositionem in scriptis relictam Ecclesiæ tradiderunt; inter hos verò facilè primum locum obtineret Beatus ille Clemens qui Apostolorum Principis discipulus & ejusdem successor ab ipsis SS. Apostolis declaratus est, &c.* Credibile autem est, inquit Bellarm. in cat. de SS. Eccl. Clementem non ex proprio judicio, sed ex ritu, quem observari viderat à S. Petro, liturgiam composuisse, quemadmodum & S. Petrus nihil aliud faciebat in Eucharistico offe-

offerendo ſacrificio, quàm quòd Chriſtus Dominus fieri juſſerat. Vide *Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccl. Hieron. in cat. SS. Eccl. Niceph. lib. 3. cap. 18. Metaph. in Clem. Martyr. Rom. Greg. Turon. de gloria Martyr. Bellarm. in cat. &c.*

De Clemente Alexandrino. 220.

Titus Flavius Clemens, *Alexandrinus* vulgò & meritò dictus, quia Alexandriæ natus, Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter & Alexandriæ Pantæni Philoſophi quondam auditor fuit, ac Pantæni poſt mortem in Eccleſiaſtica Alexandriæ ſchola ſucceſſor, ibique Origenis magiſter, & Neophytarum catechiſtes venerandus & inſignis, floruit ſub Severi Imp. ejuſque filii Marci Aurelii Antonini Caracallæ temporibus, ſecundo cadente ſæculo, & obiiſſe creditur ineunte tertio, circa annum Chriſti 220. poſt ſcripta relicta varia & mira, tam ſacræ quàm profanæ eruditionis indicia, è quibus ſola ſuperſunt iſta: Clementis Alexandrini ortus, profeſſio & obitus. E cujus ſcriptis ſuperſunt

Scripta Clementis Alexandrini.

1. *Exhortatoria ad Gentes, ſive Græcos, oratio*, hoc eſt, ad infideles & nondum in Chriſtum credentes, ſed in falſo Deorum cultu permanentes; infideles enim à Græcis ad fidem jam converſis & Chriſtianis dicebantur Græci, à Romanis verò converſis & Chriſtianis Hebræorum morem ſecutis vocabantur Gentes, & hos omnes infideles & ethnicos, ſive Gentes, ſive Græcos hortatur hac in oratione Clemens Alexandrinus ad Chriſti Religionem amplectendam, & paganam falſorum Deorum ejurandam, utpote quia impiam, idololatricam, ridiculam & vanam. Oratio ad Gentes.

2. *Pædagogi libri tres*, hoc eſt, Clementis Alexandrini liber alter totus moralis, in vita moribuſque formandis poſitus, tres alios in libros ſubdiviſus, & *Pædagogus* vulgò nuncupatus, quia quid ſit pædagogus & cui verè conveniat eſſe pædagogum explicat: in 1. enim libro docet Chriſtianos omnes pueros eſſe, & Verbum Patris æterni verum ac ſupremum pædagogum eſſe, eos per legem & Prophetas dirigentem, minis & increpationibus à peccatis avertentem, & promiſſis ac hortationibus ad ſalutem invitantem; in 2. verò ſicut & in 3. libro varias Chriſtianæ vitæ regulas tradit, & particulatim edocet quomodo in omni opere ſuo, in eſu, potu, veſtitu, ornatu, colloquio, riſu, ſomno, aliiſque id genus humanæ vitæ functionibus, ſe gerere debeat Chriſtianus homo. Pædagogi libri tres.

3. *Stromatum libri octo*, ſive Commentariorum de varia multiplicique literatura ad inſtruendum Chriſtianum Philoſophum libri octo, qui ob miram rerum varietatem quam ibi ſternit, exhibet, & exponit Clemens Alexandrinus, ideò vulgò Clementis Alexandrini Stromata vocantur, hoc eſt, ſtragula, eò quòd ſicut ſtragulæ veſtes ſint veluti ex variis centonibus contexta; & ab his pariter Stromateus auctor ipſe vocatur; in eo ſiquidem opere nedum varia de divinis literis ſternit & contexit, ſed ſi quid ſit apud Græcos ſcitu dignum affert, ſicque varia de Philoſophia & de Religione miſcens, veram & Chriſtiano dignam tradit ſcientiam. Dolendum eſt temporum injuria periiſſe hujus operis initium, quod ſi non deeſſet, faciliùs intelligi poſſet univerſus contextus, & in eo ſervata methodus, & intentus ab auctore Stromatum libri octo.

scopus; quibus tamen in libris, licèt sine ordine, sine ornatu conscriptis; & nulla per capita distinctis, ita procedit.

In 1. libro eò præsertim tendit, ut philosophiam utilem esse ostendat ad veram acquirendam & probandam sapientiam, Christianam scilicet; maximè dum disputandum est cum ethnicis vel hæreticis, cum quibus non scripturis sed rationibus agendum est philosophicis; deinde Hebræam philosophiam Græca & quavis alia antiquiorem probat, Moysenque scriptorem esse omnium antiquissimum, eumque legislatorem & Philosophum, à quo suam Græci philosophiam suffurati sunt.

In 2. agens de his quæ Græci sunt ab Hebræis suffurati, ostendit Græcos ea præcipuè, quæ suis in scriptis habent pietatis dogmata, ab Hebræis seu ab Hebræa suffuratos esse philosophia, sed ita suffuratos, ut ea corruperint & adulteraverint.

In 3. qui ferè totus est de matrimonio, impuros arguit hæreticos, præsertim *Valentinianos & Carpocratianos*, uxorum communitatem, & promiscuos concubitus astruentes, *Marcionitas* generationem malam esse dicentes, *Gnosticos* turpem carnis commixtionem, & libidinis exsaturationem, sacram esse communionem, & ad regnum Dei ducere, turpiter & impudenter asserentes, & *Tatianum* post Marcionem matrimonium inventum diaboli, & fornicationem esse falsò docentem; ostenditque interim Christianos conjugatos suis uxoribus moderatè, & ad solam liberorum procreationem uti debere.

In 4. agit præsertim de Martyrio, & laudat illud contra *Gnosticos* illud perperam reprobantes, & contra *Valentinianos*, qui persecutionis tempore ad vitandum Martyrium, Christum impunè negari posse dicebant; ac denique contra *Basilidianos*, qui Martyrium ideò subeundum asserebant, ut animæ electæ, quæ alia in vita peccaverant, per Martyrium honorificè punirentur.

In 5. contra *Valentinum & Basilidem* neminem sola natura salvum aut fidelem fieri posse docet, & posteà pluribus de ornatu templi, arcæ, & sacerdotum antiquæ legis allegoricè explicatis, ostendit symbolicam doctrinam non solùm apud Hebræos esse, sed etiam apud Græcos eam ab Hebræis suffuratos.

In 6. ostendit Græcos nedum ab Hebræis, sed etiam à se invicem, alios ab aliis suæ doctrinæ suffuratos esse dogmata.

In 7. contra Græcos sive ethnicos, à quibus Christiani vocabantur athei, quia falsos quos colebat vulgus, non colerent deos, ostendit Clemens eum verè pium & religiosum esse, qui est cognitione præditus; cognitione autem præditum vocat eum, qui credit in Christum; idque ideò ostendit, ut cùm Philosophi didicerint, quis verè sit Christianus, desinant in sanctum Christi nomen invehi, & Christianos, hoc est Christi cultores, atheos vocare: Christianismum posteà describit.

In 8. denique eò tendit, ut doceat quomodo per demonstrationem & ratiocinationem acquiratur veritatis cognitio, & ideò de definitione, divisione, & de demonstratione agit, & posteà de causis disserit; unde totus in Logica & Physica versatur liber iste, cui initium deesse constat, & qui ideò non octavus Stromatum liber, sed fragmentum ex aliis Clementis operibus avulsum reputatur à nonnullis.

Fertur & quamplures alios scripsisse libros, sed de illis, quia non comparent, nihil nobis dicendum occurrit.

Obji-

Objicies 1. Clemens Alexand. peccatum originale ab Adamo ad posteros transfundi videtur negasse lib. 3. Stromatum pag. 481. edit. Paris. 1612. dum dixit: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem qui nihil est operatus.* Ergo vel hoc Stromatum opus non est Clementis Alexand. vel in hoc erravit Clemens Alexand. Resp. neg. ant. Ibi enim non diffitetur Clemens Alexand. peccatum originale ab Adamo ad posteros propagari, & per illud infantes sub execrationem Adæ cadere; sed solùm negare contendit eos sub Adæ exetrationem cadere propter generationem qua sunt à parentibus geniti, ita ut ipsa generatio sit mala, peccatum, & execratio, ut volebant illi, contra quos agit, *Basilidiani* aliique nuptias damnantes hæretici, his abutentes Prophetæ verbis Psal. 50. v. 6. dicentis: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Fatetur quidem infantes esse in iniquitatibus & peccatis conceptos, sed non per generationem quæ sit ex se peccatum & mala.

Resolvuntur objecta in Clementis Alexandrini Stromata.

Objicies 2. Idem Clemens Christum famis, sitis, doloris, passionisque penitùs omnis expertem fuisse videtur asseruisse, dum lib. 6. Stromatum pag. 644. dixit: *Talis enim est is, qui est cognitione præditus, ut in eum hæ solæ cadant affectiones quæ oriuntur ut corpus maneat, nempe fames, sitis & similia. Sed in Servatore quidem corpus ut corpus necessaria postulare ministeria ut permaneat, fuerit ridiculum: comedebat enim non propter corpus quod sancta virtute continebatur: sed ne eis qui unà cum eo versabantur, in mentem veniret, de eo aliter sentire, sicut certè posteà quidam existimaverunt eum apparuisse visione & phantasmate; ipse autem ut semel dicam erat impatibilis, &c.* Ergo vel in hoc erravit Clemens Alexand. vel ejus non est hoc Stromatum opus. Resp. neg. ant. quia nec ibi, nec ullibi intendit Clemens Alexand. asserere Christum, ut est homo, fuisse omninò famis, sitis, doloris similiumque passionum aliarum expertem; sed solùm intendit ostendere in Christo non fuisse necessitatem patiendi famem, sitim, dolorem & similes affectiones alias, quia corpus Christi eo ipso quo Verbo unitum erat, ab iis omnibus poterat præservari, & sine cibo & potu, Verbi infinita virtute conservari; & si re ipsa has humanæ vitæ miserias passus est Christus, si cibo potuque usus est, id non ex necessitate & indigentia à qua non posset præservari, sed ut eos convinceret hæreticos, qui eum verè in carne venisse negarent, ut re ipsa posteà fuere, qui eum apparenter tantùm visione & phantasmate venisse dixere.

Objicies 3. Idem Clemens videtur de Filii Dei natura malè sentire, dum lib. 7. Strom. pag. 692. ait, *quòd sit soli Omnipotenti propinquissima ipsa maxima excellentia quæ omnia ordinat ex voluntate Patris*; ergo, &c. Resp. neg. ant. quia licèt de Filii Dei natura, nonnulla minùs propriè dixerit interdum Clemens Alexand. re ipsa tamen Catholica sunt; dum enim illam soli Omnipotenti propinquissimam esse dixit, eamque ordinare omnia ex voluntate Patris, idem intendit ac si dixisset, Dei Filium eamdem habere cum Patre naturam, voluntatemque eamdem sibi à Patre communicatam, ut ex variis aliis Clementis Alexandrini locis constare potest, in quibus Verbum æternum unum esse cum Patre Deum, luculenter affirmat, sed maximè ex illo primo Pædagogi libro, ubi sic ait: *Nihil ergo odio habet Deus, sed neque Verbum: Utrumque enim unum est, nempe Deus: dixit enim, In principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo, & Deus erat Verbum.*

Objicies 4. Clemens Alex. lib. 7. Stromatum pag. 718. loquens de Christiano perfecto ait: *Vera enim simul sentit & dicit, nisi quando loco medicinæ & medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborant salutem, mentietur aut falsum dicet, ut ajunt Sophistæ*; ergo mendacium approbat ibi, ac consequenter errat. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ibi non loquitur de mendacio propriè dicto, sed de pia circumlocutione aliqua, seu ut explicat *Gentianus Hervetus* Alex. Clementis interpres, de quadam verborum œconomia, qua ægrotos curaturi utuntur medici, quæque non tendat ad mendacium, sed ad veritatem & ad ægrotantium sanitatem: quòd si de mendacio propriè dicto ibi locutus esset, in hoc eum erraisse diffiteri non possemus. *Vide Euseb. lib. 5. cap. 11. Hieron. in cat. SS. Eccl. Phot. in Bibl. cod. 107. Epiph. hæref. 32. Cyrill. Alex. lib. 10. contra Julian. Niceph. lib. 4. cap. 32. Bellarm. in cat. Miræum in Bibl. Eccl. &c.*

ARTICULUS VII.

De S. Ignatio Martyre. 111.

CUm per septem annos in Antiochena sedisset Ecclesia *S. Petrus*, in ea sui successorem Episcopum reliquit *Euodium*, virum sanctum & pium, de quo S. Joan. Chrysostomus in sermone de pseudo-prophetis ait: *Ubi Euodius ille bonus odor Ecclesiæ & SS. Apostolorum successor*, de quo S. Ignatius ipse in Epist. ad Antiochenos ait: *Mementote Euodii, beatissimi pastoris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula vestræ Ecclesiæ sortitus est*, qui unam reliquit epistolam græcè inscriptam Τὸ Φῶς, sive *Lumen*, in qua, juxta *Euthymium* & *Nicephorum*, Christum è fœminis solam B. Virginem matrem, & è viris solum baptizasse Petrum ajebat; à Petro verò Andream, Jacobum, & Joannem, & ab istis cæteros baptizatos asserebat Apostolos; quique tandem vir sanctus Euodius Martyrii laurea donatus obiisse creditur anno Christi 71.

S. Ignatii post Euodium in sede Antiochena successio, confessio & passio. *Ex S. Hier. in c. de SS. Eccl. Sim. Met. Boll. &c.*

Euodio è vivis rapto successit eadem in Ecclesia, & eodem anno *S. Ignatius* S. Joannis Euangelistæ cum Polycarpo discipulus, *Theophorus* sive Deifer, quasi Christum circumferens, vulgari cognomine dictus, qui crudeli sæviente persecutione Trajani, ob Christi fidem constanter, & generosa confessione laudatam, damnatus est ad bestias Romano in amphitheatro reclusas, ac proinde catenis illicò vinctus, & decem quasi leopardis militibus stipatus Antiochia Romam transmitti jussus, ubi leonibus in prædam traditus, varia priùs tormenta passus, felici Martyrii laurea donatus occubuit anno Christi circiter 111. quem ad felicem obitum dum duceretur, & è Syria navigans Romam tenderet, Asiamque sic peragraret, Ecclesias particulares alias oppidatim suis cohortationibus in fide firmare & solidare peroptans, idque tutiùs ut impleret & certiùs, cohortationes suas redegit in epistolas verè pias, eruditas & apostolicas, de quarum numero variè opinantur varii; quindecim enim sub nomine Ignatii circumferuntur epistolæ, è quibus septem ut verè genuinæ recipiuntur & probantur ab omnibus; quinque aliæ à nonnullis receptæ, in dubium revocantur ab aliis; tres verò reliquæ ut supposititiæ & non Ignatianæ judicantur ab eruditis ferè omnibus. Sunt autem istæ:

15. Epistolæ S. Ignatii vulgò dictæ.

Septem

Septem genuinæ sunt.

1. *Ad Ephesios* una, in qua vinctus catenis è Syria tendens Romam ut cum bestiis pugnans per martyrium Christi fiat discipulus, se id consecuturum sperare dicit eorum confisus precibus, commendans interim eis Onesimum Episcopum, virum ob charitatem numquam satis prædicatum, ut illum venerentur & ament, eique similes fieri contendant, monetque insuper illos de variis Christianæ vitæ officiis. 1. Ad Ephesios.

2. *Ad Magnesianos* una, hoc est, ad Magnesiæ urbis Ioniæ ad Meandrum fluvium incolas epistola alia, qua inter alia monet & instruit eos de exhibenda juniori Episcopo reverentia; erat autem *Damas* Episcopus ipsorum, ut patet ex ipso Ignatio sic Magnesiis dicente: *Quoniam dignus fui videre vos per Damam Episcopum vestrum Deo dignum ..... & vos decet non contemnere ætatem Episcopi, sed juxta Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum novi facere sanctos Presbyteros non respicientes ad eam quæ videtur adolescentiam, sed ad prudentiam quam habet in Deo... juvenis erat Timotheus ille Christo plenus, verum quid illi Magister scribat audite:* Adolescentiam tuam nemo contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo & conversatione; *decet itaque & vos obedire Episcopo, & in nullo illi refragari, &c.* 2. Ad Magnesianos.

3. *Ad Trallianos* una, qua instruit eos de variis vitæ Christianæ muniis, & inter alia, ut obediant Episcopo, Presbyteris & Diaconis, ut se invicem diligant, hæreticosque fugiant, & nominatim Simonem Magum, Basilidem, Menandrum & Nicolaitas, dicens: *Fugite itaque impias hæreses, sunt enim diaboli inventa, & excogitatæ artes serpentis illius, qui omnis mali primus auctor est, qui per mulierem decepit primum generis nostri parentem Adam; fugite autem & illius propaginem Simonem primogenitum illius filium, & Menandrum, & Basilidem, & totam illius malitiæ colluviem hominum cultores, quos & Jeremias Propheta maledictos appellat; fugite quoque impuros Nicolaitas falsum sibi nomen sumentes, voluptatum amatores & sycophantas.* 3. Ad Trallianos.

4. *Ad Romanos* una, à Smyrna scripta, sicut & præfatæ aliæ: cùm enim Smyrnæ existens Ignatius videret Smyrnenses de sua ad bestias damnatione & imminente morte conturbatos, timens ne ipsi quoque Romani similiter turbarentur, & conturbati non paterentur eum morti tradi, sed impedire niterentur, sicque illi apertam Martyrii januam clauderent, hanc eis scripsit epistolam, qua eos enixè rogabat, ut ipsi quoque orarent pro eo, & ne ei per charitatem nocerent, & benevolentia intempestiva Martyrii cursum impedirent, sic dicens: *Metuo enim charitatem vestram ne ipsa me lædat .... Obsecro vos ne intempestiva benevolentia me complectimini, sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci; frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar; imò blanditiis demulcete potiùs feras, ut mihi sepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquant, ne mortuus molestus cuiquam inveniar, tunc ero verus Christi discipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit; deprecemini Deum pro me, ut per hæc instrumenta Deò efficiar hostia, &c.* 4. Ad Romanos.

5. *Ad Philadelphios* una, è Troade scripta, qua hortatur eos, ut suum sequantur pastorem Episcopum, & schismata vitent, ut filii suis parentibus obediant, servi suis dominis, ut viri suas uxores diligant, & uxores simi- 5. Ad Philadelphios.

similiter viros, & virgines in Christum solum suis precibus tendant, & omnes denique, ut hæreticos fugiant & ab herbis noxiis quas Jesus non excolit, sed fera humano gaudens semine, non enim sunt plantationes Dei Patris, sed semen illius maligni, quales sunt *Simon Magus*, *Ebion*, & *Nicolaitæ*.

6. Ad Smyrnenses. 6. *Ad Smyrnenses* una, è Troade pariter scripta, è qua Theodoretus Cyrensis multa desumpsit in Eraniste Dial. 1. de veritate humanitatis Christi, & reverà hac in epistola multa dicit contra Ebionitas, quibus Jesum Christum Dei Verbum in carne venisse, crucifixum ac passum esse probat, non phantasia & sola opinione tantùm, ut quidam increduli tenent, obliti illius Euangelici dicti, *Verbum caro factum est*, Joan. cap. 1. Hortatur insuper Smyrnenses, ut nefandas fugiant hæreses, & eos qui schismata faciunt, ut Episcopum sequantur, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apostolos & Diaconos revereantur, ut ex Dei præcepto ministrantes.

7. Ad Polycarpum. 7. *Ad Polycarpum* Smyrnæ Episcopum una, qua summis laudibus evehit eum, quòd habeat animum in Deo firmatum, obsecrans eum ut ad cursum illum adjiciat incrementa, & omnes hortetur, ut salventur, ut suum locum diligenter vindicet & tueatur, ut curam habeat unitatis, & viduarum, Synodosque frequentiùs cogat, excusans se insuper quòd cæteris non scripserit Ecclesiis, quia repentè à Troade Neapolim navigare coactus.

Quinque dubiæ sunt.

8. Ad Mariam Cassobolitam. 1. *Ad Mariam Cassobolitam* una; hæc autem putatur illa quam Paulus ad Romanos scribens salutat, dicens cap. 16. vers. 6. *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis*, quæ Pauli verba indicant Mariam eximiæ pietatis fuisse fœminam, quæ Religionem Christianam apud fideles Romæ habitantes multùm promoverit, & quæ scripsisset S. Ignatio; S. Ignatius hac ei respondet epistola miris laudibus extollens eam, ut fœminarum sapientissimam, dicens se libenter fecisse quod per epistolam fuerat hortata, nihil ambigens de his quos ipsa probaverit, monens insuper, ut fugiat eos qui Christi passionem, qua secundùm carnem genitus est, negant.

9. Ad Antiochenos. 2. *Ad Antiochenos* una, de qua ait, *Hæc è Philippis scribo vobis*, & in qua obsecrans eos ut ambulent dignè vocatione qua vocati sunt, fugientes maligni hæreses, Judaicum vitantes errorem, non inducant Deorum multitudinem, nec prætextu unius Dei, Christum Deum esse negent, variaque laudat Scripturæ loca de Trinitate, & Verbi incarnati mysteriis, aliis variisque posteà commendatis Christianæ vitæ officiis, omnium Ordinum Ecclesiæ meminit, dicens: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium, saluto sacros Diaconos, saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores, saluto custodes sacrorum vestibulorum in Christo Diaconissas, &c.*

10. Ad Tarsenses. 3. *Ad Tarsenses* una, è Philippis scripta, juxta illud in fine dictum, *Salutant vos Ecclesiæ Philippensium, unde hæc scribo vobis*, & in qua Tarsi habitantes fideles in fide confirmat variis Scripturæ locis, contra varios satanæ ministros hæreticos, qui eos conturbare tentabant dicentes, alii quoniam Jesus Dominus est solùm opinione natus, crucifixus & mortuus, alii quòd non sit Conditoris Filius, alii resurrectionem negantes quòd caro non resurget.

4. Ad

4. *Ad Philippenses* una, in qua commonefaciens eos de suo cursu in Christo, suisque vinculis, quibus vinctus ducitur Antiochia Romam, hortatur eos, ut idem dicant omnes unanimes, in una fidei regula gradientes, instruitque de vera Christi humanitate & divinitate, & varia insuper addens pietatis monita pro vita Christiana, orationibus eorum Antiochenam commendat Ecclesiam. 11. Ad Philippenses.

5. *Ad Heronem* Antiochiæ diaconum una, è Philippis scripta, qua instruens de officio Diaconi Heronem illum suum in Christo filium, & Ecclesiæ suæ Antiochenæ Diaconum, monet eum, ut jejuniis vacet & precibus, caveat tamen ne immodicè id agat, & ne à vino & carnibus abstineat omnino, nec ea abominanda credat, cùm dicat Dominus, *Bona terræ comedetis, & edite carnes & olera, & vinum lætificat cor hominis, &c.* Antiochenam posteà ei commendat Ecclesiam, prædicens ei, eum sibi futurum hac in sede successorem, dicens: *Commendo tibi Ecclesiam Antiochenam, saluta populum Domini nominatim à parvo usque ad magnum quos commendo tibi ut Moyses Josue post se duci exercitus .... Tu enim introduces & educes posthac populum Domini, qui est Antiochiæ, & non erit grex Domini velut oves, quibus non est pastor, &c.* 12. Ad Heronem.

Tres suppositititiæ sunt.

1. *Ad B. Mariam Virginem Deiparam* una, cujus hic est tenor: *Me Neophytum Joannisque tui discipulum confortare & consolari debueras; de Jesu enim tuo percepi innumera dicta, & stupefactus sum ex auditu; à te autem quæ semper ei fuisti familiaris, conjuncta, & secretorum ejus conscia, desidero ex animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi aliàs, & rogavi de eisdem. Valeas, & Neophyti qui mecum sunt, ex te, & per te, & in te confortentur. Amen.* 13. Ad Mariam Virginem Deiparam.

2. *Ad Joannem Seniorem* una, hoc est, ad Joannem Euangelistam una, qua S. Ignatius & qui cum illo erant servidè rogant Joannem, ut pro consolatione & confortatione sui, & plurium secum existentium Neophytorum aliorum, citò dignetur ad se venire cùm B. Virgine Maria matre Domini, de qua tam miranda narrantur, & quam videre cupiunt permultæ mulieres, ut ubera quæ Christum Dominum lactaverunt, venerentur & tangant. 14. Ad Joannem.

3. *Ad Joannem eumdem* altera, qua rogat illum Ignatius, ut liceat sibi ad illum, ad Jerosolymæ partes ascendere, *& videre fideles sanctos qui ibi sunt, præcipuè Mariam Jesu, quam dicunt universis admirandam & cunctis desiderabilem, &c.* 15. Ad eumdem Joannem.

Septem priores illas Ignatii epistolas verè genuinas & indubitatas esse fatentur eruditi communiter omnes, tum quia à SS. Eccl. Patribus Dionysio Areopagita, Irenæo, Athanasio, Chrysostomo, imò Eusebio, Theodoreto & aliis inveniuntur semper sub Ignatii nomine laudatæ, tum quia S. Hieronymus in cat. SS. Eccl. de illis septem epistolis expresè dicit: *Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem Trajano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Cùmque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Joannis Episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egrediens scripsit ad Philadelphios & ad Smyrnæos, & propriam ad Polycarpum, commendans* Ex his omnibus septẽ priores sunt genuinæ.

dans illi Antiochensem Ecclesiam; tum quia hæ sunt illæ eædem S. Ignatii epistolæ, quas S. Polycarpus S. Ignatii coævus collegit & ad Philippenses transmisit, & de quibus in sua ad Philippenses epistola sic ait: *Epistolas sanè Ignatii quæ transmissæ sunt nobis habeo, & alias quotquot apud nos habuimus, transmisimus vobis secundùm quod mandastis, quæ subjectæ sunt huic epistolæ; ex omnibus enim vobis magnus erit profectus; continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.*

Quinque sequentes dubiæ.

Quinque sequentes alias ut verè genuinas, ob styli similitudinem, & spiritum verè Apostolicum, admittunt viri eruditi non pauci, ut Baron. Bellarm. Possevin. & alii, licèt easdem econtrà ut suppositititias proclament alii, quia qui memorant Ignatianas alias, de istis profundè silent *Hieronymus* & *Eusebius*.

Tres posteriores suppositititiæ.

Tres posteriores, quarum una est ad B. Mariam Virg. & ad S. Joannem Euang. duæ aliæ, ut suppositititiæ ideò reputantur communiter ab omnibus, tum quia nullibi in Codicibus inventæ, nec ab ullo ex antiquis Patribus laudatæ, primusque sit S. Bernardus à quo dicantur memoratæ, serm. 7. in Psalm. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, &c.* tum denique quia nec tempus sapiunt Ignatii, nec stylum.

Et omnes à Lutheranis & Calvinistis rejectæ.

Omnes denique, sive septem priores, sive quinque mediæ, sive posteriores tres, ideò rejiciuntur à *Lutheranis*, *Calvinistis*, *Centuriatoribus*, *Socinianis* & sequacibus; quia in iis fit mentio de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Ordinibus Ecclesiasticis, de Hierarchia cœlesti & Ecclesiastica, de virginibus, de cœlibatu, de virginitate & aliis. Quæ omnia cùm detestentur & reprobent hæretici novatores illi, non mirum si consequenter reprobent & rejiciant has omnes, sive suppositititias, sive dubias, sive genuinas Ignatianas epistolas. Vide *Polycarpum in epist. ad Philip. Euseb. lib. 3. hist. cap. 30. Hieronymum de Script. Eccl. cap. 16. Sim. Metaph. Hon. Aug. Baron. Bellarm. de Script. Eccl. &c.*

ARTICULUS VIII.

De multiplici Dionysio, Atheniensi, Corinthio, Alexandrino, Romano, Exiguo, & Carthusiano.

Etsi temporis ordo postulet, ut hìc de solo loquamur Areopagita, sive Atheniensi Dionysio; quia tamen plures alii, & inter eos, quinque præsertim isti floruere nomine Dionysii, viri non minùs vitæ sanctitate quàm doctrinæ lumine clari: Ideò, ne nominum similitudo confusionem pariat, & ut quemlibet à quolibet facilè quisque secernat, hìc breviter & simul delineantur singuli; & primò Atheniensis, sive Areopagita.

De S. Dionysio Areopagita. 120.

S. Dionysii Areopagitæ conversio, missio, episcopatus, & passio.

S. Dionysius Pauli Apostoli in Christo filius & discipulus, sanctorum *Ignatii* & *Polycarpi* martyrum coævus, Athenis oriundus, ut tenent aliqui, vel in Thracia natus, ut opinantur alii, è celebri Athenarum Areopago Senator ille, qui dum olim *Heliopoli* esset cum *Apollophane* Gentili Philosopho, celebrem illam observavit, quæ Christo patiente contigit,

Solis

Solis eclipſim; & qui deinde Athenas reverſus, ibique Doctorem Gentium *Paulum* Apoſtolum de illa Chriſti paſſione, & lege Euangelica concionantem audiens, ad Chriſti fidem converſus eſt, cum muliere nomine *Damaris*, & aliis, ut habetur Actuum cap. 17. verſ. 34. & exinde, Areopago ſuo valere juſſo, adhæſit *Paulo* Apoſtolo novus Pauli diſcipulus, à quo non longè pòſt, creatus fidelium Athenienſium Epiſcopus primus; cùmque ibi, & circa vicinas civitates alias, per aliquot annos euangelizaſſet, & ad Chriſti fidem multos perduxiſſet, Athenis, alio ſubſtituto ſuam in ſedem Epiſcopo, profectus eſt Romam, unà cum pluribus aliis Chriſti fidem recenter amplexis, & inde poſteà à S. Clemente Romano Pontifice hujus nominis primo, cum ſociis aliis Apoſtolicis viris, in Gallias Euangelicæ prædicationis gratia miſſus, ubi Pariſiis Pariſiorum Epiſcopus primus prædicans, & Gentiles multos ad Chriſti fidem ſua prædicatione trahens, à Feſcennino præfecto unà cum ſociis *Ruſtico* Presbytero & *Eleutherio* Diacono, multis vexatus ſuppliciis, tandemque capite cæſus, glorioſi Martyrii palma donatus eſt anno Chriſti 120. quo poſt *Trajanum* Imperium regere cœpit *Adrianus*, & ætatis ſuæ anno 110. ut valdè probabilis & antiqua, licèt ſub judice pendens adhuc, multorum eruditorum tenet opinio, & conſtanter tenuit multorum ſæculorum Eccleſiæ traditio. Quidquid in contrarium reclament hodie eruditi non pauci, forti ac vehementi diſputatione teſtantes, hoc ſcriptorem aſſeruiſſe nullum, ante Caroli Magni, ejuſque filii Ludovici Pii Imperatoris tempora; quod quàm falſum ſit, & à Traditione longè remotum, ſic oſtendunt alii non minùs eruditi.

1. Ex antiquiſſimo Dionyſii Pariſienſis coævo, & paſſionis ejus oculato teſte *Visbio*, viro religioſiſſimo, nobiliſſimi *Lisbii* à Dionyſio converſi primi, & primi Pariſienſium in agro Chriſtiani ac Martyris filio, qui cum matre ſua *Laertia* nobili pariter fœmina tandem converſa & Martyrium poſteà paſſa, varia Dionyſii ſupplicia vidit, ejuſque poſt ſanctum obitum, paſſionis hiſtoriam ſcripto mandavit, ex quo Visbii ſcripto, & ex multis aliis tum Græcorum, tum Latinorum probatis hiſtoriis *Hilduinus* vir religioſiſſimus, & Abbas Sandionyſianus ſua Areopagitica contexuit, Ludovici Pii Imperatoris juſſu, ut conſtat ex ipſa ejuſdem Imperatoris ad Hilduinum epiſtola, in qua monet eum, ut in unum corpus redigat quidquid de Dionyſii Areopagitæ notitia ferunt hæ, ſive Græcorum, ſive Latinorum Hiſtoriæ, *præcipuè tamen conſcriptio Visbii*.

Antiquitates Abbatiæ S. Dion. in Franc. lib. 1. c. 5. &c.

2. Ex aliis non minùs antiquis Dionyſii Pariſienſis actis à *S. Santino* ejuſdem Dionyſii diſcipulo, & Virudinenſi primùm, deinde Meldenſium Epiſcopo conſcriptis, quæ longè pòſt invenit in Meldenſi S. Santini Abbatia in quaternionibus ferè contritis Vvandelmarus Abbas, quæque Hincmarus Remenſis Archipræſul tranſcripſit, & Imperatori Carolo Calvo cum epiſtola miſit, ei inter alia dicens, *ut ſi quæ ſunt illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem noſtrum, patronum veſtrum Dionyſium eſſe Areopagitam, & à B. Paulo Apoſtolo baptizatum, ac Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à S. Clemente directum, ex iis quæ Græca teſtificatio, & Romanæ Sedis aſſertio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum & in hac re cognoſcant, quod inde ante nos dictum eſt.*

3. Ex *Geneſio* venerabili Presbytero, qui trecentis annis ante Carolum Magnum & Hilduinum, S. Genovefæ Virginis vitæ deſcribens Hiſtoriam

circa

Surius 3. Ian. M. S. Bibl. Vict. circa annum 527. in ea, inter alia, de ipsa S. Virgine sic ait: *Quanta veneratione & amore dilexit Catulocensem vicum, in quo S. Dionysius est sepultus, nequaquam comprehendere nequeo; utique S. Dionysius primus Episcopus civitatis Parisiorum fuit, & ut comperi juxta traditionem seniorum, vel relationem passionis suæ, à S. Clemente filio in baptismo S. Petri Apostoli in hanc Provinciam directus est.* Sed ille Dionysius tunc à S. Clemente missus, non potest esse alius quàm Areopagita; ergo tunc 300. annis ante Carolum Magnum, & Hilduinum, seniorum traditio tenebat, Dionysium Parisiorum Episcopum esse à Clemente missum, & unum & eumdem esse cum Areopagita Dionysium.

4. Ex *S. Venantio Fortunato* Pictaviensium Episcopo, sexto vivente sæculo, & Gregorii Turonici coævo id ipsum affirmante in Hymno à se condito in honorem S. Dionysii, & aureis characteribus religiosè servato in Regali S. Dionysii propè Lutetiam Abbatia.

5. Ex ipso *Pipino* Gallorum Rege & Caroli Magni patre, id expresse testante in speciali diplomate in gratiam monasterii S. Dionysii in Gallia dato, & in scriniis ejus diligenter servato, in quo sic legitur, *Dionysius & sæpè jam dictus Rusticus & Eleutherius, qui primi post Apostolos sub ordinatione B. Clementis Petri Apostoli successoris, in hanc Galliarum Provinciam advenerunt.*

6. Ex ipso, circa hoc, Græcorum cum Latinis consensu minimè haud dubiè suspecto, seu ex eo quòd idem cum Latinis testentur, nedum Simeon Metaphrastes scriptor celebris & græcus in vita S. Dionysii Areopagitæ à se descripta, sed etiam *Methodius* Patriarcha Constantinopolitanus, & *Michael Syngellus* Jerosolymitanus, & ambo SS. Martyres, ut scribit Cedrenus; Methodius quidem id testatur scribens vitam S. Dionysii, & *Michael Syngellus* in ejusdem oratione panegyrica, & quam S. Dionysii Areopagitæ vitam à S. Methodio scriptam, & Romæ repertam ex græca latinam fecit Anastasius Bibliothecarius, & Carolo Calvo Gallorum Regi ac Imperatori cum epistola misit, ei dicens inter alia, *Cesset ergo jam quorumdam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum qui apud Parisium corpore ac virtutibus redolet, cùm hoc & Græcorum quoque stilus cum Latina lingua concordans testetur ac prædicet.*

7. Ex eo quòd hoc testentur Parisienses antiquitatum Annales, in quibus scripto relinquitur, quomodo B. Dionysius Areopagita Pauli Apostoli discipulus, in Gallias à B. Clemente missus Parisios venerit, ibique prædicans Christi Euangelium, & destructo in parte idolorum cultu, tria erexit oratoria, sive sacella: Primum in honorem sanctæ Trinitatis, eo in loco, qui modò dicitur sub nomine S. Benedicti consecratus, quemadmodum indicant adhuc hodie fenestræ vitreæ in sacello S. Nicolai versus Septemtrionem templi ejusdem, in quibus hæc leguntur, *In hoc sacello S. Dionysius cœpit invocare nomen sanctæ Trinitatis*. Secundum verò in honorem B. Mariæ Virginis construxit, appellaturque in hujus rei monumentum locus ille, Nostra Domina de Campis. Tertium denique fundavit in honorem S. Stephani Protomartyris, quod adhuc appellamus templum S. Stephani Græcorum, eò quòd SS. Dionysius, Rusticus & Eleutherius hujus templi auctores Græci essent.

8. Ex eo quòd nedum Parisienses, sed etiam totius Ecclesiæ Gallicanæ testentur Annales, & Præsules, ut constat apud Baronium tom. 9. ex epistola ad Eugenium II. scripta ab universis Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus in Pari-

Parisiensi Concilio congregatis anno circiter 824. sub Ludovico Pio Gallorum Rege, & expressè dicentibus, *Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis, sese paulò longiùs sermo protraxerit; dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis patribus nostris usque ad nos inflexibiliter ducta est, beato Dionysio scilicet, qui à S. Clemente, qui beati Petri Apostoli primus successor extitit, in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus, & post aliquod tempus unà cum sociis huc illucque, prædicationis gratia, dispersis martyrio coronatus est.*

9. Denique id probant, innumeris aliis omissis, nedum ex Breviario Romano jussu *S. Pii V. Clementis VIII.* & *Urbani VIII.* reviso ac emendato, & ubique recepto, sed etiam ex particularibus aliis totius ferè Christiani terrarum orbis Missalibus, atque Breviariis, ex quibus manifestè perhibetur, antiqua, & ante Hilduinum currente traditione constare, Dionysium Areopagitam cum Parisiensi Episcopo primo unum & eundem esse Dionysium à S. Clemente missum, & Parisiis martyrio coronatum, non sub *Trajano* anno Christi 109. ut cum Baronio volunt nonnulli, sed anno Christi 120. & ætatis suæ anno 110. relictis Ecclesiæ eximiis suæ doctrinæ scriptis, quorum aliqua periere temporum injuria: quæ verò superesse dicuntur, sunt ista; Scripta S. Dionysii Areopagitæ dicta, sunt ista.

Scripta S. Dionysii Areopagitæ.

1. *Liber de cœlesti Hierarchia* in 15. capita distributus, & Timotheo Compresbytero directus, in quo Magnus Dionysius Timotheum alloquens Ephesiorum Episcopum (quem Compresbyterum sicut & ipse se Presbyterum vocat) & instruens eum de cœlesti sive Angelica Hierarchia, docet 1. quid sit Hierarchia in genere, quis finis ejus, & quæ illius munia, dicens nempe Hierarchiam nihil esse aliud, quàm sacrum quoddam regimen, quo quis sanctè regit ac regitur, regit scilicet inferiores & regitur à superioribus, cujus perfectio est imitatio Dei, & finis unio cum Deo; munia verò ejus sunt expiare, illuminare & perficere; deinde cœlestem sive Angelicam tangit Hierarchiam, totius Angelorum multitudinis describens naturas, distinctiones, nomina, numerum, ordines, & officia. Liber de cœlesti Hierarchia.

2. *Liber de Ecclesiastica Hierarchia* in 7. capita distributus, & eidem Timotheo pariter directus: nam post explicatam in priori libro cœlestem Hierarchiam, Ecclesiasticam suscipit describendam in hoc posteriori, ostendens hanc Ecclesiasticam nostram Hierarchiam in hoc convenire cum cœlesti, quòd in ea inferiores à superioribus ad perfectionem instituantur, & ad Deum adducantur; differre autem in hoc, quòd illi in cœlesti, quia spiritus sunt, simpliciori ac spiritualiori modo illustrentur; nos verò in nostra, cùm anima & corpore constemus, & rebus spiritualibus immediatè intendere non possimus, sed per sensibiles imagines ac figuras ad spiritales contemplationes elevemur; deinde descendit ad varios Ecclesiæ ritus explicandos in Ecclesia servari solitos, circa Baptismum, Eucharistiam, Ordinem, Unctiones, ordinationem Monachorum, seu Therapeutarum, circa defunctos & defunctorum sepulturas. Liber de Ecclesiastica Hierarchia.

3. *Liber de divinis nominibus* eidem Ephesiorum Episcopo Timotheo directus & in capita 13. distributus, Timotheique rogatu susceptus; cùm enim in Ionia pullularent Philosophorum hæreses, multæque argutationes dialecticæ objicerentur Timotheo Ephesiorum Episcopo per Paulum constituto, Liber de divinis nominibus.

tuto, is probè sciens magnum Dionysium Pauli pariter discipulum, non minùs externa & humana, quàm divina sapientia prædium, petit ab eo edoceri circa proposita; quod & præstat Dionysius hoc in libro de divinis nominibus ideò inscripto, quia in eo Dei, qui nominari non potest, utpote quia super omne nomen, varia tamen ex effectibus, vel apparitionibus, ei per homines tributa explicat nomina ex Scripturis, seu in quo varia explicat nomina seu attributa, quibus Deus in Scripturis nominari solet, hoc est, explicat v. g. quomodo bonus nominetur, quomodo vita, quomodo sapientia, quomodo virtus, & quæcumque alia, quæ spiritalem Dei respiciunt appellationem.

Liber de mystica Theologia.

4. *Liber de mystica Theologia* in 5. capita partitus, & eidem Timotheo directus. Præmiserat S. Dionysius libro de divinis nominibus librum alium de Theologicis informationibus, in quo explicuit ea quæ sparsim in Scriptura reperiuntur de Deo Uno & Trino, sicut in libro de divinis nominibus explicuit attributa, quibus Deus nominatur in Scripturis; subjunxit deinde librum alium de symbolica Theologia, in quo figuras illas sensibiles explicabat, quæ de Deo metaphoricè dici solent; verùm quia non comparent illi duo libri, hic liber alter post illos editus de mystica Theologia subjungitur, in quo nostri rerumque omnium abdicatione ad divinam contemplationem assurgendum esse docet, ostendens in divinis procedendum esse per affirmationes & negationes, ideòque nihil sensibile competere, ipsumque nihil esse eorum quæ cognoscimus, sed esse supra ista omnia quæcumque à nobis & quomodocumque concipi possint.

Epistolæ 4. ad Cajum.

5. *Ad Cajum Monachum Epistolæ* 4. hoc est, ad Cajum virum è Therapeutis unum, quos Monachos ideò vocat, non quòd soli habitarent, sed quòd singularem curisque solutam & soli Deo intentam degerent vitam, & Cajum hunc S. Maximus in scholiis putat esse illum ad quem S. Joannes Euangelista suam tertiam scripsit epistolam, & cui B. Dionysius quatuor dirigit istas; quarum

In 1. docet divinam illam caliginem seu Dei ignorationem, quam in libro de mystica Theologia supra omnem cognitionem commendat, non privativè sed superlatè intelligendam esse, seu non dici ignorantiam Dei per privationem cognitionis; sed per excellentiam & excessum cognitionis, quoniam est talis Dei cognitio, qua quis cognoscit id quod omnibus, & sibi ipsi incognitum & incomprehensibile existit.

In 2. explicat ei, quo sensu Deus dicatur esse supra principium divinitatis, dicendo nempe divinitatem ibi non sumi pro ipsa substantia Divinitatis, sed pro dono Deifico, quod donum Deificum est principium & causa Deificationis, & hoc modo Deus dicitur supra principium divinitatis, scilicet participatæ.

In 3. explicat eidem Cajo quid significet vox illa ἐξαίφνης seu *repentè*, & quam vim habeat pronuntiata de Incarnatione Verbi, ut quando Malachias cap. 3. vers. 1. dixit, *Repentè veniet ad templum suum Dominus, quem vos quæritis*; quam quæstionem à Cajo propositam fuisse existimat S. Maximus in scholiis.

In 4. denique ostendit contra illius temporis hæreticos, quòd Christus sit verus homo, quia ex muliere natus; plusquam homo, quia ex Virgine, & verè Deus & homo.

Una ad Dorotheũ,

6. *Ad Dorotheum* ministrum seu Diaconum una, in qua sciscitanti explicat

plicat quid sit illa caligo divina, de qua egit in libro de mystica Theologia, & dicit esse lucem inaccessam, quam Deus inhabitare perhibetur, & de qua dicitur Psal. 17. vers. 10. *Et caligo sub pedibus ejus*, & Psal. 96. vers. 2. *Nubes & caligo in circuitu ejus.*

7. *Ad Sosipatrum* sacerdotem alia, qua suadet ei, ut non tam in falsis opinionibus arguendis, quàm in veritate stabilienda se applicet. Una ad Sosipatrum.

8. *Ad Polycarpum* Smyrnæ Præsulem una, de *Apollophane* Gentili Philosopho; monitus siquidem S. Dionysius à Polycarpo, quòd accusaretur, & variis afficeretur convitiis ab Apollophane ex quo ab idolis ad Christum se convertisset, hanc scripsit Polycarpo Dionysius epistolam, qua docet eum infidelium convitia parum esse curanda, suggerens interim illi argumenta, quibus contra Apollophanem uti debeat, eumque redarguere, quòd ex prodigiis in cœlo visis non sit ipse ad Christum conversus, & præsertim ex prodigiosa Solis eclipsi tempore crucifixionis Christi Heliopoli visa. Una ad Polycarpum.

9. *Ad Demophilum Monachum* sive Therapeutam una, in qua ostendens præcipuos Dei amicos Moysen, Davidem, Jobum, Abelem, Josephum, mansuetudinis laude claruisse, & in ipsomet Christo, præ cæteris virtutibus, clementiam præsertim & mansuetudinem emicuisse, exprobrat econtrà suam immanitatem, quòd pœnitentem à Sacerdote absolutum immaniter tractasset, & in Sacerdotem quoque temerariè debacchatus fuisset, eò quòd pœnitentem absolvisset, docetque insuper eum, nequaquam convenire, ut inferiores suos increpent superiores, & subordinationem ubique servandam esse, Christique mansuetudinem potiùs imitandam quàm Eliæ zelum, idque confirmat visione mirabili S. Carpi, quam describit. Una ad Demophilum.

10. *Ad Titum* una, hoc est, ad virum illum sanctum, quem Paulus Cretæ præfecit Episcopum, & cui sciscitanti per epistolam, quid sit domus sapientiæ? quid crater? & quisnam cibus ac potus ejus? respondens Dionysius hac epistola explicat hæc quæsita omnia, ostendens symbolicam Theologiam rudioribus & ignaris multas absurdas imagines & cogitationes ingerere, & hac occasione, exempli causa, diversa explicat symbola, quæ reperiuntur in Scripturis. Una ad Titum.

11. *Ad Joannem* Apostolum una, hoc est, ad dilectum Christi discipulum in Patmos Cycladum insula una exulantem, cui propheticè celerem prædicit ab exilio in Asiam reditum, ibique suo exemplo multis profuturum. Una ad Joannem.

12. *Ad Apollophanem* Gentilem Asiæ Philosophum una, in qua narrans ea, quæ sibi cum eo nondum fidem amplexo contigere, illi revocat in memoriam prodigiosam illam ac celebrem Solis eclipsim, quæ Christo patiente contigit, & cujus ipsi *Apollophanes* nimirum & *Dionysius* oculati testes fuere, dum *Heliopoli* simul degerent annos 25. circiter nati, illumque nunc fidem amplexum hortatur, ut in ea fideliter perseveret. Una ad Apollophanem.

Sed hæc non genuina esse Dionysii Areopagitæ scripta, sed alterius ab illo longè recentioris, & quinti sæculi auctoris, contendunt *Lutherani*, *Erasmus*, *Laurentius*, *Valla*, *Blondellus*, *Dallæus*, & alii hæretici nonnulli, imò & è Catholicis *Morinus*, *Launoyus*, multique alii recentiores, & eruditi. Communis tamen, & inconcussa aliorum Doctorum opinio tenet, scripta hæc sub nomine Dionysii laudata, & in Ecclesia usu recepta, genuina esse Dionysii Areopagitæ, sive Atheniensis opera; & sic probat

Genuina esse hæc Dionysii Areopagitæ scripta multipliciter ostenditur.

1. Quia hoc ipsa indicant auctoris opera, in quibus multa leguntur, quæ manifestè perhibent auctorem illum esse primi sæculi virum, cùm auctor ille, se Pauli Apostoli discipulum vocet, lib. de divin. nomin. cap. 2. & 3. cùm ad Timotheum Pauli Discipulum scribat epistolam unam, ad Titum Timothei condiscipulum alteram, ad Joannem Apostolum pariter unam, & ad Polycarpum Joannis discipulum alteram; cùm in epistola ad Apollophanem se Solis eclipsim patiente Christo contingentem, observasse notet; cùm denique se beatæ Virginis exequiis interfuisse dicat cum Petro, Jacobo fratre Domini, & aliis, lib. de divin. nom. cap. 3. Sed hæc omnia indicant auctorem illum, qualiscumque sit, fuisse primi sæculi virum, quod dici non potest de alio Dionysio, ab Areopagita diverso; non de Dionysio *Corinthio*, 2. sæculi viro; non de *Alexandrino*, 3. sæculi Episcopo; non de aliquo alio istis omnibus recentiore *Dionysio*, vel 5. sæculi viro; ergo de solo Dionysio Areopagita. Ergo ipsa opera, sub nomine Dionysii Areopagitæ laudata, indicant ipsum Areopagitam auctorem esse suum.

2. Quia si hæc scripta sub nomine *Dionysii Areopagitæ* recepta, non essent vera & genuina ipsius Dionysii *Areopagitæ* 1. viventis sæculo, sed alterius Dionysii, sive Corinthii, sive Alexandrini, sive posterioris, & 5. sæculi auctoris alicujus, ut volunt adversarii, necesse fatendum esset, auctorem illum, quisquis fuerit, virum esse insigniter mendacem, fallacem & impostorem aliquem: atqui hoc dici, nec cogitari potest de auctore istorum scriptorum, quæ miram ubique sapiunt pietatem, sinceritatem, gravitatem & sanctimoniam, nec id suspicari fas est de Dionysio Corinthiorum Episcopo 2. sæculi scriptore sancto, nec de Dionysio Alexandrino 3. sæculi confessore clarissimo, imò nec de quolibet alio pio & Deum timente viro, qualem se præbet in scribendo, istorum operum auctor. Ergo dicendum est, vera & genuina esse hæc Dionysii Areopagitæ 1. sæculo viventis opera.

Majoris sequela patet ex hoc, quòd auctor ille, si non esset Dionysius Areopagita 1. vivens sæculo, sed alter illo longè posterior, & 5. sæculi auctor, multa de se mentiretur, & falsa ventilaret nobis; ut v. g. dum se diceret Pauli discipulum, dum se Solis eclipsim, Christo patiente, vidisse narraret; dum se sanctis beatæ Virginis Deiparæ funeribus cum Apostolis interfuisse referret; dum denique se ad Timotheum, ad Titum, ad Joannem & ad Polycarpum scribere fingeret: ergo insigniter mendax, fallax & impostor esset auctor ille, quisquis esset, si non esset Dionysius Areopagita 1. vivens sæculo, ac proinde figmentis mendaciisque plena essent ejusmodi scripta, sub nomine Dionysii laudata. Quod dici non potest de hujusmodi scriptis, sub nomine Dionysii Areopagitæ vulgatis, cùm miram ubique spirent sanctitatem, cùm ab infirmis olim in honorem S. Dionysii Areopagitæ tacta, fuerint veris miraculis divinitùs cohonestata, cùm passim in Ecclesia, & in scholis, à Sanctis & eruditis ubique laudentur.

3. Quia non est credibile illa non esse genuina Dionysii Areopagitæ scripta, quæ ab undecim sæculis & ultrà, sub nomine Dionysii Areopagitæ solius, & nullius cujuscumque alius, fuere citata atque recepta tam à Conciliis, à summis Pontificibus, à sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm ab innumeris aliis viris eruditis ac magnis, nisi dicatur illos licet eruditos & magnos, omnes ad unum errasse, & ad Lutheranorum usque aliorumque con-

contradicentium tempora dormitasse. Atqui scripta sub nomine S. Dionysii Areopagitæ vulgata, sunt hujusmodi, cùm fuerint ab undecim sæculis & ultrà sub nomine S. Dionysii Areopagitæ solius, & nullius alius citata atque recepta tam à sacris Ecclesiæ Conciliis, à summis Pontificibus, à sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm ab innumeris aliis cujuscumque gentis viris eruditis ac magnis. Ergo non est credibile illa scripta sub nomine S. Dionysii Areopagitæ vulgata non esse vera ac genuina ipsius Dionysii Areopagitæ scripta. Quòd autem fuerint ab iis omnibus citata, sic pr. minor; nam

1. Fuere citata in Concilio Romano Lateranensi dicto, sub Martino I. Romano Pontifice celebrato, in quo lecta est Dionysii ad Cajum Epistola; citata fuere à Concilio œcumenico sexto Act. 4. & 8. contra Monothelitas; citata pariter fuere à septimo œcumenico Concilio contra Iconomachos, & allegatum præsertim illud de cœlesti Hierarchia cap. 1. ubi scribit, *Incorporea agmina diversis coloribus effigurari, quatenus per sacratissimas effigies ad incorporeas & simplices mentes transeamus.*

2. Fuere citata à summis Pontificibus, ut à *Martino primo* in Romano Concilio suprà laudato, à *Gregorio Magno* Hom. 34. in Luc. ab *Agathone* in Epist. ad Constantinum Pogonatum, ab *Adriano primo* in Epist. ad Carolum Magnum, à *Nicolao primo* in Epist. ad Michaelem Imperat.

3. Fuere citata à sanctis Ecclesiæ Patribus, ut à *Gregorio Magno* jam laudato, à *S. Maximo martyre*, qui nedum disputans olim contra Pyrrhum Monothelitam S. Dionysii Areopagitæ Epistolam ad Cajum citavit, sed qui in omnes alios Dionysii Areopagitæ libros scholia scripsit erudita; citata pariter fuere à *S. Joanne Damasceno*, dum lib. 1. orthodoxæ fidei cap. 15. hæc Dionysii verba ex cap. 1. lib. de divinis nominibus referens, dixit: *Enimverò hæc ex sacris, ut est apud Dionysium Areopagitam, oraculis edocemur, quòd Deus omnium causa & origo est, eorum quæ sunt essentia, eorum quæ vivunt vita, eorum quæ ratione prædita ratio*; fuere denique citata, aliis omissis, à S. Thoma Doctore Angelico, qui nedum ea ut genuina sub nomine Dionysii Areopagitæ recepit & laudavit, sed qui ea insuper commentariis illustravit egregiis.

4. Fuere citata ab innumeris Scriptoribus aliis viris eruditis & magnis, nedum à *Nicephoro Callisto* lib. 2. cap. 20. nedum à *Simeone Metaphraste* in oratione de dormitione B. Mariæ, nedum à *Sophronio* Patriarcha Jerosolymitano in Epist. ad Sergium Constantinopolitanum & Monothelitam, sed etiam à *Juvenali* Patriarcha pariter Jerosolymitano, & è Chalcedonensis Concilii Patribus uno, qui dum interrogatus ab Imperatore *Marciano*, & Imperatrice *Pulcheria*, de morte, exequiis, & sepulchro B. Mariæ Virginis, respondit S. Dionysium Areopagitam citans & dicens: *Tunc autem aderat cum Apostolis sanctissimus Timotheus primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita, sicut & ipse magnus testatur Dionysius in his, quæ de Beato Hierotheo, qui tunc aderat conscripsit ad Timotheum*. Ex iis ergo aliis omissis patet hæc scripta sub nomine Dionysii Areopagitæ fuisse ab undecim sæculis & ultrà citata à sacris Ecclesiæ Conciliis, à summis Pontificibus, à sanctis Ecclesiæ Patribus, & ab innumeris aliis viris eruditis & magnis, ac proinde ea non esse genuina S. Dionysii Areopagitæ scripta, sed supposititia, est prorsus incredibile, unde non mirum si de his dicat *Bellarminus* in suo

cat. de SS. Eccl. *De his operibus viri eruditi & Catholici nihil dubitant, soli Hæretici, Lutherani & quidam scioli, Erasmus, Valla, & pauci alii opera suprà numerata negant esse S. Dionysii Areopagitæ.*

Nec denique mirum si sacra Facultas Parisiensis in Sorbona congregata, die 17. Septembris anno 1527. dum Erasmi propositionem censura notaret illam, qua asserebat, alium à Dionysio Areopagita, eruditis videri, horum scriptorum auctorem, meritò dixerit olim: *Non verè eruditis, sed temerariis & novitatum studiosis, videtur non esse Dionysius Areopagites, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscripsit; quandoquidem ab ipso Dionysio Areopagita fuisse conscriptos constat, primùm ex ipsis Ecclesiasticæ Hierarchiæ & aliis ejusdem auctoris libris, deinde clarorum virorum testimonio comprobatur, postremò septimo generali Synodo id fit dilucidius, in qua magnus Dionysius appellatur, is qui libros scripsit Ecclesiasticæ Hierarchiæ*. Sed contra hujus Dionysii missionem & scripta opponuntur varia; unde contra missionem ejus

Resolvuntur objecta contra Dionysii Missionem, & Episcopatum.

Objicies 1. Cum oppositæ sententiæ viris *Gregorius Turonicus lib.1. hist. Franc. cap.30.* expressè dicit, Dionysium Parisiensem Episcopum primum fuisse cum sociis Decii tempore missum; ergo Dionysius Parisiensis Episcopus, nec potest esse Areopagita Dionysius Pauli discipulus, nec à Clemente primo sæculo missus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia (quod pace viri sancti dixerim) in hoc sicut & in multis aliis hallucinatus est Gregorius Turonicus, seu ut de illo ait Hilduinus Abbas, *Multa aliter quàm se veritas habeat æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto literis commendavit*. Idque confirmat Baronius in notis ad Martyr. circa festum S. Dionysii, & iterùm in 2. tom. Annal. objectioni propositæ respondens & dicens, *Objectio de Gregorio diluitur, ait enim Gregorius Turonensis missum Parisios Dionysium tempore Decii Imperatoris, quod quidem tam verum est, quàm quod ibi asserit ejusdem Decii tempore Trophimum Arelatem, Paulum Narbonam, & Martialem item in Gallias amandatos, quos constat fuisse Apostolorum discipulos & Apostolorum temporibus ad prædicandum Euangelium in Gallias esse missos, sed hoc sicut & alia plura auctoris simplicitati multa tam facilè admittenti donanda sunt.*

Objicies 2. Martyrologia *Bedæ*, *Usuardi*, & *Adonis*, & istis recentiora alia plura consignant festum S. Dionysii Areopagitæ 3. Octobris, festum verò S. Dionysii Parisiensis Episcopi 9. Octobris; ergo duos distinguunt & supponunt esse Dionysios, Areopagitam scilicet unum, & Parisiensem Episcopum alterum.

Resp. 1. Cum Baronio hoc quidem esse verum de corrupto & alterato Bedæ Martyrologio, ac proinde & de Martyrologiis Usuardi & Adonis, hoc corruptum & alteratum Bedæ Martyrologium sequutis; sed falsum de antiquissimo & non alterato Bedæ Martyrologio, in quo unus tantùm habetur Dionysius Parisiensis, scilicet septimo idus Octobris, ut Eminentissimus Annalista Baronius expressè notat ad annum 109. dicens: *Apud nonnullos in dubium revocatum est, an idem Areopagita sit ille Dionysius Parisiorum Episcopus? Beda diversis diebus duos ponit Dionysios, videlicet Areopagitam quinto nonas Octobris, Parisiensem verò Episcopum septimo idus ejusdem, quem sequutus Ado id ipsum asseruit. Caterùm antiquissimum Bedæ Martyrologium, quod erat apud nos scriptum itidem & Romanum dictum, acceptum olim ex reliquiis Monasterii sancti Cyriaci, unum tantùm habet Dionysium Parisiensem, scilicet septimo idus Octobris; unde non à Beda posita, sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagita*

pagita addita esse oportuit ex Græcorum videlicet Menologio : nam eo die tertio Octobris iidem agunt de Dionysio Areopagita ; verùm Bedæ tempore ea de Dionysio Areopagita, quòd unus idemque esset cum Dionysio Parisiorum Episcopo, adeò visa sunt explorata, ut posteà Ludovici Pii Imperatoris temporibus absque ulla dubitatione accepta fuerint.

Resp. 2. dicendo quòd etiamsi supponatur ipsum Bedæ Martyrologium non esse corruptum & alteratum, & in eo bis, seu duobus anni diebus fieri S. Dionysii memoriam, non inde sequitur duos esse Dionysios, sed solùm duos esse dies eidem Dionysio Areopagitæ, diversis de causis, consecratos, tertium scilicet Octobris diem ad conveniendum cum Græcis eo die colentibus illum, & nonum diem ejusdem mensis ad conveniendum cum Latinis eo die nono colentibus eumdem. Tertio die colitur Athenis à Græcis, quia ibi à Paulo conversus, baptizatus & primus Atheniensis Episcopus consecratus ; & nono die colitur à Latinis, & præsertim Parisiis, quia relictis Athenis Romam profectus, & à B. Clemente in Gallias missus Parisiorum fuit Episcopus & Apostolus primus, & Parisiis martyrium passus. Sic & Græci suo in Menologio bis in anno celebrant memoriam *S. Eustathii*, scilicet 25. die Februarii, & iterùm 5. Junii, nec tamen duos intendunt colere SS. Eustathios, sed unum & eumdem bis, diversis de causis, & duabus in Ecclesiis, in quibus successivè præfuit ut Episcopus, in Berœensi scilicet primò, & deinde in Antiochena; sicut & nos Latini bis in anno celebramus Cathedram S. Petri Apostoli, nempe die 18. Januarii, & 22. Februari, nec tamen duas intendimus celebrare S. Petri Cathedras, sed unam, & eandem duplici de causa, nimirum quia in ea sedit Petrus primùm Antiochiæ, deinde Romæ : non enim per Cathedram Petri, intelligenda est sedes materialis aliqua lignea vel lapidea, argentea, vel aurea, sed spiritualis illa potestas regendi Ecclesiam Petro collata à Christo dicente, *Pasce oves meas*, quam quia prius exercuit Antiochiæ, deinde Romæ, ideò prius Antiochiæ, deinde Romæ sedisse dicitur. Sic & in ipsa Regali S. Dionysii prope Lutetiam Abbatia ter in anno celebratur memoria, seu festum S. Dionysii Areopagitæ; videlicet nono die Octobris, 22. Aprilis, & 9. Junii, nec tamen tres ibi coluntur Dionysii Areopagitæ, sed unus & idem diversis de causis ; colitur enim 9. die Octobris, quia eo die martyrium passus ; 22. Aprilis iterùm colitur, quia eo die inventæ Reliquiæ ejus, & rursus 9. Junii quia eo die eædem ejus visitatæ & detectæ Reliquiæ.

Ioan. c. 21. v. 17.

Lib. Ant. Abb. S. Dionysii, c. 11.

Instabis. His in Martyrologiis præfatis Bedæ, Usuardi & Adonis ; Dionysius Areopagita, de quo fit mentio 3. Octobris, dicitur passus Athenis; sic enim legitur 3. Octobris, *Dionysii Areopagitæ, &c.* Et ille, de quo fit mentio seu festum 9. Octobris, dicitur passus Parisiis; sic enim legitur 9. Octobris, *Parisiis Dionysii Episcopi* ; ergo non unus, sed duo diversi ibi notantur Dionysii, quorum unus sit passus Athenis, alter Parisiis. Resp. neg. ant. quia ex his Martyrologiorum verbis non potest concludi duos ibi esse Dionysios, quorum unus sit passus Athenis, alter Parisiis, sed solùm duo ejusdem Dionysii festa, quorum unum fit Athenis 3. Octobris, & alterum Parisiis 9. Octobris : Quoties enim in Martyrologiis dicitur, memoriam sive festum alicujus Sancti fieri in aliquo loco, hoc non indicat illum Sanctum eo in loco fuisse mortem passum, ut innumeris ostendi posset exemplis; legitur enim in variis Martyrologiis de S. Ignatio martyre 1. Februarii, *Antiochiæ sancti Ignatii Episcopi & martyris,*

& tamen non Antiochiæ, sed Romæ martyrium passus est S. Ignatius; de S. Joan. Chrysostomo legitur 27. Januarii, *Constantinopoli S. Joannis Chrysostomi*, & tamen non Constantinopoli, sed Commanis & exul prope Pontum obiit S. Chrysostomus; & ne externa quæramus exempla, legitur in Martyrologio Romano de S. Ludovico 25. Augusti, *Lutetiæ Parisiorum S. Ludovici*, & tamen certum est, non Parisiis, sed in Africa in obsidione Tuneti sanctum obiisse Ludovicum; ergo ex præfatis de Dionysio Martyrologii verbis non potest concludi Athenis mortuum esse Dionysium Areopagitam, præsertim cùm nullus sit scriptor antiquus, sive Latinus, sive Græcus, qui dixerit unquam Athenis obiisse Dionysium Areopagitam; imò & ipsi quoque Græci in suo sive Menologio, sive Breviario, nihil prorsus de ejus obitu dicant, sed solùm de ejus ortu, & Athenarum Episcopatu.

Urgebis. Martyrologium insignis Ecclesiæ Remensis expresse dicit 5. nonas Octobris Dionysium Areopagitam Athenis glorioso martyrio coronatum; ergo verè Athenis mortem passus est Areopagita Dionysius, ac proinde nulla solutio præfata. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia nihil aut parum probat, quòd id longè recentius Remense Martyrologium asserat, cùm cætera longè antiquiora alia id negent, & negaverit cum illis, & cæteris scriptoribus antiquis *Hincmarus* laudatæ Remensis Ecclesiæ Præsul, vir peritus & religiosus, nec suæ sedis haud dubiè rituum & traditionis ignarus.

Objicies 3. In Parisiensium Episcoporum catalogo, à primo, scilicet à Dionysio usque ad S. Marcellum inclusivè, qui obiit anno Christi 436. numerantur novem dumtaxat Episcopi, nempe *Dionysius*, *Mallo*, *Massus*, *Marcus*, *Adventus*, *Victorinus*, *Paulus*, *Prudentius* & *Marcellus*; ergo non est credibile Dionysium illum primum Parisiensem Episcopum fuisse Dionysium Areopagitam primi sæculi virum à Clemente missum; sic enim ab eo usque ad Marcellum, hoc est, intra annos supra trecentos, novem tantùm fuissent Parisienses Episcopi, quod non videtur credibile. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia si à Dionysio ad Marcellum usque, novem tantùm numerentur Parisienses Episcopi, hoc non aliundè venire credendum, quàm ex interrupta, post Dionysium, Parisiensium Episcoporum successione, ob sævientem in Christianos Gentilium persecutionem, qua durante fuere varia similia alia diversis in Ecclesiis inter-pontificia, ut v. g. in Turonensi, & Remensi; in Turonensi quidem, cùm à *S. Gratiano* primo Turonensium Episcopo à B. Clemente cum Dionysio in Gallias misso, usque ad S. Martinum inclusivè, qui obiit juxta Baronium anno Christi 402. tres dumtaxat numerentur Episcopi, scilicet *S. Gratianus*, *S. Liborius* & *S. Martinus*, quod non aliundè venire dici potest, quàm ex interrupta post S. Gratianum Episcoporum successione, seu ex inter-pontificio, quo durante, Episcopo viduata remansit Turonensis Ecclesia, quod & fateri cogitur & ipse Gregorius Turonicus, licèt non conveniat de tempore Missionis S. Gratiani, & velit eum missum esse cum aliis, non à B. Clemente & primo sæculo, sed tempore Decii & tertio sæculo, quod & idem contigerit Ecclesiæ Remensi patet: nam à *S. Sixto* primo Remensium Episcopo & S. Petri discipulo, usque ad Betausium inclusivè, qui interfuit Concilio Arelatensi anno 314. quatuor numerantur tantùm Remenses Episcopi, nempe *S. Sixtus*, *S. Sinicius*, *S. Amantius* & *Betausius*, (ut ipse testis est Flodoardus Remensis

Baron. in an. ad an. 402.

sis Ecclesiæ Canonicus, & deinde S. Remigii Remensis Abbas, qui gesta Remensium Episcoporum, seu Remensis Ecclesiæ scripsit historiam) quod pariter aliunde venire non potest, quàm ex interrupta, post SS. Sixtum & Sinicium, Remensium Episcoporum successione, & diutino interposito inter-pontificio, ex sæviente Gentilium persecutione causato, & quo durante, Remensis, sicut & Parisiensis, Episcopo viduata remansit Ecclesia. Jam contra ejusdem Dionysii Areopagitæ scripta sic

Objicies 1. Illorum librorum, sub nomine Dionysii, meminit nemo è SS. Patribus, ante quintum sæculum; ergo non Dionysii Areopagitæ 1. viventis sæculo, sed alterius longè recentioris auctoris sunt opera. Resp. perm. ant. neg. conseq. 1. Quia ideò SS. Patres antiqui Dionysio posteriores non meminere istorum librorum sub nomine Dionysii, quia, vel non potuere, vel noluere: hi non potuere, quibus non erant noti; hi verò noluere, qui S. Dionysii studuere parere votis; optaverat enim vir ille sanctus, & postulaverat, ut sua, non omnibus etiam rudibus, nota forent opera; sed penes Episcopos solùm, & Presbyteros manerent, ut constat ex lib. de Ecclesiast. Hierar. cap. 1. 2. Resp. Argumentum hoc esse negativum, ex quo nihil, aut parum concluditur; licèt enim hæc Dionysii opera non fuerint ante quintum sæculum à SS. Patribus citata, non sequitur, ea non extitisse. Resolvuntur & allegata contra Dionysii Areopagitæ scripta.

Instabis. Eusebius, & sanctus Hieronymus, qui ex professo de Scriptoribus Ecclesiasticis & scriptis eorum egere, nihil prorsus de Dionysio Areopagita, vel de scriptis ejus dixere; at illi ea non siluissent haud dubiè, si quæ genuina extitissent Dionysii Areopagitæ scripta; ergo, &c. Resp. perm. maj. neg. min. Silent enim Eusebius & sanctus Hieronymus de multis Scriptoribus Ecclesiasticis aliis, ut de *Athenagora* Philosopho, de *S. Gregorio Thaumaturgo*, de *Joanne Climaco*, de *Chromatio*, de *Augustino*, de quibus vel de scriptis eorum nihil prorsus dixere, ut videre est in catal. S. Hier. & tamen certum est illos scripta reliquisse plura: scripsit enim Athenagoras *insignem pro Christianis Apologiam*, & *eruditum de mortuorum resurrectione librum*; scripsit Joan. Climacus *librum* 30. *graduum*, quibus fit ad perfectionem ascensus; scripsit Chromatius inter alia, *homilias de octo Beatitudinibus*; quid & quot scripserint SS. Gregorius Thaumaturgus, & Augustinus, Bibliothecæ perhibent omnes: ergo si Eusebius, & S. Hieronymus potuere de istis silere, potuere & de Dionysio Areopagita & scriptis ejus tacere; nec mirum, potuit enim ea tacere Eusebius, quia fieri potuit, quòd ea non viderit, sicut & aliorum scriptorum alia plura, ut ipse ingenuè fatetur se innumeros alios non vidisse suæ gentis libros, quales erant *Hymenæi*, *Narcissi* & *Pantæni*: Si ea non viderit, & tacuerit Eusebius Dionysii Areopagitæ scripta, non mirum esse debet, si eadem tacuerit Hieronymus in suo catalogo, in cujus præfatione ad *Dexterum*, se eos solùm colligere profitetur antiquos scriptores Ecclesiasticos, quos recensuit Eusebius, quod & præstitit, illis solùm superadditis, qui post Eusebii decessum ad sua usque tempora floruere.

Objicies 2. His in libris, nimirum in libro de divin. nomin. cap. 4. citantur hæc S. Ignatii epistolæ, paulò ante mortem ad Romanos scriptæ, verba, *Amor meus crucifixus est*. Et tamen longè ante Ignatium, Dionysium obiisse constat, cùm sub Domitiano imperante obierit Dionysius, imperante verò Trajano martyrium subierit Ignatius; ergo non Dionysii Areopagitæ, sed alterius illo recentioris, libri sunt isti. Resp. falsum es-

se, ante Ignatium, obiisse Dionysium; martyrium enim passus est S. Ignatius undecimo Trajani anno, Christi verò 111. & Dionysius anno Trajani ultimo, vigesimo scilicet, & Adriani 1. Christi verò 120. Unde non mirum, nec impossibile S. Dionysium, S. Ignatii licèt jam martyrium passi, citasse epistolam. Resp. 2. verba hæc S. Ignatii, non esse in Dionysio, nec à Dionysio, sed ab aliquo inscio imprudenter, & perperam in Dionysium intrusa, ut constat 1. ex hoc quòd verba illa S. Ignatii, *Amor meus crucifixus est*, non probant intentum Dionysii: intendit enim ibi S. Dionysius ostendere, nomen illud ἔρως sive *amor* accipi sæpè in sacris literis pro charitate, seu dilectione spirituali: & in epistola S. Ignatii, nequaquam sic sumitur, sed pro concupiscentia, seu amore terrestri, quem dicit in se crucifixum esse, hoc est, mortuum, nec jam amare aliud, præter Deum, extincto omni concupiscentiæ igne, & rerum terrenarum desiderio. Integra S. Ignatii verba hoc satis indicant; sic enim ait, *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei ullius terrenæ amans.*

Objicies 3. Auctor librorum istorum, qui dicuntur Dionysii, describit traditiones sacras, seu ritus, qui sensim in Ecclesia temporis decursu succreverunt, quique non erant Dionysii Areopagitæ temporibus in usu; ergo Dionysii non sunt libri isti. Resp. neg. ant. Nulla enim adduci potest talis traditio, sive cæremonia, de qua loquatur, quæ non fuerit illis temporibus usitata, licèt non eodem, & tam celebri apparatu, quo deinceps, ob ingruentes Tyrannorum persecutiones.

Objicies 4. Horum librorum auctor loquitur de Monachis; ergo Dionysii Areopagitæ libri esse nequeunt, cùm eo tempore Monachi fuerint nulli. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non loquitur de Monachis, qui essent Eremitæ, aut Cœnobitæ, quales hi, qui in silvis, aut montibus olim, aut quales nunc in Monasteriis, aut Cœnobiis habitant hodie, quales vigere cœpere 3. sæculo, SS. Pauli Antoniique temporibus; sed loquitur de Monachis, qui erant tales, non quòd soli habitarent, sed quòd vitam singularem, & terrenarum curarum expertem, unique Deo intentam degerent, qui *Therapeutæ* à puro Dei famulatu & cultu vocabantur, qui pars populi erant, & inter Laicos degebant, qui privatim in ædibus suis, vel communiter in Collegiis castè vivebant, & quibus in templo primus, inter Laicos, assignatus erat locus; quorum consecrationis ritus in hoc solùm situs erat, ut Sacerdos ante altare certas pro consecrando, retrò stante, funderet ad Deum preces, & conversus ab eo peteret, an rebus, & curis sæcularibus renuntiaret. Quòd, professum & annuentem, Crucis forma signaret, tunderetque, invocata sanctissima Trinitate, & veteri exutum veste, nova indueret, illumque salutaret, & cum illo alii viri sacri, tandemque sacra Communione donaret. Vide *Hilduinum, Baron. Spondam, Gall. Christ. Delrio, Halloix, Nat. Alex. &c.*

De S. Dionysio Corinthio. 174.

S. Dionysius Corinthius ad alias erudiendas Ecclesias, octo scripsit Epistolas.

S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, unde Corinthius nuncupatus, secundo vivens sæculo, tantæ fuit eloquentiæ vir, tantoque in universalis Ecclesiæ bonum præditus zelo, ut non suæ solùm Ecclesiæ populos, sed & aliarum Ecclesiarum Episcopos & oves suis erudiret epistolis, quarum 8. referuntur ab Eusebio & Hieronymo, è quibus

1. *Ad*

1. *Ad Lacedæmonios* erat, in qua de fide orthodoxa instruebat eos, eisque pacem & unionem præsertim commendabat.

2. *Ad Athenienses*, in qua conabatur in Atheniensibus fidem, & Euangelii praxim suscitare, arguens eos de neglecta, & deserta ferè doctrina sancta ab eo tempore, quo *Publium* amisere suum olim Episcopum sæviente persecutione martyrium passum, memoratque Quadratum *Publii* successorem, nec non S. Dionysium Areopagitam à S. Paulo Apostolo conversum & primum Atheniensium Episcopum.

3. *Ad Nicomedienses*, in qua perversam Marcionis hæresim debellabat, eique veritatis regulam opponebat.

4. *Ad Amastrianam* in Ponto Ecclesiam, qua in Epistola, post mentionem factam de Amastrianæ Ecclesiæ Præsule *Palma*, præscribit, recipiendos esse omnes, quotquot convertuntur & redeunt, à quocumque peccato vel hæresi redeant, quod haud dubiè præscribebat contra nimium tunc grasari incipientium Montanistarum rigorem.

5. *Ad Gortinensem* in Creta Ecclesiam, qua in Epistola, monet hujus Ecclesiæ fideles, ut caveant, ne seducantur ab hæreticis.

6. *Ad Gnossianos, & ad Pinytum* Gnossianorum in Creta Episcopum, qua hortatur eum, ne grave fratribus imponat continentiæ jugum tanquam necessarium; timebat haud dubiè S. Dionysius ne *Pinytus* zelo fortè nimio in Encratitarum impingeret errorem, qui matrimonium generatim omnibus interdicebant.

7. *Ad Romanos*, & ad *Soterum* Romanæ urbis Episcopum directa, in qua Romanos commendat, quòd ab initio soleant fratribus, & Ecclesiis variis subsidia mittere; *Soterum* deinde memorat & laudat, nedum in hoc eos imitatum, sed insuper quasi patrem fratres ad se venientes piis & charis collocutionibus consolatum.

8. *Ad Chrysophoram* sanctam fœminam directa, qua conqueritur de suis aliis ab aliquo falsatis epistolis, dicens: Epistolas scripsi plures rogatus à fratribus, sed à dæmonis apostolis, quos maledictio manet, per additionem vel diminutionem video zizanio refertas, unde non mirum si divinas Scripturas depravare tentaverint, cùm alias ab his longè dissimiles corruperint. Hæc quæ de illo Dionysio dicenda nobis, qui claruit sub Marco Antonino Vero & L. Aurelio Commodo Impp. De eo *Eusebius in Chron. & lib. hist. Eccles. S. Hieron. de Script. Eccles. Adon in Chron. an. 164. & Baron. an. 175.*

De S. Dionysio Alexandrino. 259.

S. Dionysius Alexandrinæ urbis, post *Heraclam*, Episcopus; qui sub Heracla prædecessore suo, scholam Catecheseon Alexandriæ Presbyter tenuit, fuitque Origenis auditor insignis, & S. Cypriani coævus illustris, ejusque, & Africanæ Synodi, circa sententiam de rebaptizandis hæreticis, sectator celebris, plures fertur scripsisse epistolas, commentarium in Ecclesiasten, in primam ad Corinthios, in Apocalypsim, & plura alia apud Eusebium & Hieronymum notata. Sed inter hæc omnia, quæ scripsit Dionysius Alexandrinus, sunt præsertim Epistolæ ad varios variæ, quarum

S. Dionysius Alexandrinus scripsit ad varios varias, sed præsertim quinque.

1. Est *ad Xystum* Romanum Pontificem Stephani successorem de rebaptizandis hæreticis.

2. *Ad*

2. *Ad Dionysium* Romanum Xysti pariter in Romana sede successorem, & de eodem argumento.

3. *Ad Paulum* Samozatenum, insignis quidem Epistola, paulò ante mortem scripta, additis responsionibus ad decem quæstiones ejus.

4. *Ad Fabium* de pœnitentia, sive ut legunt alii, ad Flavianum Antiochenæ urbis Episcopum; in qua, ut ostendat ei, nemini in extremis posito negandam esse, si petat, sacrorum mysteriorum Communionem, narrat ipsi *Serapionis* senis historiam, qui cùm sæviente persecutione lapsus esset, & pœnitentiam agens in morbum incidisset, puerum misit ad Sacerdotem rogans, ut ad se veniret; verùm cùm Sacerdos ipse morbo detineretur, Eucharistiæ particulam puero dedit, præcipiens, ut madefactam in os Senis ægrotantis infunderet, quod puer, ut præceptum fuerat, implevit.

5. *Ad Dionysium* Romanum Pontificem Apologetica; accusatus enim Dionysius iste Alexandrinus à Pentapolitanis apud Dionysium Pontificem Romanum, quòd scribens contra Sabellium, Filium Dei creaturam, & non ejusdem cum Patre essentiæ esse, dixisse videretur, epistolam scripsit Apologeticam ad ipsum Dionysium Romanum, in qua se ab illa purgabat erroris labe; obiitque tandem gloriosè martyrium passus, sæviente persecutione decima, sub Valeriano & Gallieno, anno Christi 259. vel ut placet aliis, an. 265. De eo *Euseb. lib. 6. & 7. hist. S. Hieron. in cat. Script. Eccl. Gennad. c. 3. de Eccl. Dogm. Sixtus Sen. lib. 4. Biblioth. & Bellar. de Script. Eccl.*

De S. Dionysio Romano. 272.

S. Dionysius Romanus unam contra Sabellianos.

S. Dionysius natione Græcus & Eremicola, & ex Eremita Presbyter Ecclesiæ Romanæ, ac tandem post sanctum Xystum summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, electus anno Christi 260. vel 261. ut placet aliis, unde Romanus vulgò dictus, insignem, inter alia, scripsit epistolam contra *Sabellianos*, sed cujus nihil superest præter fragmentum, apud S. Athanasium. Sub eo celebratum est Antiochenum illud Concilium, in quo ob suam hæresim damnatus *Paulus Samozatenus*; & tandem Aureliani Imperatoris persecutione sæviente, gloriosa martyrii palma donatus obiit, anno sui Pontificatus undecimo, Christi verò 272. *Videantur S. Athanasius contra Arianos, Anastasius de Rom. Pont.* & *Baronius in Annalibus.*

De Dionysio Exiguo. 540.

Dionysius Exiguus cyclum Paschalem, & canonum collectionem.

Dionysius iste, è Scythia oriundus Monachus, & Romanæ urbis Abbas, cognomento *Exiguus*, sed doctrina, & vitæ sanctitate magnus, scripsit anno circiter 527. *Cyclum Paschalem*, in quo, relicta profana Olympiadum, Consulum, & Imperatorum æra, omnium primus annos numerare cœpit ab incarnato Dei Filio, & hac Christiana æra adhuc hodie Romana utitur Ecclesia; scripsit insuper, & edidit è variis Ecclesiæ Conciliis, *sacrorum collectionem Canonum*. Obiitque meritis clarus circa an. Christi 540. De eo vide *Bedam hist. Eccl. lib. 5. Sigibert. de viris illust. c. 27. Trithem. in cat. Bellarm. de Script. Eccl. Baron. ad an. 527. &c.*

De

De Dionysio Carthusiano. 1471.

Dionysius iste natione Germanus, Leodiensis Diœcesis, è vico *Rikel* oriundus, unde Dionysius *Rikel* vulgò dictus; at quia Carthusiensis Ordinis per annos 48. Ruremundæ professus, *Carthusianus* inde communiter vocatus, vir morum sanctitate & eruditione clarus; scripsit *in omnes sacræ Scripturæ libros*, in 4. *Magistri sententiarum*, *& tot varia edidit alia*, ut præter *Augustinum* & *Alfonsum Tostatum*, aliosque nonnullos, apud Latinos, numero opusculorum parem habuerit ferè neminem, inquit Possevinus. Obiit anno Christi 1471. ætatis verò suæ 69. De eo jam suprà, vide *Trithem. Bellarm. Possevin. &c.* Dionysius Carthusianus in omnes Scripturæ, & in 4. Magistri sent. libros.

ARTICULUS IX.

De SS. Papia, Quadrato, Polycarpo, Melithone, Hegesippo & Hippolyto.

LIcèt primis Apostolorumque vicinis nascentis Ecclesiæ temporibus claruerint isti SS. Ecclesiæ Patres, scripta tamen nobis, vel nulla, vel admodum pauca reliquerunt; unde non mirum, si de his omnibus hìc simul agamus, & pauca de singulis in particulari notanda feramus.

De S. Papia. 126.

Sanctus Papias Aristionis, & Joannis senioris, seu Presbyteri, & non Apostoli auditor, S. Polycarpi familiaris & coævus, *Hieropolitanus*, in Phrygia Asiæ minoris, Episcopus, quinque juxta Eusebium, & S. Hieronymum, scripsit libros, qui inscribuntur, *Explanatio sermonum Domini*, quorum hodie nonnulla dumtaxat supersunt fragmenta, & in quorum præfatione monet, se non varias opiniones, sed Apostolorum collegisse dicta, ab iis qui cum illis fuerant conversati, dicens: *Considerabam quid Andreas, quid Petrus dixißent, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, vel alius quilibet discipulorum Domini, quid etiam Aristion, & senior Joannes discipuli Domini loquebantur; non enim tantum mihi libri ad legendum prosunt, quantum viva vox, & usque hodie in suis auctoribus personans.* Ex quo apparet duos fuisse Joannes, Apostolum unum, non Apostolum alterum, sed Presbyterum & discipulum Domini; idque tenent hi, qui duas posteriores Joannis epistolas, non Apostoli, sed Presbyteri esse volunt. S. Papias is est, qui primus auctor creditur opinionis, seu fabulæ, de millenario, post resurrectionem, in terris Christi cum Sanctis futuro regno, quem secuti sunt *Justinus*, *Irenæus*, *Apollinaris*, & alii; nec tamen ille, nec isti, in hoc hæretici dicendi, quia nondum pro hæresi haberi cœperat hæc opinio. Vide *Euseb. hist. S. Hieron. in cat. S. Iren. lib.* 5. *Bedam, Usuar. Martyr. Rom. &c.* S. Papias libros scripsit quinque pro explanatione sermonum Domini.

De

De S. Quadrato . 126.

S. Quadratus Apologeticum pro Religione Christiana librum.

S. Quadratus Apostolorum discipulus post *Publium*, ob Christi fidem Martyrii laurea donatum, Atheniensis ordinatus Episcopus, Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregavit, *Adrianoque* Imperatori à se *conscriptam, pro Christianis porrexit Apologiam, seu Apologeticum pro Religione Christiana librum*, valde utilem, plenumque rationis & fidei, & Apostolica dignum doctrina, in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait, plurimos à se visos, qui sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus sancti fuerant, & qui à mortuis resurrexerant, inquit in suo Script. Eccl. catalogo, S. Hieronymus, c.19. Vivebat autem Quadratus circa annum Christi 126. & ultrà. Vide *S. Hieron. de Script. Eccl. Euseb. lib.4. hist. Baron. ad an.* 125. *&c.*

De S. Polycarpo . 169.

S. Polycarpus insignem & utilem ad Philippenses epistolam,

S. Polycarpus, sancti *Joannis Apostoli* discipulus, & ab eo Smyrnensis ordinatus Episcopus, Sanctorum *Ignatii*, *Dionysii Areopagitæ*, *Justini* & *Photini* primi Lugdunensis Episcopi coævus & æqualis, cùm ob motas de die Paschæ quæstiones aliquas, imperante Antonino Pio, & Ecclesiam *Aniceto* regente, Romam venisset, plurimos de credentium numero, *Marcionis* & *Valentini* persuasione deceptos, reduxit ad fidem; cùmque fortuitò ei obviàm venisset Marcion, & dixisset: *Cognoscis nos?* respondit, *Cognosco te primogenitum diaboli*. Scripsit *insignem & utilem ad Philippenses epistolam*, per Crescentem, in qua se ipsis in Domino mirificè congaudere testatur, quòd martyres veræ charitatis incitamenta exceperint & deduxerint, quòdque fides à primis temporibus annuntiata permaneat & fructificet in eis, & hortatur eos, ut in ea firmi perseverent & immutabiles, miraque tradit eis Christianæ vitæ præcepta, monens inter alia, ut sint *bonorum æmulatores, à scandalis caventes, & à falsis fratribus, & ab iis, qui nomen Domini ferunt in hypocrisi, qui vanos homines seducunt: omnis enim qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, Antichristus; & qui non confitetur martyrium crucis, ex diabolo est; & qui deflexerit eloquia Domini ad sua desideria, & dixerit, Neque resurrectionem, neque judicium, hic primogenitus satanæ, &c.* Hæc Polycarpi epistola, S. Hieronymo teste, publicè in Asianis olim legebatur Ecclesiis, quæque cum Ignatianis reperitur epistolis, & in qua se Ignatianas ad illos misisse memorat, dicens: *Epistolas sanè Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis, habeo, & alias quantascumque apud nos habuimus, transmisimus vobis*. Posteà tamen regnante *M. Antonino Vero* & *L. Aurelio Commodo*, quarta post Neronem persecutione sæviente Smyrnæ, sedente Proconsule, & universo adversus eum, in Amphitheatro, personante populo, igni traditus, gloriosa Martyrii palma donatus est, anno Christi circiter 169. sicque in eadem persecutione, licèt non eodem anno, Martyrium passus est Smyrnæ *Polycarpus*, Romæ *Justinus*, & Lugduni in Gallia *Photinus*. Vide *Euseb. lib. 4. hist. & in Chron. ad ann.* 157. *S. Hieron. in cat. c.*17. *Socrat. lib.* 5. *Honor. August. Trithem. Bellarm. de Script. Eccles. &c.*

De S. Melithone. 170.

S. Melitho vir Sardensis in Asia Episcopus, cujus elegans & declaratorium ingenium laudans Tertullianus, in libris septem, quos adversus Ecclesiam scripsit pro *Montano*, dicit eum à plerisque nostrorum Prophetam putari. Floruit sub M. Antonino Vero Imperatore, cui Apologeticum obtulit pro Religione Christiana librum, de quo, sicut & de multis aliis ab eodem Melithone conscriptis, nihil superest hodie, præter fragmenta nonnulla ab Eusebio, lib. 4. hist. Eccles. collecta, inter quæ reperitur ejus ad *Onesimum fratrem epistola, librorum veteris Testamenti catalogum describens*. Plura numerant alia ejusdem opera, Eusebius & S. Hieron. sed *Libellum de transitu B. Virginis*, seu de Assumptione B. Mariæ Virginis, qui S. Melithonis nomine circumfertur in Bibliotheca PP. nusquam memorant; unde supposititium Melithonis opus esse censetur, & à Gelasio Papa inter Apocrypha meritò computatur, & indignus *Melithone* liber judicatur. Obiisse creditur S. Melitho anno circiter 170. Vide *Euseb. lib. 4. hist. c. 25. S. Hieron. de Script. Eccl. Gelasium Papam, cap. cum Sancta, dist. 15. apud Gratian. Bellarm. de Script. Eccl. &c.*

S. Melitho ad Onesimum epistolam de veteris Testamenti libris.

De S. Hegesippo. 180.

S. Hegesippus vir temporis Apostolici vicinus, sub *Aniceto* & *Eleutherio* Romanis Pontificibus florens, *omnem à Christo passo ad suam usque ætatem, Ecclesiæ texuit Historiam, quinque editis libris* sermone simplici & Apostolico, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem, quibus in libris expressas esse Traditiones Apostolicas asserit Eusebius: sed evanuere, nec comparent hi hodie libri, præter fragmenta paucissima ab eodem Eusebio relata, lib. 4. hist. Eccl. nam alii de excidio Jerosolymitano libri, qui sub Hegesippi circumferuntur nomine, non istius, sed alterius Hegesippi recentioris, & post Constantini magni tempora scribentis, esse censendi sunt; obiisse enim creditur Hegesippus, anno Christi 180. Vide *Euseb. lib. 2. 3. & 4. hist. S. Hieron. in catal. c. 22. Bellarm. de Script. Eccl. Baron. ad an. 167. &c.*

Et S. Hegesippus à Christo passo ad sua usque tempora Ecclesiæ texuit historiam;

De S. Hippolyto Martyre. 229.

S. Hippolytus istis adjungitur, licèt paulò recentior: fuit autem *S. Hippolytus Clementis* Alexandrini discipulus, *Origenis*que familiaris, urbis Arabum Metropolis Episcopus, Romam sub *Callisto* Pontifice summo profectus, & Portuensi donatus Episcopatu, unde & Portuensis Episcopus dictus, tandem sub Alexandro Severo martyrium pro Christo passus est, anno circiter 229. post scripta plura Ecclesiæ relicta, & ab Eusebio, lib. 6. hist. c. 15. & à S. Hieronym. lib. de Script. Eccles. relata, sed è quibus sola supersunt

Hippolytus verò orationem de consummatione mundi.

1. *Oratio de consummatione mundi, de Antichristo, ac secundo adventu Domini.*
2. *Excerpta quædam ex libro de Theologia & Incarnatione.*

Sed librum istum *S. Hippolyto* perperam & falsò tributum opinantur nonnulli. 1. Quia illius nulla apud veteres mentio. 2. Quia *S. Hippolyti* tem-

temporibus nondum exortum *Apolinaris* & *Eutychetis* refellit errorem, de divinitate in carnem Christi, vel carne Christi in divinitatem mutata.

Objicies. S. Hippolytus in orat. de consum. mundi dixit 1. *Joannem* Evangelistam nondum mortuum, sed adhuc superstitem esse, & cum *Henocho* & *Elia*, ad prædicandum in fine mundi venturum. 2. Ipsum Antichristum non futurum verum hominem, sed Dæmonem humana forma indutum, contra Scripturam vocantem eum hominem peccati, & filium perditionis. Ergo, vel in hoc erravit Hippolytus, vel hæc oratio Hippolyti non est. Resp. Hippolytum plura veteri more, & nondum satis eliquata, sed posteà diligentiùs & accuratiùs discussa dixisse, quæ sunt aliqua reprehensione digna; sed hos & alios humanæ infirmitatis nævos, si qui sint, abundè sui sanguinis effusione detersit, martyrium pro Christo passus S. Hippolytus, cujus tempore florebat in Africa Tertullianus. Vide *Euseb. in chron. & lib. 6. hist. c. 16. S. Hieron. in cat. c. 61. Honor. August. Bellarm. Baron. &c.*

ARTICULUS X.

De S. Justino Martyre. 165.

S. Justini patria, professio, martyrium, & scripta, quæ sunt.

SAnctus *Justinus* Philosophus & Martyr, Prisci Bacchii filius, patriam licèt habuerit Neapolim Palæstinæ Provinciæ urbem, Romæ tamen commoratus, ibique verbo, vita, & habitu Philosophum agens, dum Religionis in Deum amore ferveret & cresceret, insidiosè accusatus à *Crescente* quodam viro Cynico, sibi vita & Religione contrario, quòd Christianus esset, insidias lubenter est passus, indeque ansa Martyrii captata, lætus & hilaris pro Christo mortem subiit Romæ, anno Christi 150. ut volunt *Bellarminus*, *Possevinus*, & alii; vel potiùs anno 165. ut opinantur nonnulli alii; ætatis verò suæ anno 30. secundùm aliquos, & 50. secundùm alios: ex quo patet, cur *Justinus* non floruerit temporibus Apostolicis, benè autem *Polycarpus*, licèt Polycarpi contemporaneus fuerit Justinus, priorque Martyrio donatus, quàm Polycarpus, quia nimirum longè minùs vixit Justinus, posteriùsque natus, quàm Polycarpus; primus tamen eorum, quorum, post Apostolica tempora, ad nos pervenere scripta, videtur esse Justinus, scribens temporibus *Antonini Pii*, & successorum ejus *Marci Aurelii* & *Lucii Veri*; scripsit enim varia æquè utilia ac docta; sunt tamen talia ea quæ ei tribuuntur scripta, ut alia sint indubitata & certa, dubia vel supposititia alia, & alia temporum injuria perdita. Sunt autem

Indubitata Justini scripta.

Oratio parænetica ad Græcos.

1. *Oratio parænetica ad Græcos*, sive Gentiles, hoc est, hortativa oratio, in qua, ut ethnicos homines dehortetur, & retrahat à plurium Deorum impio cultu, ob longissimæ consuetudinis præscriptionem, & acceptam à majoribus suis traditionem, pertinaciter retento atque defenso, & eosdem ad veram veri unicique Dei religionem alliciat, & plurium Deorum Religionis vanitatem ut aperiat, & unius veri Dei Religionem omnium antiquissimam ostendat, ridiculas & ineptas quasdam, tum veterum

terum poetarum, tum philosophorum de suis Diis opiniones adducit, eorumque nonnulla de uno Deo rectè dicta commemorat; Moysen interim legislatorem primumque pietatis nostræ Doctorem, poetis omnibus illis, philosophis, scriptoribusque Græcis antiquiorem esse, profanorum historicorum testimonio probat.

2. *Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium*, hoc est, Apologetica oratio, qua apud Antoninum Imperatorem Christianos defendit à mala de illis per orbem currente fama; atrox siquidem & horrenda toto terrarum in orbe erat in Christianos dispersa fama, qua Rei dicebantur de nefandis quibusdam & illicitis conventibus, in quibus noctu infanticidia, humanarum carnium viscerationes, lucernarum per canes eversiones, promiscuos concubitus, & alia id genus nefanda peragerent, & ita in omnium animis invaluerat hæc de Christianis concepta turpis & falsa fama, ut ad damnationem eorum satis esse putarent judices, solum nomen ipsum, seu si solummodo Christiani deferrentur; quam ut impugnet famam *Justinus*, Christianorum innocentiam aperit, rem prorsus iniquam esse dicens, eos inauditos & incognita causa, ob incertam famam, & nomen non incommodum ad supplicia trahi, rogans & enixè flagitans, ut deinceps sicut & cæteri non damnentur inauditi.

Apologia pro Christianis ad Antoninū.

3. *Apologia pro Christianis altera ad Senatum Romanum*, hoc est, Justini oratio altera apud Senatum Romanum habita, qua conqueritur Christianos innoxios, ob solum nomen, causa incognita, iniquissimè ad supplicia rapi, idque in Ptolomæo, Lucio, & alio quodam, tribus videlicet sanctis viris, absque ratione factum ostendit, ab initio statim orationis, in progressu & in fine extremum Dei judicium Romanis inculcat, eorum refellens errorem, qui Christianorum doctrinam de judicio Dei, & æternis malorum cruciatibus, pro inani terriculamento tenent, flagitia de Christianis falsò vulgata, Christianos non patrasse, sed semper execratos affirmat, & postremò Romanos ad pœnitentiam exhortans à Senatu petit, ut ille decreto suo, si quod hac in re promulgarit, hanc Apologiam publicè jungat, ut populus Romanus Christianorum innocentiam agnoscat.

Altera pro iisdem ad Senatum.

4. *De Monarchia Dei liber*, sive oratio ad Græcos pariter directa, ut credit *Joannes Langus Silesius* S. Justini operum è græco in latinum translator eruditus, in qua, ut eos de amplectendo veri & unici Dei cultu convincat, ostendit, à mundo condito naturam accepisse conjunctionem sapientiæ, & salutaris seu veræ Religionis ad cognitionem veritatis, & unius ejusdemque Dei veri omnium Domini cultum, sicque statim ab initio unius veri Dei cultum obtinuisse, sed invidia diaboli obiter subingressa, in idololatriam multos inter homines irrepsisse, & unius veri Dei sensim oblivione ducta, perniciosæ consuetudinis præscriptione longiùs invaluisse, qua perversa consuetudine repudiata, primam & antiquam atque veram unius veri Dei Religionem sequendam esse suadet, probans ex ipsis veteribus poetis ac philosophis suæ falsæ de Deorum pluralitate doctrinæ palinodiam testantibus, unum verum Deum esse, hujus rerum omnium universitatis auctorem.

De Monarchia Dei liber.

5. *Dialogus cum Tryphone Judæo* de veritate Christianæ Religionis, hoc est, celebris illa disputatio in clarissima Asiæ urbe Epheso, à S. Justino Philosopho Christiano habita, & toto biduo continuata pro Religionis Christianæ veritate, cum *Tryphone* Synagogæ Judaicæ principe, qua in disputatione, sive colloquio eò tendit *Justinus*, ut Christum Jesum verum esse

Dialogus cum Tryphone.

Deum

Deum & hominem, verumque Messiam salvatorem mundi à Deo tot sacris Prophetarum oraculis prædictum, atque promissum ostendat.

Aristotelicorum dogmatum eversio.

6. *Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio*, hoc est, liber ille quem Pauli presbyteri rogatu conscripsit Justinus noster, ut nonnullos ostenderet & refelleret Aristotelis philosophorum principis errores; cùm enim philosophorum sit de rerum principiis & causis, ac proinde de prima causa quæ Deus est, inquirere, & Aristoteles philosophorum princeps de iis, hoc est, de materia, forma & privatione, imò de cœlo & motu ejus, & aliis, permulta non satis convenientia protulerit, *S. Justinus* hoc in libro ea ingeniosè refellit; idque non argumentis ex sacra Scriptura depromptis, ut facilè potuisset, sed ex ipsa ethnica philosophia etiam Aristotelica, ut hominem sibi non constare, & in propria doctrina sibi ipsi adversantem ostendat, sicque veritati & gloriæ unius veri Dei rerum omnium creatoris inserviat. Hujus libri licèt nulla fiat mentio ab Eusebio, Hieronymo & Nicephoro in catalogo Scriptorum S. Justini, *Photius* tamen illum genuinum esse censet S. Justini librum. *Bellarm.* aliunde tenet nullum indicium evidens esse hujus libri falsitatis sive suppositionis, ideò hic inter indubitata Justini opera numeratur à nobis. Sed ista sunt

Dubia vel supposititia.

Expositio catholicæ fidei.

1. *Expositio catholicæ & orthodoxæ fidei*, hoc est, liber de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate dictus, quia in eo doctè simul ac piè exponuntur tria præcipua Theologiæ & fidei nostræ catholicæ capita, videlicet trinæ & unius Divinitatis ineffabile mysterium, duarum naturarum divinæ & humanæ in una Christi persona mirabilis unio, & singularis Verbi Dei in templo corporis sui præsentia; Verbum enim Dei licèt sit præsens in reliquis omnibus, non tamen simili modo quo in sui corporis templo. Liber iste cujuscumque sit, insignis est, & S. Justino auctore dignus, inquit Bellarm. lib. de Script. Eccl. tamen quia de illo nulla fit apud Eusebium vel Hieronymum mentio, & aliunde stylus ejus videtur à Justini stylo diversus, inde est quòd reponatur ab eodem Bellarm. inter dubia Justini scripta.

Ad Zenam & Serenum epistola.

2. *Ad Zenam & Serenum de vita Christiana epistola*, sive liber per modum epistolæ ad Zenam & Serenum Christi Religione fratres directus, quo de vita piè Christianèque degenda instruit eos, & talia dat eis de omni virtute præcepta, ut ipsis, sive cœlibes, sive conjuges sint, de quo non constat, ita utilia sint & congrua, ut æquè plebeis ac Ecclesiæ Prælatis prodesse valeant. An sit Justini liber iste, pari modo, & iisdem de causis dubitat ibid. *Bellar.*

Responsionum libri duo.

3. *Responsionum libri duo*, hoc est, liber unus responsiones continens Christianas ad quæstiones Christianorum, seu à Christianis factas, & liber alter Christianas pariter complectens responsiones ad quæstiones Ethnicorum seu ab Ethnicis propositas, de incorporeo, de Deo & de resurrectione mortuorum. Hos libros S. Justini non esse censet Bellar. tum quia non memorantur inter Justini scripta ab Eusebio & Hieronymo, tum quia in eis fit mentio Manichæorum Justino posteriorum, tum denique quia in iis præsertim q. 82. & q. 86. citatur Origenes Justino pariter recentior; sed si non Justini, sunt saltem auctoris eruditi & pii, & qui

& qui legantur digni, cùm de rebus tractent magnis & scitu necessariis ad salutis nostræ mysterium fideique Christianæ finem prolixiùs cognoscendum.

Deperdita Justini scripta.

Dicuntur plura quæ ei tribuuntur opera alia, & quæ non comparent hodie, qualia sunt v.g. liber *de anima*, liber alter *Psaltes* inscriptus, liber *contra hæreses omnes*, cujus ipse mentionem facit in Apologetico ad Antoninum Pium, dicens: *Est autem nobis liber contra hæreses & sectas omnes compositus, quem si legere volueritis, dabimus, contra Marcionem*; insignia volumina, quorum meminit S. Irenæus in suo quinto adversus hæreses libro; imò & liber *de Monarchia Dei* dimidius periit. Et scripta deperdita alia plura.

Objicies 1. *Justinus* in suo, cum Tryphone, Dialogo docuit fabulosam de millenario Christi in terris regno post resurrectionem futuro sententiam; ergo, vel hæresim docuit Justinus, vel ille non est genuinus Justini liber. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia hanc tenuere & plures alii magni nominis viri, ut *Irenæus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Apollinaris & alii*, nec tamen, in hoc, hæresim docuisse dicendi, quia tunc nondum erat definita quæstio. Objecta contra Justinum resolvuntur varia.

Objicies 2. In eodem Dialogo cum Tryphone dixit: *Filium in divinis, alium esse à Conditore mundi.* Ergo & non esse consubstantialem illi; ergo & ante Arium in Arianam lapsus est hæresim. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non dixit S. Justinus, Filium esse aliud, sed alium; seu non dixit ἕτερον, id est ἄλλο, sed ἕτερος, ut notaret, Filium esse alium in persona, non in essentia.

Objicies 3. Asseruit S. Justinus in Apologia 1. c. 44. Angelos prævaricantes stuprum cum mulieribus habuisse, filiosque procreasse, qui Dæmones dicti sunt; ergo & in hæresim lapsus. Resp. perm. ant. neg. conseq. licèt enim falsa sit, & improbabilis hæc opinio, non tamen hæresis, fuitque Justino communis cum S. Clemente Alexand. Tertulliano & S. Cypriano.

Objicies 4. Justinus videtur docuisse, hominem solo rationis lumine salvari posse, dum in Apologia 2. pro Christianis dixit: *Quicumque cum ratione & Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis Athei, & nullius numinis cultores habiti, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, & alii.* Ergo in Pelagianismum, etiam ante Pelagium, lapsus est Justinus, vel hæc apologia est Justino falsò tributa. Resp. neg. ant. quod non probant verba hæc, ex Justino deprompta: sensus enim Justini est, quòd illi omnes qui conformiter ad rationem & Verbum incarnatum vixere, verè Christiani sunt, quamvis Athei, & nullius numinis cultores, id est, quamvis nullius falsi numinis cultores habiti, quales habiti fuere Socrates & Heraclitus. Quod ut intelligatur, sciendum est quòd antiquitùs perversi Dæmones cùm per spectra apparentes, mulieres constuprarent & pueros imminuerent, terriculamenta hominibus exhibentes, ut attoniti illi, (qui res ipsas, quæ fiebant, non ratione judicabant,) ac metu correpti, Dæmones malos esse, nescientes, Deos illos vocarent, & nomine quemque, quod sibi quisque Dæmonum imposuerat, appellarent. Postquam verò Socrates ratione vera, hæc per inquisitionem aperuit, & mortales à Dæmonibus abducere conatus est, illi

ipsi Dæmones, per homines pravitate gaudentes effecere, ut quasi Atheus, id est nullius Numinis cultor, & impius vir, nova inducens dæmonia occisus sit; unde Atheus, & nullius Numinis cultor habitus est *Socrates*, non quòd nullius omninò Dei esset cultor, sed quia nullius falsi hujusmodi Dei cultor existeret; & in hoc sensu, Christiani omnes Athei dici possunt, licèt veri Dei cultores, & pro Deo mortem subire parati; sic enim Græci sive Gentes, Christianos omnes vocabant olim Atheos, eò quòd pro diis non haberent eos, quos pro diis imperitum vulgus habebat & colebat. Vide *S. Irenæum lib. 4. adversus Hæref. Euseb. in hist. Hieron. in cat. c.* 23. *Sixt. Senens. Baron. Bellarm. &c.*

ARTICULUS XI.

De S. Irenæo. 202.

S. Irenæi educatio, prædicatio, legatio, Episcopatus, obitus & ejus ingenii fœtus qui sunt.

SAnctus *Irenæus* insignis fuit Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, & Christi Martyr fortissimus, cujus patriam, parentes, & diem natalem, hìc pro certo notare, res ardua prorsus est ac difficilis, cùm de his profundè sileant Scriptores antiqui. Gallum ipsum vocat *Oecumenius* in 2. c. epist. 2. S. Petri: verùm eum Episcopatus officio, non originis loco, Gallum fuisse fatemur; si enim Gallus origine fuisset, quomodo è Gallis Smyrnam Asiæ minoris urbem, peragratis Cycladibus, totum mare Ægæum ætate tener & parvulus adhuc trajicere potuisset, ut ad *Polycarpum* illic Smyrnæ degentem & docentem accederet? unde si quæ sit melioribus conjecturis danda fides, non Gallus fuit, sed Asianus, nec Latinus, sed Græcus, & *Irenæus* græca dictione, *Pacificus* latinè sonante vocatus, & fortè Smyrnæus Smyrnæ piis & christianis parentibus ortus; fuit enim, dum adhuc puer esset, S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi auditor & discipulus, qui ab eodem posteà grandior factus & maturior, cum pluribus aliis in Gallias missus, Lugduni substitit, eo tempore quo Lugdunensem regebat Ecclesiam *Photinus* Lugdunensium Episcopus primus. Dum ibi sacerdotali fungitur officio, prædicationi vacat Euangelicæ, & omni virtutum genere claret, multos ad Christi fidem traxit; sed Antonini Veri Imp. in Christianos orta persecutione, & graviter vexatis & turbatis Ecclesiis, agitatisque quæstionibus variis, à Martyribus adhuc Lugduni & Viennæ in carcere detentis missus est ad *Eleutherium* Rom. Pontificem anno 170.

Quantum temporis hæc legatio duraverit, non constat; hoc unum tamen certum, quòd Roma reversus Lugdunum, *Photino* venerabili jam nonagenario, cum pluribus aliis Martyrii palma donato, in sede Lugdunensium episcopali successit *Irenæus* jam sexagenarius, & venerabilis, vir verè *Apostolicus* à S. Hieronymo dictus *in c. 64. Isajæ*, & meritò; fuit enim Apostolicorum temporum vicinus, Apostolicæ pietatis amator ac defensor, & Apostolicæ doctrinæ prædicator mirabilis, quem *præcipuum Gallorum Occidentalium lumen* vocat Theodoretus dial. 1. & *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* Tertullianus lib. adversus Valent. c. 5. qui cùm per 23. circiter annos suæ præfuisset Ecclesiæ, & nedum suæ, sed & vicinis aliis, suis monitis & scriptis invigilasset, *Severi* tandem Imperat. persecutione sæviente, cum omni ferè suæ civitatis popu-

populo, propè nonagenarius gloriosi laurea martyrii redimitus & ipse Lugduni, die 28. Junii anno Christi 202. vel juxta Baronium 205. Cujus opera non latinè sed græcè primùm edita, *juxta Hieronym. & Euseb.* sunt ista, quorum major pars vel temporum injuria, vel hæreticorum fraudibus perdita.

Scripta S. Irenæi.

1. *Adversus hæreses Valentini & similium Gnosticorum libri* 5. hoc est, eruditum illud opus & celebre, in libros 5. divisum, quibus *Valentini* & similium *Gnosticorum*, videlicet *Marci, Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Cerinthi, Ebionis, Nicolaitarum, Cerdonis, Marcionis* & *Tatiani*, perniciosas detegit & refellit hæreses, hoc ordine, ut in 1. libro primùm illorum omnium hæreses, veluti perniciosa monstra, & crudeles feras, è suis lustris & specubus, ab omnibus perimendas educat & exponat, quid quisque perversè senserit aperiens, deinde veritates fidei Catholicæ ab Apostolis & Euangelistis traditas, & in Ecclesia semper retentas proponit, exponit & opponit; in quatuor verò posterioribus libris, easdem ipsorum hæreses, sic enuntiatas & veluti feras in aperto positas, ne grassentur in Ecclesia, variis congressionibus fortiter & eruditè refellit, impugnat & jugulat. Libri quinque adversus hæreses Valentini.

2. *Contra Gentes* liber unus *de disciplina* inscriptus, de quo Eusebius lib. 5. hist. c. 25. sic ait: *Circumfertur & aliquis ejus liber contra Gentes, brevissimus ille quidem, maximè tamen necessarius, de disciplina inscriptus, sive de scientia*; in quo, ut Gentiles à Deastrorum vanitate deterreat, & ad unius veri viventisque Dei agnitionem alliciat, philosophiam Christianam solam veram & homini salutarem esse probat. Liber unus contra Gentes de disciplina.

3. *Ad Marcianum fratrem liber unus de Apostolica prædicatione*, quem ideò scripsit, ut eos omnes, quos hæreticorum impetus ac fraudes in vera fide & religione vel nutare fecerant, vel dejecerant, sacris exhortationibus confirmaret vel erigeret. Liber unus ad Marcianum fratrem.

4. *Variorum Tractatuum liber unus*, hoc est, liber unus varios exhibens tractatus, quibus tam sacris Scripturis, quàm germanis Apostolorum Traditionibus, quas ab illorum Auditoribus diligenter acceperat, multorum animos in sincera sanctaque pietate firmaret. Liber unus variorum Tractatuū.

5. *De Ogdoade* liber, seu egregium commentarium, ut vocat Hieronymus, de Ogdoade, sive de octonario numero, occasione *Florini* condiscipuli quondam sui sub *Polycarpo*, sed jam in Valentinianorum hæreses lapsi. Liber unus de Ogdoade.

6. *Ad Blastum epistola de schismate*; Blastus autem erat Ecclesiæ Romanæ presbyter, sed Gnosticæ Valentini doctrinæ sectarius, suasque ob impietates ab *Eleutherio* Romano Pontifice è suo sacerdotali gradu tandem ejectus, qui prætextu ritus Paschalis Judaismum in Ecclesiam inducere cogitabat, dicens non aliter celebrandum esse Paschale festum, quàm Mosaico Judæorum more, 14. Martii luna, sicque ab eo fatale Quartadecimanorum schisma traxit initium, cujus occasione istam ad eum scripsit epistolam *Irenæus*, in qua quantum conjici potest, quid sit schisma, & quàm grave sit crimen exponit, unde epistola de schismate dicta. Epistola ad Blastum de schismate.

7. *Ad Florinum epistola* altera, *de Monarchia* dicta, seu epistola in qua ostendit quòd unicus sit Deus, & ille nequaquam sit malorum sive peccatorum auctor, ut perperam & impiè propugnare videbatur ille *Florinus* Ad Florinum altera de Monarchia.

Romanæ Ecclesiæ presbyter, Valentini discipulus, & Blasti socius, similique cum Blasto pœna mulctatus ab Eleutherio Romano Pontifice; & hac in epistola, cujus fragmentum superest nobis, exprobrat Irenæus Florino suo quondam sub Polycarpo condiscipulo, quòd sibi traditam ab Apostolorum discipulis non teneat doctrinam, dum ait: *Ista dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant ipsorum Apostolorum discipuli, minimè tibi tradiderunt; vidi enim te cùm adhuc puer essem in inferiore Asia, apud Polycarpum, cùm in aula Imperatoris splendidè lautèque vitam degebas, & sedulò te Polycarpo probare nitebaris.*

Ad Victorem tertia de celebrādo Paschali die.

8. *Ad Victorem* Romanum Pont. *de Paschali celebrando die* epistola; cùm enim inter Asiaticos & Europæos, de Paschalis festi celebrando die recrudesceret dissidium, & in apertum schisma palam erumperet; Asiatici siquidem, quorum primus erat *Polycrates* Ephesius, ex antiqua Patrum suorum traditione pertinaciter censebant, more Judæorum, decimo-quarto die lunæ, in quemcumque hebdomadæ diem incidisset, celebrandum esse Paschale festum; Europæi econtrà cum *Victore* Rom. Pontifice ex B. Petri Apostolorum principis traditione & Concilii Romæ coacti determinatione, non nisi Dominico die celebrandum esse tenebant: cui dissidio finem se daturum putans *Victor*, Asianos omnes quasi alterius & non sanæ doctrinæ viros excommunicare, & à communi Ecclesiæ Universalis unitate rescindere decrevit, à quo proposito tam calido *Victorem* retrahere conantur Occidentales Episcopi, sed præsertim & vehementiùs *S. Irenæus* Lugdunensis Episcopus, hanc ei eo animo scribens epistolam, qua licèt ipse non nisi die Dominico Paschale festum celebrandum esse teneat, tamen vehementer & acerbè illum arguit de tali proposito, hortaturque, rogat & obsecrat, ne externi ritus prætextu pacem Ecclesiæ turbet, neve tot illustres & antiquas Asiaticas Ecclesias à Catholicæ Ecclesiæ communione sejungat & abscindat. Objicit ei *Aniceti* & *Polycarpi* Smyrnensis exemplum; cùm enim Romam venisset ad Anicetum Rom. Pont. Polycarpus, illicque aliquantulùm commoratus esset, de rebus magnis dissidens cum Aniceto, illis tamen decisis ac compositis, deinceps nihil controversiæ moverunt de hoc capite, (in eo licèt non convenirent, & sequeretur *Polycarpus* Asiaticorum morem, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem *Anicetus*) sed per Polycarpi discessum sejuncti sunt in pace & unione, quin unquam de excommunicando Polycarpo sibi in hoc dissentiente cogitasset Anicetus; quo exemplo, aliisque multis eum ita urget argumentis, ut illum tandem retrahat ab abscindendis de corpore Christi, tot & tam illustribus Ecclesiis.

At nec de hac S. Irenæi ad Victorem epistola, nec de præfatis aliis ejusdem scriptis, quorum meminit Eusebius lib. 5. hist. & S. Hieronym. in cat. de Script. Eccl. nil omnino, præter 5. libros adversus hæreses Valentini & similium Gnosticorum, superest nobis, exceptis fragmentis duobus, uno videlicet fragmento epistolæ ad Florinum, & altero epistolæ ad Victorem.

Varia in Irenæi doctrinam refelluntur objecta.

Objicies 1. Cum Heterodoxo Calvinianæ Sectæ grege, erravit *Irenæus*, dum in suo 2. adversùs hæreses libro, fultus hoc Scripturæ loco, apud Joan. cap. 8. dicentis, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti*, asseruit Christum anno ætatis suæ quinquagesimo fuisse passum. Ergo, &c. Resp. hanc, de Christi ætate, Irenæi sententiam à nobis non probari, quia communi Ecclesiæ doctrinæ contrariam; excusandus tamen est Irenæus,

næus, si ferventi quodam *Gnosticos* impugnandi zelo raptus, (qui unum dumtaxat annum Christum prædicasse, nec ultra 31. vixisse volebant,) plures ipse posuerit, quàm reipsa fuerint; idque ex majorum traditione, & ex præfatis Scripturæ verbis Judæorum ad Christum dictis, probare tentaverit.

Objicies 2. *S. Irenæus* lib. 4. cap. 3. dixit, *Henoch ad Angelos fuisse legatione functum*. Ergo & in hoc erravit Irenæus: Henoch enim homo, & non Angelus erat, qui ad Angelos mitti posset. Resp. nullum ibi esse Irenæum arguendi locum; missus enim fuerat Henoch ad filios *Seth*, ut eos suis concionibus & monitis, à Cainitarum sceleribus & consortio, ad Dei timorem revocaret; unde ad Angelos missus dici potuit, cùm juxta versionem Septuaginta filii *Seth* nuncupentur Angeli.

Objicies 3. *Irenæus* lib. 5. in fabulosam Papiæ de millenario Christi in terris regno sententiam abiit; ergo & in hæresim. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia tunc nondum Ecclesiæ judicio damnata hæc opinio; & si quam in hoc, vel in aliquo alio, contraxerit erroris maculam Irenæus, illum eam suo sanguine pro fide Christi fuso lavisse constat. Vide *Euseb. lib. 5. hist. Hieron. in cat. de Script. Eccl. Greg. Turon. lib. 1. hist. c. 27. & de gloria Mart. c. 5. Fevardentium in notis ad opera Irenæi, Bellarm. de Script. Eccl. &c.*

ARTICULUS XII.

De Tertulliano. 216.

Tertullianus (de quo hìc dicturi sumus, non tanquam de sancto Ecclesiæ Patre, sed tanquam de viro sua eruditione celebri) fuit natione Afer, patria Carthaginensis, patre natus ethnico Centurione Proconsulari, vir acri præditus ingenio ac vehementi, divinis imbutus disciplinis pariter & humanis, qui per aliquot annos Carthagine Rhetoricam gloriosè docuit, quique circa annum juxta Pamelium 196. sub *Victore* Rom. Pontifice, & imperante Septimio Severo, è Gentili ad Christi fidem conversus, & pro more Christiano dimissa toga pallium indutus, de pallio librum edidit, ad citò repellendam inconstantiæ labem sibi perperam objectam, quòd à toga transiisset ad pallium, hoc est, ab Ethnico ad Christianum; cùmque deinde Carthaginensis Ecclesiæ presbyter esset ordinatus, quamplurimos alios eruditione plenos scripsit pro Ecclesia libros, quos tanti faciebat olim S. Cyprianus, Hieronymo teste in cat. Script. Eccl. ut diem prætermitteret nullum, quin Tertulliani lectione gauderet aliqua, amanuensi suo sive notario *Paulo* Concordiensi solitus crebrò dicere, *Cedo Magistrum*, Tertullianum videlicet Magistri nomine designans; sed tandem vir ille licèt ingenio summus & eruditione magnus, cùm, inquit S. Hieronym. *usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset*, Procli cujusdam Montanistarum hominis insania delusus, & aliunde Clericorum Ecclesiæ Romanæ contumeliis & invidia læsus, ad insanum Montani dogma turpiter lapsus est; ex quo insani ac novitii dogmatis fautor ac defensor, specialiter contra Ecclesiam scripsit volumina varia; ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant opuscula condidisse, eodem Hieron. teste

Tertulliani patria, professio, religio, conversio, lapsus, & scripta quæ sunt juxta *S. Hier. in cat. Script. Eccles. Baron. Bellar. & Pamelium.*

l. SS. Eccl. Sed an poſt lapſum, ad Eccleſiam redierit, quoque mortis genere, ubi, & quando vivere deſierit, nullibi conſtat; conſtat autem quòd Hieronymus Helvidio Tertullianum citanti, *Tertullianum hominem Eccleſiæ non eſſe* reſpondit: dolendum ſanè tam magnum doctrinæ lumen erraſſe, cujus *conſequens error ſcriptis probabilibus detraxit auctoritatem*, inquit S. Hilarius in ſuo in Matthæum Commentario. Sunt autem

Scripta Tertulliani pro Eccleſia.

Apologeticus liber pro Chriſtianis, perſecutione vexatis.

1. *Apologeticus adverſus Gentes* liber unus, pro Chriſtianis dira perſecutione vexatis: cùm enim Imperante *Severo*, & ſæviente perſecutione quinta, inſontes paſſim nulla ſexus vel ætatis habita ratione, inauditis ante illum diem vexarentur ſuppliciis, adeòque deploranda illorum eſſet conditio, ut indicta cauſa, & ſolo nominis Chriſtiani præjudicio, damnarentur, Tertullianus pro ſumma qua pollebat facundia, & veræ Religionis amore flagrans, eorum ſuſcepit patrocinium & apologiam, hunc ideò pro eis apologeticum ſcribens librum in quo, quàm injuſtè vexentur, & falsò accuſentur Chriſtiani, demonſtrat, & Chriſtianæ Religionis veritatem & excellentiam, paganæ verò ſuperſtitionem, vanitatem & ineptiam exhibet.

Ad Nationes libri duo de eodem argumento.

2. *Ad Nationes* libri duo, quorum argumentum ferè idem eſt, ac præcedentis Apologetici libri, & in quibus eadem ferè reſumit, ſed accuratiùs & tutiùs, quæ delineaverat in Apologetico; opus ſanè præſtantiſſimum, ſed cujus paginæ complures ita corruptæ vel corroſæ, aut injurioſo vetuſtatis pede quaſſatæ, ut, quale ſupereſt nobis hodie, videatur parùm utile.

De teſtimonio animæ Deum eſſe teſtantis liber unus.

3. *De teſtimonio animæ* liber unus. Chriſtianæ Religionis cauſam agens *Tertullianus*, tum in Apologetico, tum in duobus præfatis ad Nationes libris, videnſque id ſibi nihil aut parùm profuiſſe, idem proſequitur hoc in libello, ideò De teſtimonio animæ dicto, quia in eo, ut novo pugnandi genere Chriſtiani nominis hoſtes impugnet, ad teſtimonium recurrit animæ, & ex eo ſolo hìc Dei veri demonſtrat exiſtentiam, alteriuſque vitæ poſt mortem futuræ veritatem, urgetque præſertim ex vulgaribus illis omnium in ore paſſim reſonantibus dictis, *quod Deus dederit, ſi Deus voluerit, benedicat te Deus, Deus videt omnia, Deo commendo, Deus reddet, & Deus inter nos judicabit*. Eo cœperat uti Tertullianus argumento, in Apologetico cap. 17. dicens: *Vultis, ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus, quæ licèt carcere corporis preſſa, licèt inſtitutionibus paucis circumſcripta, licèt libidinibus ac concupiſcentiis evigorata, licèt falſis Deis exancillata, cùm tamen reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine & ſanitatem ſuam potitur, Deum nominat hoc ſolo nomine quia proprio Dei veri, Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt, judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet; ò teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! &c.* hoc eodem animæ teſtimonio fuſiùs utitur hoc in libello.

Ad Scapulam liber unus pro Chriſtianis non vexandis.

4. *Ad Scapulam* liber unus, quem ideò miſit Tertullianus ad *Scapulam* provinciæ Africæ præfectum, Carthagine degentem, & Chriſtianis ultima minantem, ni Chriſtum negarent, ut eum lenire, & à tam dira in Chriſtianos perſecutione deterrere conaretur, dicens inter alia, *Religionis non eſſe Religionem cogere, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi*, addens inſontes

tes esse Christianos, & nullam civitatem impunè laturam tot illorum sanguinis effusionem.

5. *De Spectaculis* liber unus, cui occasionem dedisse videntur, teste *Nic. Ricaltio*, ludi sæculares octavi Romæ editi, imperante *Severo*, in quibus varia exhibebantur certamina, & varia voluptatum occasio, à quibus ut fugiant Christiani, hos hoc in libro hortatur & monet Tertullianus, exponens pericula, quæ imminebant ex illa immani flagitiorum pompa, idque illorum præsertim occasione Christianorum, qui oblectandi animi, & spectaculorum causa, potius quàm mortis metu, vel horrore Martyrii, deficiebant à fide. De spectaculis vitandis liber.

6. *De Idololatria* liber unus, in quo, ut idololatriam profliget omnem, quàm grave sit & infandum scelus idololatria demonstrat, eamque non in solo idolorum cultu sitam esse, sed insuper multifariam multisque modis committi posse docet, variasque percurrit & expendit scientias & artes, & vitæ genera varia, in quibus idololatriam reperiri contendit. De idololatria, quàm grave sit scelus liber unus.

7. *De corona Militis* liber unus, scriptus occasione donativi, seu gratuiti cujusdam doni ab Imperatoribus *Severo* & *Antonino Caracalla* militibus distribuendi; quod cùm singulis ex ordine vocatis Tribunus jam erogaret, accessit miles quidam, qui jam Christo nomen dederat, manu lauream castrensem deferens, quam in capite gestabant cæteri, ex sacrorum suorum ritu, quia Gentiles. Tribunus, Christiani militis hujus factum miratus, quærit quid hoc sibi velit: respondet miles se Christianum esse, proindeque laureatum incedere non licere sibi: rapitur statim in carcerem, desertæ idololatriæ pœnas daturus. Hoc Christiani militis factum, cùm nonnulli etiam ex Christianis improbarent, quòd videlicet imprudenter paulòque ambitiosiùs, nec in tempore opportuno, nimiùm cùm nihil esset necesse, Christianismum fuisset professus, Tertullianus Christianorum morem & usum de non gestanda in capite corona, ac proinde & præfatum Christiani militis factum defendit hoc in libro, ideò *de corona Militis* inscripto, in quo mira de Traditione profert, quibus Traditiones non scriptas recipiendas esse suadet, & inter alia, ut defendat Christianorum morem de non gestanda in capite corona, & respondeat objicientibus hoc nullibi in Scriptura prohibitum, & dicentibus: *Ubi prohibemur coronari, ubi scriptum est ne coronemur?* sic ait: *Hanc si nulla Scriptura determinavit observationem, certè consuetudo roboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & Traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquantò priùs in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur ampliùs aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum; & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in* De corona Militis liber unus, pro tuendo Christiano milite de non gestata in capite corona.

Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.

De Pallio liber unus, quo rationem reddit cur à toga transierit ad pallium.

8. *De Pallio* liber unus, quem statim post baptismum, & ad Christi fidem conversus scripsit Tertullianus, ea scilicet occasione, quòd cùm, pro more Christiano, deposita toga pallium induisset, & inconstantiæ notaretur ab amico quodam, quòd à *toga* transiisset ad *pallium*, seu quòd Christi militiæ nomen dedisset, hanc satyricam Carthagine scripsit & habuit apologiam, quam inscripsit librum *de Pallio*, & in qua suæ mutationis quasi rationem reddens, mirandum non esse docet, si deposita toga, & sumpto pallio, vestem mutaverit, cùm totus ipse mundus mutationi sit obnoxius; pallii insuper antiquitatem, facilitatem & commoditatem explicat, & vitio sibi verti non debere, quòd togam verterit in pallium, variis declarat exemplis.

De Pœnitentia liber unus, in quo quid sit Pœnitentia & quid exomologesis explicat.

9. *De Pœnitentia* liber unus, in quo mirificè pœnitentiam extollit, quid illa sit, diligenter ostendit, & Gentilium de ea opinionem refutans, duplex distinguit pœnitentiæ genus; unam scilicet quæ fit ante baptismum, alteram, quæ fit ab his, qui post baptismum in gravia lapsi sunt crimina, quam ipse græco vocabulo vocat *Exomologesim*, dum eam describens cap. 9. sic ait: *Hujus igitur pœnitentiæ secundæ & unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est; ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est.*

De oratione liber unus Dominicalem orationem explicans.

10. *De oratione* liber unus, in quo orationis Dominicæ laudes prosequens, singulas ejus petitiones breviter explicat, ostendens eam nedum esse familiarem & quotidianam precandi formulam, sed insuper quoddam esse totius Euangelicæ disciplinæ breviarium, deinde qua ratione, quove corporis habitu sit orandum, obiter attingit.

Ad Martyres liber unus, eos ad perseverantiam exhortans.

11. *Ad Martyres* liber unus, quo fideles in carcere pro Christi fide detentos, seu designatos Martyres consolatur & hortatur, ut patienter & alacres ad finem usque perseverent.

De patientia liber unus, Christianis omnibus patientiam exponens & suadens.

12. *De patientia* liber unus, persecutionis occasione scriptus, & mira elegantia concinnatus, in quo Tertullianus patientiæ describens laudes, Christianos omnes ad patientiam hortatur, Dei ipsius & Christi Domini salvatoris exemplo, qui solem suum super justos & injustos oriri facit, qui se in utero matris in terris nasci passus est, & natus adolescere, tentari, trahi, verberari, derideri, fœdis vestiri vestibus, & fœdioribus coronari, nec tamen magis aperuit os, quàm agnus sub tondentis potestate. Hunc Tertulliani librum imitatus, suum scripsit Cyprianus *de bono patientiæ* librum; & hoc in libro Tertullianus fugam in persecutione patientiæ bono imputat, licèt posteà factus Montanista contrarium, sed frustrà, scripserit in libro de fuga in persecutione.

13. De

13. *De habitu muliebri* liber unus, in quo mulierum vestimenti luxum carpit & castigat: cùm enim Christianas mulieres, in seipsis ornandis, Gentilibus matronis cedere nolle videret, monet eas ut invidiam, humanæ perditionis causam, lugendo fugere, potiùs quàm augere superbiendo meminerint; docetque istiusmodi res omnes, quæ formæ inserviunt & ornatui, à Deo quidem esse, sed non in hunc usum, à malis Angelis inductum.

De habitu muliebri liber unus, in quo mulierum in vestibus luxû arguit.

14. *De cultu fœminarum* liber alter, in quo de eodem agit argumento, ac in libro de habitu muliebri; unde est quòd in edit. Paris. an. 1664. luci publicæ data, *de cultu fœminarum* inscribantur duo libri isti, licèt in hoc secundo multa de primo tractentur uberiùs, & nova etiam non pauca proferantur utiliùs, in quo potissimùm arguit Tertullianus in fœminis nimiam & Christiano nomine indignam capitis, faciei & capillorum curam, dicens inter alia: *Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuvias alieni capitis, forsan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti supparetis; imò omnem hanc ornatus servitutem à libero capite depellite, frustrà laboratis ornatæ videri, frustrà peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis, Deus vos velari jubet.*

De cultu fœminarum liber alter de eodem argumento.

15. *Ad uxorem suam* libri duo: cùm enim antequam Presbyter esset, uxorem duxisset Tertullianus, eo tempore, quo absens erat, & existens fortè Romæ, quo frequenter ibat, imò & in quantum apparet valetudinarius, & quasi jam de morte cogitans, hos duos ad illam scripsit libros, in quorum priori eam dehortatur à secundis nuptiis, hoc est, hortatur eam ut si prior ipse decesserit, ne ipsa denuò alteri nubat; in posteriori verò monet eam quòd, si tandem nubere velit, ne Gentili viro, sed Christiano nubat.

Ad uxorem libri 2. quibus suadet ei, ut non denuò nubat; vel si nubat, Christiano nubat.

16. *De velandis virginibus* liber unus, in quo, cùm cerneret quanta prodirent mala, ex eo quòd in Christianorum cœtibus aperto starent capite virgines, non secùs ac in choreis solent, quæ maritum quærunt, docet non modò mulieres, sed etiam virgines esse velandas.

De velandis virginibus liber unus, quo probat virgines esse velandas.

17. *Adversus Judæos* liber unus, in quo Mosaicam legem cum suis ritibus ac cæremoniis ad tempus fuisse datam, hoc est, ad adventum usque Messiæ, ipsumque Messiam jam venisse probat ex Prophetarum vaticiniis.

Adversus Judæos liber unus, quo Messiam venisse probat.

18. *De præscriptione hæreticorum*, sive *adversus hæreticos* liber unus, verè aureus, ideò sic inscriptus, quia in eo, dum omnes generatim impugnat hæreses, ostendit hæreticorum dogmata non esse audienda, neque recipienda, quia nova, & ipsa præscriptione jam sufficienter eversa; præscribimus enim hæreticis, eo ipso quo sunt hæretici: cùm hæretici nova proprio suo judicio eligant & proferant dogmata, contra receptam & probatam ab Ecclesia doctrinam; quos ut refellat Tertullianus, & nihil habitis disputationibus profici cernat, præscriptiones opponit illis, & hæreticos omnes ab Ecclesiæ cunis enumerans, ostendit omnes illorum doctrinas esse novas & longè posteriores Ecclesiæ doctrina, quam solam veram esse Christi & Apostolorum doctrinam esse probat, ac proinde tenendam illam esse, & illi oppositam rejiciendam quamcumque aliam.

De præscriptione hæreticorum liber unus, probans hæreticorum doctrinas non esse audiendas, quia novas.

19. *De baptismo* liber unus, duas complectens partes, in quarum priori baptismi necessitatem, & efficaciam propugnat contra Cainanitas hæreticos, ridiculam eorum de eo profligans hæresim inductam à *Quintilla* quadam monstruosissima fœmina, Montani posteà discipula, qua necessariam in baptismo aquam auferebat; in posteriori parte varias proponit & solvit circa baptismum disciplinæ quæstiones, inter quas duo hìc notanda dicit:

De baptismo liber unus, quo baptismi necessitatē ostendit.

Pri-

Primum est, quòd respondens iis, qui ex eo quòd baptismus dicatur ita ad salutem necessarius, ut sine baptismo salutem consequi possit nemo; & aliunde Apostoli nullibi legantur baptizati præter Paulum, dubitabant & quærebant quomodo Apostoli salutem essent consequuti, sic ait, non determinando an fuerint baptizati vel non, sed dicendo quòd sive tincti quoquo modo fuerint, sive non, de salute tamen eorum nullatenus esse dubitandum, quia magna fides eorum potuit eis esse loco baptismi, præsertim cùm illi essent familiares & comites individui Christi, qui credentibus etiam non baptizatis salutem promittebat, dicens: *Fides tua te salvum facit*; *Et remittuntur tibi peccata*, credenti utique, nec tamen tincto seu baptizato; nec tamen inde concludi potest nunc baptismum non esse ad salutem necessarium, cùm jam sit lex de baptismo promulgata, & necessitas ejus declarata; necessitas scilicet declarata à Christo Joan. cap. 3. vers. 5. dicente: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; & lex de eo promulgata ab eodem Christo Domino, Matth. cap. 28. vers. 19. dicente: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Secundum est, quòd quærens, an baptismus iterari possit? respondet nullatenus iterandum, excepto tamen hæreticorum baptismate, quod iterandum esse docet, dicens, hæreticos nullum habere baptismum, ac proinde dare non posse; & in hoc errat Tertullianus, nec audiendus.

Adversus Hermogenem liber unus, quo materiam non æternã esse probat.

20. *Adversus Hermogenem* liber unus, in quo, materiam à Deo creatam, & ex ea mundum fuisse conditum defendit, contra Hermogenem hæreticum ex Africa virum, materiam ab æterno fuisse, & non à Deo initio mundi creatam asserentem, quem hauserat errorem ex Platonica Philosophia; unde est quòd Philosophos, hæreticorum Patriarchas vocet Tertullianus.

Adversus Valentinianos liber unus, Deorũ multitudinem evertens.

21. *Adversus Valentinianos* liber unus, in quo, recensendo ridet ac spernit potiùs, quàm seriò debellet & impugnet, insulsos de Deorum multitudine Valentinianorum errores.

De anima liber unus, in quo varios de anima intermiscet errores.

22. *De anima* liber unus, contra Philosophorum hæreticorum placita scriptus, in quo de animæ natura & dotibus ejus agens, varios intermiscet errores; ut v. g. dum dicit quòd anima sit corporea, quòd corporis figuram induat, quòd non ex cœlo veniat, sed ex traduce fiat, hoc est sicut corpus ex corpore, ita anima ex parentum anima; quòd post hominis mortem, omnes in subterraneum mittantur locum, ibique pœna afficiantur, vel refrigerio, juxta propria merita, vel demerita, expectantes resurrectionem & judicium, ut tandem ex integro felices fiant, vel in æternum miseræ, &c.

De carne Christi liber unus, quo Christum veram sumpsisse carnem probat.

23. *De carne Christi* liber unus, in quo, contra *Marcionem, Apellem, Valentinum, & Basilidem* hæreticos, Christum humanam nostræque similem assumpsisse carnem in sacræ Virginis utero, demonstrat & probat.

24. *De resurrectione carnis* liber unus, in quo *Sadducæos* aliosque carnis resurrectionem negantes impugnat hæreticos, ostenditque carnis, hoc est, corporum cum anima resurrectionem non fuisse etiam Philosophis ignotam, & esse Christianorum fiduciam, incipiendo sic dicens: *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum, illa credentes sumus, hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit, &c.*

De resurrectione carnis liber unus, quo futurã cor-

25. *Adversus Marcionem* libri 5. in quibus Marcionis hæreses impugnat & fabulas; *Marcion* enim Ponticus, ob varia crimina ab Ecclesia pulsus olim,

olim, & Cerdonis amplexus hæresim, cœpit docere duo esse principia, seu duos Deos, bonum unum & mitem, & malum alterum ac sævum; bonum esse novi Testamenti auctorem & Christi Patrem, malum verò veteris Testamenti, mundique creatorem esse; à bono Deo Christi Patre missum fuisse Christum, ut Dei mali opera, hoc est, legem veterem & Prophetas aboleret. Quæ omnia isto in opere quinque in libros diviso, sic refellit Tertullianus, ut in 1. libro fusè duorum illorum Deorum repugnantiam ostendat; in 2. Deum creatorem mundi, bonum esse, non malum; quidquid à Deo Patre & creatore factum est, sapienter & benè factum esse docet; in 3. Christum non alterius Dei esse intelligendum, quàm Dei creatoris, ostendit, idque Propheticis scripturis, quas Christo adveniente impletas esse perhibet; in 4. ostendit vetus Testamentum, & novum sibi omnino consentire, ut sic impugnet Marcionis Antitheses, hoc est Marcionis librum unum, *Antitheses* cognominatum, in quo vetus Testamentum à novo separabat, & sibi invicem opposita dicebat; in 5. denique eò præsertim tendit, ut ostendat in epistolis Pauli Apostoli non alium prædicari nobis Christum, quàm Creatoris, seu à Deo creatore missum.

porum resurrectionē astruit.

Adversus Marcionem libri 5. quibus impugnat Marcionis hæreses.

26. *Scorpiacum adversus Gnosticos de bono Martyrii*, seu liber unus, quem ideò sic *Scorpiacum*, vel *Scorpiacen* inscripsit, quia in eo tradit quasi remedium quoddam sive antidotum contra hæreticos, & præsertim *Gnosticos*, qui latenter, scorpionum instar, suæ perversæ doctrinæ virus effundebant, simplicibus imponendo, & dicendo in Martyrium, nec necessarium esse Martyrium nec utile, Deumque Christianorum sanguinem non sitire, sicque cum Basilide hæresiarcha suo fideles avertebant à Martyrio, dicentes cum illo inter impia alia, crimen non esse Christum negare persecutionis tempore, imò dementiam esse maximam, pro hac re mortem subire, cùm citra crimen possit negari Christus; quod perversum & impium dogma hìc contra eos fortiter impugnat Tertullianus, & Martyrii utilitatem, necessitatemque probat hoc in libro, qui ideò dicitur *Scorpiacum* contra Gnosticos, de bono Martyrii.

Scorpiacum liber unus, de bono martyrii contra Gnosticos, martyrium inutile dicentes.

27. *Adversus Praxeam* liber unus, in quo, post suprà probatam Dei unitatem contra *Marcionem*, jam personarum in Deo Trinitatem propugnat contra *Praxeam*, qui primus ex Asia Romam intulit Patripassianorum hæresim, dicens ipsum Deum Patrem in Virginis uterum descendisse, ex ea natum fuisse, & deinde passum, eumque esse eumdem cum Christo Jesu; supponebat enim *Praxeas* ille cum *Sabellio*, sed falsò, perperam, & impiè, Patrem, Filium & Spiritum sanctum non tres, sed unicam esse personam, diversis nominibus appellatam.

Adversus Praxeam liber unus, quo Deum Trinum in personis esse defendit.

Scripta Tertulliani contra Ecclesiam.

1. *De exhortatione castitatis* liber unus, in quo cuidam amico, cujus obierat uxor, suadens ut à secundis abstineat nuptiis, adeò invehitur inter disputandum, ut secundas nuptias, quasi adulterium reprobet.

De exhortatione castitatis liber unus, quo secundas nuptias dissuadet.

2. *De monogamia* liber unus, in quo secundas nuptias apertè damnat, & in suadenda monogamia totus est, & de quo *S. Hieron.* epistolam ad Titum enarrans, ait: *Scripsit & Tertullianus de monogamia librum hæreticum, quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit ignorabit*; & iterùm in catalogo Script. Ecclesiast. librum hunc contra Ecclesiam scriptum asserit.

De monogamia liber alter, quo secundas nuptias apertè reprobat.

3. De

De fuga in persecutione liber unus, quo perperam asserit illicitam esse in persecutione fugã.

3. *De fuga in persecutione* liber unus, quem etiam adversus Ecclesiam à Tertulliano scriptum asserit *S. Hieron. in catalogo Script. Eccles.* Cùm enim Fabius Presbyter, imminente quadam Christianis persecutione, quæsiisset à Tertulliano, num licitum esset in persecutione fugere, & vitam pretio redimere, respondissetque tunc Tertullianus cursim & breviter, jam hoc in libello, (in quo nimiùm meminit Paracleti Montani,) copiosiùs respondet & fusiùs, asserens non esse fugiendum, sed fortiter pro Christo moriendum, perperam addens illud Christi dicentis, Matth. cap. 10. vers. 23. *Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, præceptum esse omninò temporale.

De jejuniis adversus Psychicos liber unus, quo Montani defendit jejunia contra Catholicos.

4. *De jejuniis adversus Psychicos* liber unus, ideò sic inscriptus, quia Tertullianus jam in Montanicam lapsus hæresim, in eo Montani defendit jejunia contra Catholicos, quos calumniosè *Psychicos* vocat; improbabant enim Catholici rigida quædam & insolita Montanistarum jejunia, & hæc eadem hoc in libro propugnat Tertullianus impugnans Catholicos, quos ideò *Psychicos*, id est animales vocat, illo abutens Pauli textu 1. ad Cor. cap. 2. vers. 14. dicentis, *Animalis homo non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt*, quia hi commentitium illum Montani Paracletum, sive spiritum rejiciebant, & contra illum quasi animales naturam sequentes voluptati deditam, ad secundas nuptias convolabant, sæviente persecutione Martyrium fugiendo vitabant, & jejunia Montanica damnabant. Tres siquidem in anno Montanistæ quadragesimas observabant, unam ante Pascha, alteram post Pentecosten ante festum S. Joannis, & tertiam ante Nativitatem Domini; Tertullianus verò dum à Montanistis deficere cœpit, duas dumtaxat observabat quadragesimas, ut ipse testatur, hoc in libro de jejuniis cap. 15. dicens: *Duas in anno quadragesimas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis & Dominicis offerimus Deo.* Nec tamen ideò hæretici censendi Montanistæ, cùm etiam viri pii easdem observasse reperiantur nonnulli, teste *Amalario* lib. 1. de divinis offic. cap. 36. sed hoc in Montanistis pro hæresi damnatum, inquit *Rigaltius in parad. Tertull.* quòd necessitatem observandi has, sive tres, sive duas quadragesimas, ita urgerent, ut Catholicos, qui eas secum observare nollent, *Psychicos*, hoc est, animales calumniosè vocarent; unde est quòd S. Hieron. epist. 54. ad Marcellam contra Montanum dicat: *Nos unam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores, non quòd & per totum annum excepta Pentecoste jejunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

De pudicitia liber unus, in quo Bigamos quasi mœchos ad pœnitentiam non admittendos esse cõtendit.

5. *De pudicitia* liber unus, in quo post effusas pudicitiæ laudes aliquantulas, & deploratos sæculi sui mores, in quibus moderatio libidinum, pudicitia reputatur, totus est Tertullianus contra *Psychicos*, & in vituperanda Ecclesiæ disciplina, in hoc, quòd de tribus delictis mortiferis, idololatria scilicet, homicidio, & mœchia, solis mœchiæ reis, seu solis fornicatoribus & adulteris, pœnitentiam indulgeant, eisque pœnitentia functis pacem & Ecclesiæ communionem reddant, quæ potiùs reddenda videretur idololatris, sive negantibus fidem tormentorum violentia coactis, cùm isti non nisi tormentorum asperitate coacti, & fornicatores, & adulteri econtrà per libidinem, & voluptatem sponte peccaverint. Vult itaque mœchos ad pœnitentiam non esse admittendos; & quia secundas nuptias non probat, sed mœchiam vocat, ideò & Bigamos ad pœnitentiam pariter

riter

riter admittendos esse negat. Putat *S. Hieron. in lib. de SS. Eccl.* Tertullianum invidia Clericorum Ecclesiæ Romanæ, & contumeliis offensum ad Montani dogmata descivisse, & tunc istum de pudicitia librum conscripsisse, in quo apertiùs montanizat quàm ullibi.

Dubia Tertulliani scripta sunt.

1. *Liber de Trinitate*; vult enim Ruffinus librum hunc Tertulliani esse; S. Hieronymus econtrà non Tertulliani, sed Novatiani esse credit, cùm in eo nominatim Sabelliana refellatur hæresis, quæ post Tertulliani tempora, & Novatiani tempore grassari cœpit.

2. *De cibis Judaicis liber*, sive epistola, non sapit Tertulliani stylum, sed Episcopi cujusdam suo scribentis populo, ut censet Bellarminus; crebris enim fidelium literis super ciborum delectu interrogatus, breviter respondet hac in epistola, sive libello, dicens à Deo optimo non provenire nisi bona omnia, sed tamen eorum nonnulla interdicta fuisse in signum, emendationem, & sanctificationem Judæorum, quæ tamen bona sunt, si cum gratiarum actione sumantur.

Errata Tertulliani præcipua. Errata ejus sunt.

1. In hoc turpiter erravit Tertullianus, quòd *Deum corporeum esse* docuerit variis in locis, ut in lib. de pœnit. cap. 3. in lib. adv. Hermog. cap. 35. in lib. adversus Praxeam cap. 7. expresse dicens: *Deum corpus esse*; & lib. de carne Christi cap. 11. docens *quòd omne quod est, corpus est sui Generis, nihil est incorporale nisi quod non est, &c.* Contra quem errorem docent cæteri Patres communiter omnes, Deum incorporeum esse, & inter hæreses collocant oppositum affirmare, cùm Scriptura, Joan. cap. 4. vers. 24. manifestè dicat, *Spiritus est Deus.* Quòd Deum corporeum esse dixerit.

2. In hoc erravit, quòd *animam corpoream eße* dixerit, variis pariter in locis, ut in lib. de anima cap. 5. 6. 7. 8. 9. &c. & in lib. de carne Christi cap. 11. ubi hoc ex eodem principio probat dicens, videlicet *quòd omne quod est, corpus est sui Generis, & quòd nihil est incorporale nisi quod non est*; imò & lib. de resur. carnis cap. 17. dum sic ait: *Nos autem animam corporalem & hìc profitemur, & in suo volumine probamus*: quod pariter falsum & erroneum manifestè patet, cùm ex Scriptura constet, animam nostram non corpus sed spiritum esse, idque aliis omissis, ex eo quòd Luc. cap. 23. vers. 46. Christus dicat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, id est, animam meam. Quòd animam corpoream esse docuerit.

3. In hoc quòd *animas ex traduce fieri* senserit in lib. de anima cap. 9. cap. 22. & cap. 27. & 36. ubi asserit animam simul cum carne in utero matris seminari, & ex traduce Adami omnes derivari animas per semen, seu omnes hominum animas ex Adami anima primitùs à Deo creata propagatas; contra quod, licèt satis dubiè loquatur S. Hieronymus & nihil certi definire velit, sed ad Augustinum remittat Marcellinum (à quo per literas interrogabatur ex Africa, quid de hac quæstione sentiret,) eò quòd legisset, Augustinum dubiam adhuc hac de re suspendere sententiam, licèt interim fateatur eidem Marcellino rescribens Hieronymus, *se animas fieri potius quàm propagari credere*: imò & in apolog. ad Pammachium adversus errores Joan. Jerosolym. disertis verbis dicat Ecclesiasticam esse sen- Quòd eam ex traduce fieri senserit.

sententiam, Deum novas quotidie creare animas, & corporibus jam conceptis infundere, idque tenent Theologi communiter omnes.

Quòd justorum animas ante diem judicii in cœlo recipi negaverit.

4. In hoc erravit quòd docuerit justorum animas non recipi in cœlo, sed in sinu Abrahæ seu paradiso, sive sub altari, seu loco non cœlesti, sed tamen inferis superiori, foveri & gaudere ad diem usque judicii, idque variis in locis, & præsertim lib. de anima cap. 55. ubi post multa alia sic ait: *Habes etiam de paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini*; quem in errorem impegit nedum Tertullianus, sed & plures veteres alii. Sed sive hoc ita senserint, sive non veteres illi; certum est, errorem illum nihil tunc eorum pietati vel eruditioni nocuisse, cùm Ecclesia nihil adhuc, hac de re, illis temporibus credendum statuisset; jam verò cùm Innocentius III. & Benedictus XI. id damnaverint, & post illos Florentina œcumenica Synodus id definierit, aliter sentire non licet; sic enim contra Armenorum errores definiens, ait Florentina Synodus: *Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Dominum Trinum & Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs: illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, pœnis tamen disparibus puniendas.*

Quòd millenarium Christi in terris regnum post resurrectionem futurū asseruerit.

5. In hoc quòd *regnum Christi per mille annos in terris post resurrectionem futurum* asseruerit, variis in locis, præsertim in fragmentis libri de spe fidelium, dicens: *In terra quidem regnum Christi nobis repromissum ante cœlum post primam resurrectionem, sed tamen ita ut in eo reficiantur sancti omnium spiritualium bonorum copia*; quæ sententia licèt erronea, reperitur apud S. Irenæum lib. 5. de hæres. cap. 32. 33. 34. 35. apud S. Justinum Martyrem dialogo adv. Tryphonem, & alios, in hoc Papiam secutos, sed certè longè diversa à *Cerinthi, Marci* ac *Nepotis* aliorumque Chiliastarum seu Millenariorum hæresi, quos impugnat *S. Epiphanius* hæresi 76. qui hoc in fictitiò mille annorum regno nuptiarum copulam, imò omnia libidinum genera corporisque voluptates alias expectabant, S. Hieron. teste; verùm hi omnes delusi ex illo Apocalypsis textu quo nitebantur, Joan. Apost. cap. 20. vers. 6. dicentis: *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*: hæc enim Apocalypsis verba, juxta S. Hieron. in præf. in lib. Isajæ, non litteraliter, ut fit à Judaizantibus, sed spiritaliter est explicanda; & apertiùs S. Aug. lib. 2. de Civit. cap. 7. 8. 9. *primam resurrectionem* explicat de animarum resurrectione etiam in Scripturis agnita, secundam verò de resurrectione corporum, & per mille annos intelligendum esse dicit, aut tempus gratiæ, quæ remanebit ad sæculi finem, eo loquendi genere, quo pars significatur à toto, aut pro annis omnibus hujus sæculi, ut perfecto numero notetur ipsa temporis plenitudo, ut notat *Rigaltius in paradox. Tertull.*

Quòd baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos esse tenuerit.

6. In hoc erravit quòd *hæreticos omnes baptizandos esse docuerit*, eò quòd *apud illos veritati extranea & contraria omnia*, ut ipse expressè loquitur lib. de præscript. adversus hæret. cap. 12. confirmatque lib. de baptismo cap. 15. & lib. de pudicitia cap. 19. Sed hujus erroris auctor non omnium primus Tertullianus, sed *Agrippinus* Carthaginensis Episcopus, quem postea

ſteà ſecutus & ipſe *S. Cyprianus*, aliique Africæ & Cappadociæ Coepiſcopi; ſed hoc haud dubiè non docuiſſent, neque Agrippinus, neque Cyprianus, ſi de hoc aliquid aliquo plenario Concilio definitum fuiſſet, ſicuti poſteà à Nicæno Concilio I. can. 19. definitum eſt, Paulianiſtas & Cataphrygas baptizari debere, quia cùm illi de Deo & de Chriſto malè ſentirent, credere licet, inquit *S. Auguſt.* eos regulam baptiſmatis non tenuiſſe, & verbis Euangelicis, hoc eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti non baptizaſſe; & ſicut poſteà expreſſiùs deciſum in Trident. Conc. ſeſſ. 7. can. 4. de baptiſmo, his verbis: *Si quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum; anathema ſit.*

7. In hoc inſuper erravit quòd *ſecundas nuptias ut ſtupra damnaverit*, præſertim lib. de reſurrect. carnis cap. 8. & in libris integris *de exhortatione caſtitatis, de monogamia, & de pudicitia*; & in hoc, apertè Montaniſta & hæreticus factus Tertullianus, juxta illud S. Auguſt. lib. de hæreſibus hæreſi 126. dicentis: *Ideò Tertullianus factus hæreticus, quia tranſiens ad Cataphrygas quos anteà deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam tanquam ſtupra damnare.* Quòd ſecundas nuptias ut ſtupra damnaverit.

8. In hoc etiam quòd dixerit *Mariam Virginem ſemel nupturam poſt partum*, idque præſertim lib. de Monogamia cap. 8. dicens: *Et Chriſtum quidem virgo enixa eſt, ſemel nuptura poſt partum*; ſed contra errorem illum ſufficiat dicere, quòd cùm hunc Tertulliani locum Hieronymo citaſſet olim *Helvidius* hæreticus, non aliter reſpondit Hieronymus quàm dicendo: *De Tertulliano non aliud dico, quàm hominem Eccleſiæ non fuiſſe.* Quòd B. V. poſt partum ſemel nupturam dixerit.

9. In hoc denique erravit Tertullianus, quòd *fugam in perſecutione licitam eſſe negaverit*; idque toto libro, de fuga in perſecutione, multipliciter explicare conatur & probare, ſed perperam & falsò, cùm fugam ſæviente perſecutione licitam eſſe pateat, aliis omiſſis, tum ex ipſa S. Athanaſii apologia pro fuga ſua, tum ex ipſo expreſſo Chriſti præcepto dicentis, Matth. cap. 10. verſ. 23. *Cùm autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Quòd fugam in perſecutione ut illicitam arguerit.

Reperiuntur plura & alia Tertulliani errata, ſed hìc ſufficiat notaſſe præcipua, ex quibus ſufficienter patet mirum non eſſe, ſi *Gelaſius* Pontifex Maximus in Romana 70. Epiſcoporum Synodo, apocrypha Tertulliani dixerit opuſcula; unde cautè & cum prudenti judicio legendi, nedum libri hi, quos in hæreſi & contra Eccleſiam edidit, ſed & ex aliis, iſti ab illo pro Eccleſia conſcripti; quales ſunt *adverſus Praxeam, adverſus Hermogenem, de anima, de carne Chriſti, de pœnitentia*, in quibus inveniuntur erronea vel ſuſpecta nonnulla. Uno verbo, S. Hieronymi conſilium ſequere, & *Tertullianum* ſic lege, quo modo *Origenem, Novatum, Arnobium, Apollinarium*, & nonnullos alios Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligas, viteſque contraria, juxta Apoſtolum dicentem, 1. ad Theſſ. cap. 5. verſ. 21. *Omnia probate; quod bonum eſt tenete.... Vide Euſebium in Chron. & lib. 2. hiſt. S. Hieron. in catal. S. Hilarium in Matth. S. Aug. de hæret. Baronium, Bellarm. poſt alios innumeros; ſed præſertim Jac. Pamelium.*

A R-

ARTICULUS XIII.

De Origene. 254.

Origenis patria, professio, gesta, lapsus, & obitus, cujus scripta plura sunt.

ORigenes (quem pariter hic picturi sumus, non tanquam unum è SS. Ecclesiæ Patribus, sed tanquam virum sua eruditione magnum,) vir fuit Ægyptius natione, & patria Alexandrinus, sancti Leonidis martyris filius, & in fide ac sacris literis discipulus, & juxta Hieronymum, ab infantia magnus, sublimis ingenio, eruditione profundus, & ita patiens laboris, ut ob infatigabilem in scribendo, legendoque patientiam, fuerit *Adamantius* cognomine dictus; & adeò castus, ut dum Alexandriæ post Clementem Alexandrinum in schola sacra Catechistes esset præpositus, decimum octavum dumtaxat percurrens annum; ibique nedum viris, sed etiam fœminis catechizando salutare prædicaret verbum, volens, quia juvenis, fœdæ suspicionis calumniam à se removere prorsus omnem, illo simpliciùs intellecto Christi, Matth. cap. 19. vers. 12. dicentis, *Sunt Eunuchi quidam, qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum*, id re ipsa implere cupiens, se ipsum castravit; imò ita fuit rigidus castitatis amator, ut fidei castitatem prætulerit, dum in persecutione Deciana, post varia pro Christi fide passus, maluerit fidem negare, & thus idolis offerre, quàm læsa castitate, impuro misceri Æthiopi, & nefando contaminari crimine: ex quo, vir ille tantæ eruditionis & pietatis, Philosophia deceptus Platonica, tot lapsus in errores, totque impia locutus est dogmata, ut illum, non *Origenem*, sed hæresum ferè omnium originem vocitent nonnulli, & expresè illum sanas non habuisse de Spiritu Sancto opiniones dicat *sanctus Basilius*, illum inter hæreticos recenseat *sanctus Epiphanius*; & illi sicut & *Ario*, *Eunomio*, *Macedonio*, *Nestorio*, *& Eutycheti*, anathema dicat œcumenica quinta Synodus; & sanè si non omnium hæresum, multarum saltem origo dicendus vir ille, aliunde ingenio & eruditione magnus, qui Tyri obiisse creditur an. 254. ætatis suæ 69. qui juxta Cassiodorum, *Ubi benè, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejùs*; & de quo meritò ambigi potest, an scriptis suis plus nocuerit, quàm profuerit Ecclesiæ; tot siquidem scripsit, *ut nemo mortalium plura, ut mihi non solùm perlegi, sed nec inveniri posse videantur*, inquit Vincentius Lirinensis: scripsit enim, Epiphanio teste, sena millia librorum, & ferè in totam Scripturam sacram; pauca tamen, nec omnia indubitata, reperiuntur hodie, eaque duos in tomos distributa, in editione Parisiensi Geneb. anni 1574. suntque præsertim ista:

Scripta Origenis præcipua.

Homiliæ sive Tractatus in Scripturam varii.

1. *Homiliæ* sive *Tractatus*, vel *Commentarii in Scripturam* multiplices, quales sunt, v. g. homiliæ 17. in Genesim, homiliæ 13. in Exodum, homiliæ 16. in Leviticum, homiliæ 28. in Numeros, homiliæ 26. in Josue, homiliæ 9. in librum Judicum, homilia 1. in librum Regum, libri 3. in Job, homiliæ 9. in Psal. 36. 37. & 38. homiliæ 9. in Cantica Canticorum, homiliæ 9. in Isajam, homiliæ 14. in Jeremiam, homiliæ 14. in Ezechielem, commentaria in Job, & homiliæ 4. in eumdem; quæ omnia habentur in primo tomo. Tractatus 35. in Matthæum, homiliæ 39.

in

in Lucam, tractatus 30. in Joannem, homiliæ 10. in diversos novi Testamenti locos, libri sive tractatus 36. in epistolam ad Romanos; & ista omnia reperiuntur in secundo tomo editionis Parisiensis Genebrardi anni 1574.

Verùm ex his aliqua non videntur indubitata Origenis opera, licèt sub Origenis nomine vulgata, ut eruditè notat Bellarminus in lib. de SS. Eccl. nam *libri tres* in Job, Origenis dici nequeunt, 1. quia eorum auctor quisquis fuerit libri, 1. *Homousianorum* mentionem facit, & Homousianorum nomen inventum fuit ab Arianis post Origenis obitum exortis; 2. quia idem auctor lib. 2. meminit *S. Luciani* jam martyrii laurea donati, at *S. Lucianus* Martyr est Origene posterior; ut notat ibid. Bellarm. Sed non omnes Origenis fœtus indubitati.

Commentaria in Job pariter non videntur esse Origenis, 1. quia ut notat Bellarm. ibid. auctor eorum in explanatione cap. 3. adfert expositionem S. Luciani Martyris, qui, ut visum est, fuit posterior Origene; & 2. quia in explanatione cap. 7. & 8. nominatim refellit Manichæos post Origenem exortos.

Homiliæ 10. *in diversa loca Euangelii*, Origenis pariter esse non possunt omnes, 1. quia in homilia in primum caput Joannis mentio fit pariter Manichæorum & Arianorum; ergo Origenis esse nequit illa homilia, cùm Origenes fuerit Manichæis & Arianis anterior; 2. quia in homilia nona inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymo in ultimum caput Isajæ Prophetæ, imò & fragmenta alia ex S. Gregorio lib. 15. Moralium cap. 14. at Hieronymus & Gregorius sunt Origene longè recentiores; 3. quia in homilia de S. Magdalena stylus est planè latinus, ac proindè non *Origenis*.

Tractatus quintus in Matthæum pariter latini Auctoris esse videtur, ex eo quòd hujus auctor adducens illa Isajæ verba cap. 48. vers. 16. dicentis, *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*, expresè dicit, *quòd in Græco Spiritus sanctus neutrius generis est, & non masculini, quemadmodum apud nos, & tres casus similes habet, nominativum, accusativum & vocativum, propterea translatores in latinum sermonem, nominativum pro accusativo casu transtulerunt, & dixerunt: Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus; cùm sit verius esse in Græco, Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritum suum*. Unde patet quòd si illius quinti tractatus auctor se Latinum & non Græcum esse perhibet, quòd si hujusce quinti tractatus auctor sit Latinus, cur non idem suspicari possumus de cæterorum tractatuum ejusdem operis auctore? ut eruditè notat ibid. *Bellarm.*

2. *Periarchon libri* 4. hoc est, de principiis libri 4. qui habentur in primo tomo, suntque à Ruffino presbytero latinè translati, in quibus comprehenditur ferè totius Origenianæ doctrinæ compendium, & explicantur Religionis nostræ principia; difficiles quidem & obscuri libri, sed utiles si in his secundùm Scripturam & Traditionem explicuisset Origenes Religionis nostræ principia, & philosophica non addidisset varia, variosque in his non disseminasset errores, à S. Hieronymo sapienter & eruditè notatos in epistola ad Avitum de cavendis Περὶ Ἀρχῶν erroribus. Periarchon libri 4. quibus exponuntur præcipua Religionis nostræ principia.

3. *De recta in Deum fide dialogi tres* contra Marcionitas, sive disputatio tres in partes, sive dialogos, distincta, quam Origenes habuit cum *Mogethio, Marco, Droserio, Valente & Marino* viris hæreticis, quorum quisque suæ sectæ caput erat, sed qui tamen omnes de vera Religione disputandi causa cum *Origene* convenerant coram *Eutropio* quodam Græco philosopho & nostram Religionem exhorrente viro, quem delegerant unanimes, De recta in Deum fide dialogi tres Origenis cum Marcionitis.

ut disputationis judex esset & arbiter, & qui tandem Religionis causa ritè discussa, atque liquata Christianæ Religionis veritate persuasus, ad Christi fidem conversus Christianus evasit, & cum illo plures alii, tum Gentiles, tum hæretici, qui disputantes audierant, sicque victrix triumphavit fidei Catholicæ veritas, & dissipata est, ac ut pulvis à vento dispersa malignantium hæreticorum doctrina.

Contra Celsum libri 8. quibus refellitur calumniosus Celsi in Christianos liber.

4. *Contra Celsum libri* 8. hoc est, celebre illud Origenis opus octo complectens libros contra *Celsum* Epicurea de secta virum, Gentilem philosophum, & è Gentilibus illum, qui in Christianos Christique Religionem scripsit subtilius atque vehementius; scripsit enim inter alia contra Christianos librum unum, cui *Veri sermonis* titulum dedit. Hunc Celsi librum ut refelleret Origenes, rogatus est à *Confessore sancto Ambrosio* nomine dicto, cui ut pareret Adamantius noster, & Celsi calumnias repelleret, hoc celebre scripsit opus, ideò contra *Celsum* inscriptum, & octo in libros divisum; quodque est apologia pro Christianis antiquarum omnium optima, in qua nihil ex calumniosè prolatis à Celso contra Christianos relinquit intactum, sed omnia minutim discussa & diligenter examinata refellit & evertit, sicque Celsi librum in Christianos sub titulo *Veri sermonis* editum, reipsa falsum esse, & titulo tenus dumtaxat verum sermonem ostendit.

Philocalia, sive liber unus selectas continens sententias de amore pulchri.

5. *Philocalia* de obscuris sanctæ Scripturæ locis à *Basilio* Magno & *Gregorio* Theologo ex variis Origenis commentariis excerpta, & ad Theodorum Thyaneum Episcopum missa, hoc est, liber unus in quo continentur diversæ Scripturæ quæstiones & solutiones earum ex Origenis libris aliis à *Gregorio* Nazianzeno, ejusque Achate fidissimo *Basilio* Magno collectæ, & ab eodem *Gregorio* Nazianzeno ad Theodorum Thyaneum Episcopum missæ; qui liber ideò inscriptus est *Philocalia* sive de amore pulchri à voce græcâ significante amorem pulchritudinis, sicut *Philosophia* significat amorem sapientiæ, quia Origenis de studio pulchri selectas continet sententias eloquentiæ studiosis utiles, ut idem expresse notat Gregorius in epistola cum libro isto ad *Theodorum* Thyaneum Episcopum missa, in qua sic ait: *Ut verò aliquem etiam commentarium à nobis habeas, hanc meam & S. Basilii tabulam ad te misimus, quæ Origenis de studio pulchri selectas sententias continet eloquentiæ studiosis utiles.*

De historia Susannæ epitome cum Epistola pro resolvendis propositis de historiæ veritate dubiis.

6. *De historia Susannæ epitome*, cui adnexa est Julii Africani de eadem historia ad *Origenem* epistola, & Origenis ad Julii epistolam responsio; cùm enim Julius Africanus de veritate historiæ Susannæ dubitaret, Origenem hac de re brevi consuluit epistola, qua octo conjecturas sibi suspicionem falsitatis inferentes strictissimè notatas exposuit, rogans ut sibi responderet & rescribens erudiret; cui ut satisfaceret *Origenes*, doctam atque prolixam rescripsit epistolam, in qua pro defendenda historia Susannæ præfata tanquam vera & nullatenus conficta, singula resolvit Julii Africani dubia, conjecturas & argumenta.

Tetrapla, hexapla, & octapla, sive editiones veteris Testamenti variæ.

7. *Tetrapla*, *hexapla*, & *octapla* ab Origene contexta. Tetrapla nihil sunt aliud quàm quatuor veteris Testamenti editiones, nimirum Septuaginta *Interpretum*, *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*, totidem diversis columnis exhibitæ; hexapla verò sunt sex editiones, nimirum quatuor præfatæ, & duæ aliæ Hebraicæ iis additæ, una litteris Hebraicis, altera Græcis; octapla denique sunt sex illæ, & duæ aliæ sine auctoris nomine iisdem superadditæ.

Præ-

Præcipua Origenis errata.

1. In hoc erravit Origenes inter alia, quòd Filium in divinis Patre, & Spiritum sanctum Filio minorem esse dixerit 1. lib. *Periarchon.* Enumerantur varia Origenis errata.

2. Quòd Dei Patris potestatem finitam esse docuerit lib. 2. *Periarchon.*

3. In hoc, quòd tenuerit animas hominum præexistere sine numero & nomine, seu à principio fuisse mentes, rationes & virtutes sanctas, sed divina contemplatione satiatas & in deterius conversas, in corpora supplicii causa fuisse demissas, & animas appellatas, lib. 1. *Periarchon.*

4. In hoc, quòd animam Christi Domini præextitisse pariter dixerit, unitamque fuisse Deo Verbo, ante Incarnationem & generationem ex B. Virgine.

5. In hoc etiam, quòd senserit primò conformatum fuisse corpus Christi Domini in utero B. Virginis, & ei posteà unitum fuisse Deum Verbum & animam, quæ jam præexistebat.

6. In hoc, quòd cœlum, solem, lunam, stellas, & aquas quæ super cœlos sunt, animatas quasdam ac materiales virtutes esse dixerit, ut colligitur ex 1. lib. *Periarchon.*

7. In hoc, quòd hominum corpora in resurrectione generali rotunda & orbiculata suscitatum iri somniaverit.

8. In eo etiam, quòd Christum Dominum in futuro sæculo pro dæmonibus, quemadmodum pro hominibus, crucifixum iri docuerit.

9. In eo, quòd dixerit non æterna, sed ad tempus esse dæmonum & impiorum hominum supplicia, eorumque finem aliquando futurum, ipsosque dæmones, ac impios homines ad hoc sæculum redituros, & suum in pristinum statum & ordinem restituendos ac reintegrandos, & inde ad beatitudinem evocandos.

Unde non mirum, si pluries & variis in Ecclesiæ Conciliis fuerit damnatus cum suis erroribus & sequacibus Origenes, ut 1. à *Demetrio* Alexandriæ Episcopo, dum adhuc viveret; 2. à *Theophilo* Alexandrino in Concilio Alexandriæ habito, de cujus damnatione gratulatus est Theophilo S. Hieronymus epist. 90. 91. 3. à *sancto Epiphanio* in Cypriorum Episcoporum Concilio; unde est quòd hæresi 64. inter hæreticos Origenem recenseat Epiphanius; 4. à Romana 70. Episcoporum Synodo sub Gelasio habita, in decreto de apocryphis scripturis, sic dicente: *Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus; reliqua autem omnia, cum auctore suo, dicimus esse renuenda*; 5. denique à quinta œcumenica Synodo sic expressiùs dicente collat. 8. can. 2. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum scriptis, talis anathema sit.* Unde meritò per Ecclesiam cũ suo auctore damnata Origenis scripta, *in 5. Syn. coll. 8. can. 2.*

Imò hæc omnia detestanda Origenis errata totidem anathematismis subjicienda notavit olim piissimus Imperator *Justinianus*, in epistola ad *Memnam* regiæ urbis Constantinopolitanæ Patriarcham contra Origenem missa, & à *Vigilio* Rom. Pont. probata, teste *Liberato* in breviar. cap. 23. tandemque annexa literis ab eodem Justiniano ad quintam Synodum Oecumenicam missis, pro eodem Origene damnando, ut notavit Euagrius lib. 4. cap. 37. & post eum *Petrus de Marca* in dissert. de Vigilii

decreto, quibus scriptis à Justiniano missis, & à Vigilio Papa confirmatis, omnes Concilii Patres communi suffragio, *Origeni*, ejusque erroribus anathema dixere, ut testatur *Niceph.* lib. 17. cap. 27.

Non tamen omnia, sed ea solùm quæ fuere à B. Hieronymo reprobata.

Dices. Si damnata sint per Ecclesiam Origenis scripta, cur tam sæpè laudantur à Scriptoribus sacris, à Theologis, à Doctoribus, sanctisque Ecclesiæ Patribus? Resp. non omnia esse per Ecclesiam damnata Origenis scripta, sed solùm ea quæ fuere à B. *Hieronymo* reprobata, dicente Gelasio cùm Romano 70. Episcoporum Concilio, *Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia, cum auctore suo, dicimus esse renuenda.* Beatus autem Hieronymus in epist. ad *Pammachium* & *Oceanum* scripta, de Origene loquens, ait: *Laudavi interpretem, non dogmatistem, ingenium, non fidem, Philosophum, non Apostolum.* Fuere olim pro Origene apologiæ variæ, quas inter, duæ fuere celebres atque præcipuæ, Eusebii videlicet Cæsariensis una, Pamphili Martyris nomine edita, & Ruffini Presbyteri Aquilejensis Eusebium imitati altera, quam fusè & eruditè refellit S. Hieronymus in tribus Apologiæ libris adversus Ruffinum. Vide *interim de Origene loquentes S. Epiphanium hæresi 64. S. Hieron. in catal. SS. Eccl. Euseb. in Chronico & in hist. Theodoret. Photium, Bellarm. Baron. &c.*

ARTICULUS XIV.

De S. Cypriano. 258.

S. Cypriani patria, professio, gesta, accusatio, exilia, passio, transitus, & scripta, qualia sunt.

SAnctus *Cyprianus* vir fuit natione Afer, patria Carthaginensis, genere divitiisque potens, Senatorio clarus ordine, tamque suavis eloquentiæ fama celebris, ut publicè Rhetoricam docuerit artem Carthagine, fueritque, juxta *Lactantium*, ita ingenio facili, facundo & suavi, ut discerni vix possit, an ornatior in loquendo, vel in explicando facilior, aut in suadendo potentior quisquam fuerit; Ethnicus quidem primò, sed ex Ethnico ad Christi fidem conversus *Cæcilii Presbyteri* curis, suasionibus & monitis; unde *Cæcilius* & ipse posteà vocatus, *Donati* in baptismo socius, ex Neophyto, per omnes gradus presbyter, & è presbytero Carthaginensis ordinatus Episcopus, totiusque Africæ Primas, qui suam hanc dum feliciter & sanctè regeret Ecclesiam, octava in Christianos sæviente persecutione, delatus est à Gentilibus, & ad Aspasium Paternum Proconsulem ductus. Cui astanti Proconsul ait: Nobilium Imperatorum ad me scripta venerunt, ut hi, qui Diis Romanorum execrantur immolare, ad sacrificandum compellantur inviti: exquisivi de nomine tuo; quid respondes? S. Cyprianus respondit: Nullos Deos novi nisi unum & verum, qui fecit cœlum & terram, huic uni Deo nos Christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, & pro salute populi, & pro statu Imperatorum vestrorum. Ad hæc Proconsul respondit: Ergo in hac voluntate perseveras, ut non sacrifices? *S. Cyprianus* respondit: Bona voluntas, quæ Deum novit, mutari non potest. Proconsul dixit: Jussum est etiam, ut & presbyteros requiram; volo ergo scire per te, qui sunt presbyteri, qui in hac civitate consistunt. S. Cyprianus respondit: Legibus vestris benè atque utiliter censuistis nos delatores non esse; itaque detegi & deferri à me non possunt, sed nec ipsi se

ultrò

ultrò offerre possunt, cùm hoc Scriptura sancta prohibeat, à te verò quæsiti invenientur. Et post hæc jussus est Cyprianus in exilium deportari in civitatem Curubitanam, cùmque diu ibidem moraretur, successit *Aspasio Paterno* proconsuli *Galerius Maximus* proconsul, qui S. Cyprianum ab exilio revocatum sibi jussit adduci, quem intuitus adductum sibi, interrogans ait: Tu es Thascius Cyprianus, qui te Papam sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? jusserunt te sacratissimi Imperatores sacrificare, consule tibi, ne pereas.

Proconsuli interrogatus respondit vir sanctus: Ego sum Cyprianus; Christianus sum, & Diis sacrificare non potero; tu verò quod tibi præceptum est, fac; in re enim tam justa, nulla consultatio est. Cui iratus Proconsul dixit: Dum sacrilega mente vixisti, & plurimos tibi nefariæ conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris religionibus constituisti, nec te pii sacratissimique Imperatores ad consensum cæremoniarum suarum revocare potuerunt, & ideò cùm sis nequissimi criminis auctor, & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti, sanguine tuo sancietur disciplina; & his dictis decretum istud ex tabula recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. *S. Cyprianus* hæc audiens dixit: Gratias ago Deo omnipotenti qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere; sicque ductus ad Martyrii sui locum, ibi genuflexus & in oratione ad Deum prostratus, exuta, qua indutus erat, Dalmatica, & 25. aureis spiculatori suo dari jussis, propria manu velatis oculis, peracto suo in Episcopatu decennio, gladio percussus Carthaginensium omnium primus martyr occubuit anno Christi circiter 258. sub *Valeriano* & filio ejus *Gallieno* Imperatoribus; quampluribus utilibus, & doctis relictis Ecclesiæ scriptis, tres in tomos à *Pamelio* Burgensis Ecclesiæ canonico ita digestis, collectis & erudita notarum luce radiatis, ut in primo & secundo tomo contineantur indubitata S. Cypriani scripta, in tertio verò tomo supposititia vel dubia.

Scripta S. Cypriani tres in tomos digesta,

In primo Tomo.

Reperiuntur epistolarum libri quatuor, seu epistolæ 85. variis temporibus ad varios scriptæ, & quatuor in hujus primi tomi libris collectæ, quas hic percurrere singulas longum foret; sufficiet aliquas tyronibus designare præcipuas, è quibus depromi possint priorum sæculorum tela ad reducendos Sectarios, qui veteres solùm audiunt quatuor, aut quinque priorum sæculorum Ecclesiæ Patres; unde v.g.

I. Epistolæ 85. è quibus utiles variæ pro firmanda contra Sectarios catholica doctrina, ut v.g.

1. Si *de Romani Pontificis primatu* sit controversia, legatur epistola S. Cypriani ad *Cornelium de Fortunato & Felicissimo*, quæ est numero 55. in qua ostenditur, non aliunde hæreses & schismata nasci, quàm inde quòd uni in Ecclesia vice Christi non obtemperetur judici; ibi enim sic dicitur: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur*; quibus significat, ad fovendam Ecclesiæ pacem & unitatem, necesse esse aliquem esse, qui teneat in Ecclesia primatum; unde est quòd lib. *de unitate Ecclesiæ* expressiùs dicat:

Pro firmando Romani Pontificis primatu.

Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra monstretur. Imò & in epist. ad *Magnum*, quæ est 76. Romani Pontificis primatum confirmat, dum contra eos, qui Novatiano Romanam Cathedram invadere conanti patrocinantur, sic ait num. 29. *Quod nunc hi Ecclesiam scindentes, & contra pacem atque unitatem Christi rebelles, cathedram sibi constituere & primatum assumere, & baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conantur.*

Pro SS. invocatione probanda.

2. Si *de SS. invocatione*, & eorumdem pro vivis intercessione sit quæstio, laudetur ejusdem S. Cypriani epistola ad *Cornelium in exilio de ejus confessione*, quæ est numero 57. & ad Cornelium postrema, in qua rogat Cyprianus Cornelium, ut si quis ipsorum prior hinc excederet, apud misericordiam Patris non cesset oratio, dicens: *Memores nostri invicem simus concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate relevemus, & si quis istinc nostrùm prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris non cesset oratio.* Quod & expresse confirmat in lib. de laude Martyrii ad Moysen, & Maximum, cæterosque Confessores, quos ibi rogat, ut sui memores sint, cùm Dominus in eis martyrium cœperit honorare, dicens num. 68. *Erit hoc benevolentiæ vestræ, erit charitatis & amoris, si volueritis nostri memores esse cùm in vobis Dominus martyrium cœperit honorare*: & iterùm lib. de disciplina & habitu virginum, dicens num. 88. *Tantùm tunc mementote nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.*

Pro firmanda de Sanctorum festis doctrina.

3. Si *de SS. Martyrum festis* conqueratur sectarius, S. Cypriani ei opponatur *epistola ad Clerum & plebem de Celerino lectore ordinato*, quæ est numero 34. in qua, multis commendans Celerini in Confessione fidei constantiam, docet in Ecclesia Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebrari, dicens num. 12. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quo ex loco constat & infert *Pamelius* jam tempore S. Cypriani morem esse celebrandi SS. Martyrum festa, si qui jam pro Christo mortem perpessi essent; idque confirmari ex ejusdem *S. Cypriani* epist. 37. ad Clerum, in qua hortatur Clerum suum, ut omnis humanitas & cura adhibeatur circa Confessores, tum vivos, tum in carcere defunctos, ut dies mortis eorum diligenter adnotentur ad celebrandam quotannis eorum memoriam, dicens num. 7. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotare, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Quem morem longè ante Cyprianum in Ecclesia jam viguisse constat, ex quo Romæ constituti sunt Notarii, qui gesta Martyrum describerent, quod *Clementi* Romano adscribit Damasus, alii *Fabiano*; & insuper ex eo, quòd cap. 39. lib. 8. Apost. Const. quæ Clementi vulgò tribuuntur, festorum Apostolorum, S. Stephani & aliorum Martyrum fit mentio.

Pro tuendo pro defunctis exorandi more.

4. Si *de suffragiis defunctorum* agatur, seu si usitatum pro defunctis exorandi morem quis hostis Ecclesiæ neget, contra eum manifestè pugnabit S. Cypriani *epistola ad Furnitanos*, hoc est, ad Clerum & plebem Furnitanam, de Victore, qui Faustinum presbyterum tutorem nominavit, quæ est numero 66. in qua prohibet S. Cyprianus pro Victore illo preces offerri, aut sacrificium pro illius dormitione celebrari, eò quòd, contra Concilii Episcoporum statutum, Faustinum presbyterum tutorem testamento

mento nominasset, dicens num. 112. *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur; neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare; & ideò Victor cùm contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua, nomine ejus, in Ecclesia frequentetur.* Mos igitur erat in Ecclesia pro defunctis exorandi.

5. Si *de Purgatorio* sit disputatio, & mens *S. Cypriani* quæratur circa illud, consulatur ejus epistola ad *Antonianum* de Cornelio & Novatiano; quæ est 52. ubi S. Cyprianus alludens ad Scripturam, Matth. cap. 5. vers. 26. dicentem, *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, ait, quosdam ad veniam stare, missos in carcerem non exire inde donec solvant novissimum quadrantem, pro peccatis longo dolore cruciatos emundari, & purgari diu igne, alios econtrà statim à Domino coronari, dicens num. 59. *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, &c.* Quem S. Cypriani locum mirè confirmare Traditionem de Purgatorio, notat eruditè *Pamelius* qui Cyprianum notis illustravit egregiis.

Pro tuenda catholica de purgatorio doctrina.

6. Si *de sacramentali confessione*, quam auricularem vocant, incidat quæstio, & contendat quis, eam novitiam esse, & non jam olim primis Ecclesiæ sæculis usitatam, confundat eum eadem S. Cypriani ad *Antonianum* epistola, in qua de confessione, & exomologesi mentionem faciens Cyprianus, sic ait num. 86. *Admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non est negandus, & quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde pœnituerint & rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi.* Sed multò magis liber de lapsis id ostendet, in quo Cyprianus laudat eos, qui hoc ipsum quod cogitaverunt, apud sacerdotes Dei dolentes & simpliciter confitentur, ac ita exomologesim conscientiæ faciunt, dum ait num. 98. *Denique quantò & fide majores & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolentes & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt*: quo ex loco manifestè patet jam usitatum esse prioribus Ecclesiæ sæculis, sacramentalis & auricularis ad sacerdotes confessionis usum.

Pro sacramentali cõfessione firmanda.

7. Si *de Eucharistia sacrificio* moveatur quæstio, & verum sacrificium esse neget sectarius aliquis, legatur S. Cypriani epistola ad *Cæcilium de sacramento Dominici calicis*, quæ est numero 63. in qua S. Cyprianus agens contra *Aquarios* solvit quæstionem illam, scilicet an calix Dominicus aquam solam, an aquam vino mixtam debeat habere; & docet hac occasione multis Patrum & Prophetarum actis & testimoniis præfiguratum fuisse verum corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod verum sacrificium esse manifestè docet, dum ait num. 44. *Nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium*

Pro Eucharistiæ sacrificio tuendo.

Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri. Et hic sanè insignis locus ad probandum altaris sacrificium verè & veri nominis sacrificium esse.

Pro stabiliendo parvulorum Baptismo.

8. Si *de parvulorum baptismo* controvertatur, & contendat quis, eos non posse baptizari, contra eum pugnat Cypriani epistola *ad Fidum de infantibus baptizandis*, quæ est numero 59. in qua respondens Cyprianus *Fido* Episcopo, qui putabat cum nonnullis aliis ante diem octavum nativitatis non esse parvulos baptizandos, ait parvulos mox natos ritè baptizari posse; seque id ita censuisse cum suis collegis aliis Episcopis numero 66. in Concilio congregatis, asserit, dicens numero 5. *Quantum verò ad causam infantium pertinet, dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum eum qui natus est baptizandum & sacrificandum non putares: longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est; in hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potiùs judicavimus nulli hominum nato misericordiam & gratiam denegandam, &c.* At hic Cypriani locus nedum insignis pro baptismo parvulorum, contra Fidum illum cui respondet Cyprianus, sed etiam contra *Anabaptistas* & alios perperàm & falsò docentes, parvulos ante rationis usum, baptismi incapaces esse.

Pro antiqua circa lapsos disciplina firmanda.

9. Si *de antiqua circa lapsos Ecclesiæ disciplina* quis disputet, & mentem S. Cypriani quærat, id apertè docebunt inter alia, præter librum de lapsis, tres illæ Cypriani epistolæ, decima scilicet, undecima & duodecima, quarum 1. *est ad Clerum de presbyteris qui temerè pacem lapsis dederunt*, nedum sedata persecutione & citra conscientiam Episcoporum; altera *quæ est ad Martyres & Confessores, qui lapsis pacem dari petierant*; & 3. *quæ est ad plebem de rescripto Martyrum & iis qui pacem petebant*: in his enim & pluribus sequentibus aliis, ita suam hac de re mentem explicat Cyprianus, ut velit ante exactam pœnitentiam, ante exomologesim factam, ante manum ab Episcopo & Clero impositam, ad communionem non admitti lapsos, neque nomen eorum in Ecclesia recitari, ita tamen ut iis qui in infirmitate deprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur, cæterorum verò causæ usque in pacem Ecclesiæ differrentur, quod & ipse Clerus Romanus, imò & Romæ celebrata Synodus anno 251. idipsum de lapsis censuit, ut constat ex epist. Cleri Romani ad Cyprianum; & hæc fuit prima Cypriani de lapsis sententia, sed justis de causis postea semel & iterum mutata, ut constat ex ejusdem Cypriani epistolis aliis; ut v. g. ex epist. ad *Antonianum* è Numidiæ Episcopis unum, in qua sub initio se excusat Cyprianus de mutata circa lapsorum rationem sententia, dicens: *Ne me aliquis existimet à proposito meo leviter recessisse, & cùm Euangelicum vigorem primò & inter initia defenderim, postmodum videar animum meum à disciplina & censura priore flexisse, ut his qui libellis conscientiam suam maculaverint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim, quod utrumque non sine librata diu & ponderata ratione factum est.*

Pro inquirenda S. Cypriani men-

10. Si denique *de hæreticorum baptismo* mentem B. Cypriani scire quis velit, abundè & plusquam satis aperient hæ Cypriani epistolæ, quæ sunt

ad

ad *Januarium*, ad *Quintum*, ad *Stephanum*, ad *Jubajanum*, ad *Pompejum*, ad *Magnum*, hoc est, epistolæ 70. 71. 72. 73. 74. & 76. In his enim omnibus, quæ sunt de baptizandis hæreticis, manifestè docet, nullum esse hæreticorum baptismà, ac proinde baptizandos esse ad Ecclesiam ab hæresi venientes hæreticos omnes, idque à se statutum cum collegis in Concilio congregatis nuntiat Cyprianus Stephano Romano Pontifici; imò tria sub *Stephano* in Africa à Cypriano celebrata fuisse Concilia de baptizandis hæreticis, narrat *Pontius* in vita S. Cypriani, sed frustrà; hæc enim Cypriani sententia nedum à Stephano Romano Pontifice statim reprobata, vivente Cypriano, sed etiam posteà à plenario Concilio, videlicet Nicæno œcumenico I. damnata an. 325.

te, circa hæreticorum baptisma.

In secundo Tomo.

Reperiuntur plures eruditi & indubitati alii Cyprianici libri sive tractatus, quales sunt

1. *De disciplina & habitu virginum* liber, in quo virgines hortatur B. Cyprianus ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum.

2. Liber de disciplina & habitu virginum.

2. *De lapsis* liber, in quo reddita Ecclesiæ pace, fusiùs, ut promiserat sæpè, de lapsis differit, summo cum dolore lapsorum ruinas & præteritæ persecutionis causas explicans, neglectum nempe disciplinæ, & fidelium peccata, graviter increpans lapsos, quòd ad prima minantis inimici verba sacrificaverint, & non potiùs juxta consilium Christi secesserint, & quòd jam sacrificiis maculati contra Euangelii legem ante expiata delicta, ante exomologesim criminis factam, communicationem ac pacem sine Episcopi sententia à quibusdam Presbyteris extorserint, hosque multis hortatur ad confessionem & pœnitentiam publicam, Novatianosque fugiendos.

3. Liber de lapsis.

3. *De unitate Ecclesiæ* liber, in quo, occasione schismatis Novatiani, ostendit hæresum omnium causam esse, quòd caput Ecclesiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, & Cathedra ac Ecclesia una, & Episcopatus unus deseritur, denique tum Scripturis, tum figuris veteris & novi Testamenti unitatem Ecclesiæ comprobat.

4. Liber de unitate Ecclesiæ.

4. *De Oratione Dominica* liber, in quo nullam Deo gratiorem orationem offerri posse docet, illa, quæ nobis est à Christo data, quam totius cœlestis doctrinæ compendium esse dicit, per singulas petitiones excurrit, ubi & qualiter orandum sit explicat, vigilantiam in oratione præcipit, dicens num. 84. *Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere debemus*; ait autem, *quando stamus ad orationem*, quia stabant olim fideles in orationibus publicis, inde stationes dictæ, ait *Pamelius*; & insuper orationi jungendam eleemosynam suadet, & ad tempus orandum hortatur.

5. Liber de Oratione Dominica.

5. *Ad Demetrianum* liber, in quo, conquerenti Demetriano Africæ proconsuli, & dicenti Christianis imputari debere bella, famem, & pestem, quibus tunc divexabatur orbis, quòd ab ipsis Dii non colerentur, pulchrè respondet Cyprianus, ipsos potiùs Ethnicos tot calamitatum causam esse, quòd & Deum non colerent, & Christianos insuper injustis persecutionibus vexarent, ideòque dum tempus est, ipsum Demetrianum, ut ad mentem meliorem redeat, hortatur.

6. Liber ad Demetrianum Africæ proconsulem.

6. De

7. Liber de Idolorum vanitate. 6. *De Idolorum vanitate*, seu quòd idola non sint Dii, liber, in quo breviter ostendit, quòd idola non sint Dii, quòd Deus sit unus, & quòd per Christum salus sit credentibus data.

8. Liber de mortalitate. 7. *De mortalitate* liber, in quo, cùm per varias orbis provincias pestiferus grassaretur morbus, circa suos amissos consanguineos, consolatur Christianos spe futurorum, docens non timendam esse mortalitatem seu pestem, cùm ad immortalitatem ducat, nec ita lugendos à nobis esse mortuos, ut Gentilibus scandalo simus, quasi resurrectionis spe carentes, dicente Paulo 1. ad Thess. cap. 4. vers. 12. *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent*; & si accersionis nostræ dies venerit, lubenti animo ad Dominum hinc emigrandum, & ad patriam, ubi nos magnus charorum numerus expectat.

9. Liber de opere & eleemosynis. 8. *De opere & eleemosynis* liber, in quo variis Scripturæ testibus peculiaria prosequitur eleemosynæ merita, ostendens ab ea neminem deterreri debere futuræ penuriæ metu, cùm securum ab ea divina promissio faciat; nec liberorum prætextu quemquam excusari posse docet, cùm liberis quibusque præferendus sit Deus; imò quò plures sunt liberi, eò ampliores esse faciendas eleemosynas ex Scriptura colligit.

10. Liber de bono patientiæ. 9. *De bono patientiæ* liber, cujus meminit & occasionem exponit in fine epist. ad *Jubajanum*, dicens: *Servetur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotii; propter hoc, etiam libellum de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino & inspirante conscripsimus, & ad te pro mutua dilectione transmisimus.* Quo in libro, distinguens patientiam veram à falsa, patientiam Philosophorum à patientia Dei, Christi ac justorum omnium, patientiam Christianam commendat, utque magis elucescat patientiæ bonum ex sibi opposito vitio, quantum malum sit impatientia demonstrat.

11. Liber de zelo & livore. 10. *De zelo & livore* liber, quem librum scriptum esse indicat S. Aug. lib. de bapt. parvul. cap. 4. occasione simultatis, quæ erat inter *Cyprianum* cum Episcopis Africæ & *Stephanum* Romanum Pont. & in quo ostendit livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, eò gravius esse crimen, quò occultius est malum, originem ejus à diabolo esse, invidiamque malorum omnium esse radicem, per singula vitiorum genera discurrens, ostendit.

12. Liber de exhortatione martyrii. 11. *De exhortatione martyrii ad Fortunatum* liber, de Africæ Episcopis unum, in quo scripsit Cyprianus rogatus à Fortunato, ut Confessores præpararet & ad martyrii certamen animaret, ut ipsa indicat libelli præfatio, dicens: *Desiderasti, Fortunate charissime, ut quoniam persecutionum & pressurarum pondus incumbit, & in fine atque in consummatione mundi Antichristi tempus infestum appropinquare nunc cœpit, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes, de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad cœleste & spiritale certamen animarem.*

13. Testimoniorum libri tres. 12. *Testimoniorum libri tres ad Quirinum*, in quibus hoc solùm præstat, ut ad vitæ Christianæ instructionem à Scripturis testimonia colligat varia, in certa capita, ita ut duo libri priores sint adversus Judæos, & tertius ad vitæ instructionem magis spectet.

14. Carthaginense Concilium de 13. *Concilium Carthaginense* de baptizandis hæreticis, cujus auctor & præses fuit S. Cyprianus, quodque tertium, vel quartum Concilium *de baptizandis hæreticis* creditur à *Pamelio*, & in quo 87. interfuere Episcopi,

pi, qui suas sententias cum S. Cypriano protulere singuli pro baptizandis hæreticis; sed qui tandem, teste *S. Hieronymo in dial. contra Lucif.* se retractarunt, *& ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* rebaptizandis hæreticis.

In tertio Tomo.

Referuntur dubia vel supposititia S. Cypriani opera, suntque triplicis generis, sive classis; alia enim sunt talia, ut stylus & Scripturæ citatæ convincant esse Cyprianica; alia quorum stylus licèt relinquat dubium, tamen in illis multa sunt quæ vel Cypriani esse suadent, vel auctoris Cypriano coævi; alia denique sunt quæ certis quibusdam argumentis deprehenduntur non Cypriani, sed aliorum auctorum esse. Primi generis sunt, sive

Primæ Classis.

1. *De spectaculis* liber, in quo ad imitationem Tertulliani conscripto, agit in eos, qui publica Gentilium spectacula, Scripturarum auctoritate vindicare nitebantur, quæque licèt nusquam disertis Scripturæ verbis prohibita sint, damnata tamen esse idololatriæ interdicto, ex eo probat, quòd nullum sit Gentilium spectaculi genus, quod non sit idolis consecratum; deinde paucis recenset spectacula alia multò meliora Christiano homine digna, mundi scilicet pulchritudinem istam, & varietatem partium ejus mirabilem, quam videat atque miretur. 1. Liber de spectaculis.

2. *De disciplina & bono pudicitiæ* liber, in quo, post explicatas pudicitiæ & impudicitiæ definitiones, exemplis *Joseph* & *Susannæ* ad pudicitiam hortatur, deinde ubi quanta sit voluptas, vicisse voluptatem, & in vestitu quoque pudicitiam relucere debere monstravit, quibus remediis suo in officio cohibenda sit caro, paucis explicat. 2. Liber de disciplina & bono pudicitiæ.

3. *De laude martyrii ad Moysen & Maximum, cæterosque Confessores* liber, in quo martyrii laudes extollens, quid sit, quantum sit, & cui rei prosit martyrium, ostendens, pulchris similitudinibus, argumentoque à quotidianis funeribus ducto, ad mortem pro Christo lubenter subeundam hortatur. 3. Liber de laude martyrii.

4. *Ad Novatianum hæreticum de spe veniæ lapsis non negandæ* liber, in quo in Novatianum & Schismaticos sectarios ejus vehementer invehitur, eò quòd fidei desertores sint, & quòd unius dumtaxat capituli præscriptione urgeant Catholicos spem veniæ lapsis non negantes, cùm sint innumeri Scripturæ textus, quibus spes veniæ lapsis promittitur. 4. Liber de spe veniæ.

Secundæ Classis.

1. *Ad Cornelium de cardinalibus Christi operibus* liber insignis, in quo singulis tractatibus, sive sermonibus, singula tractat cardinalia, sive primaria Christi opera, usque ad ejus ad Patrem ascensum, qualia sunt 12. ista, *Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Baptisma, Jejunium, Cœna, Ablutio pedum, Chrismatis unctio, Passio, Resurrectio, Ascensio, & Spiritus sancti missio.* Eruditi sunt & auctoris antiqui isti de cardinalibus Christi operibus sermones, sed non videntur esse Cypriani, inquit Bellarm. lib. de SS. 5. Liber de cardinalibus Christi operibus.

Eccl.

Eccl. 1. quia stylus est multò humilior quàm soleat esse Cyprianicus stylus; 2. quia in sermone de tentatione & jejunio auctor docet diabolum cecidisse de cœlo ante creationem hominis, & Cyprianus contrarium docet in tractatu de zelo & livore.

6. Liber de aleatoribus. 2. *De aleatoribus* liber, in quo vehementer invehitur in aleæ ludum, cum Christiano indignum homine ex eo probat, quòd ex diabolo cum idololatria veniat, sitque manifestus diaboli laqueus, eòque multò magis in presbyteris vituperandum ex eo asserit, quòd absurdum sit, ut manus quæ est ad Dominicum admissa sacrificium, & quæ divina consummat sacramenta, *iterùm laqueis diaboli, unde exuta est, implicetur.*

7. Carmina de montibus Sina & Sion, de Genesi, de Sodoma, de Relig. Chr. 3. *De montibus Sina & Sion adversus Judæos* liber, in quo nihil habetur peculiare præter mysticam montium Sina & Sion interpretationem.

4. *Carmen de Genesi*, in quo quatuor prima Geneseos capita eleganti & heroico carmine reddidit auctor, qui creditur Cyprianus à multis, licèt hoc opus Tertulliano tribuat Sixtus Senensis.

5. *Carmen de Sodoma*, in quo eleganter & fusè integram Sodomæ eversionis historiam describit.

6. *Carmen ad Senatorem* è Christiana Religione ad idola conversum, quo graviter illum quòd de Christiano & consule, Isidis, seu matris Deûm sacerdos fieri non sit veritus, & hortatur ut tandem in senectute resipiscat.

8. Oratio in die passionis suæ. 7. *Oratio pro Maryribus*, & *oratio* quam dixit Cyprianus *sub die passionis suæ*, cujus stylus Cyprianum sapit.

Tertia Classis.

9. Liber de singularitate Clericorum. 1. *De singularitate Clericorum* liber, in quo Clericorum singularitatem, hoc est, singularem seu solitariam sine ullius fœminæ consortio vitam ex revelatione sibi divinitùs facta & Scripturis quampluribus inculcat, tum ob incontinentiæ periculum, tum ob vitanda scandala. Insignis & utilis liber iste, sed Origenis esse, non Cypriani, contendunt *S. Antoninus* & *Vincentius* Bellovacensis in Summa histor. Sed tamen stylus apertè reclamat, & latinum auctorem, non græcum esse monstrat, inquit Bellarm. lib. de SS. Eccl. non tamen *Cyprianum*, ob verba nonnulla parum latina quæ in eo sunt, & non inveniuntur apud Cyprianum, qualia sunt v. g. *inordinaliter*, *contubernalitas*, &c.

10. Expositio symboli Apostolorum. 2. *Expositio symboli Apostolorum*, Ruffini Aquilejensis presbyteri est, non Cypriani, cùm stylus sit Ruffini, & testetur Gennadius in catal. Ruffinum excelluisse in expositione symboli; in hoc tamen non probatur auctor ille, quisquis sit, quòd num. 156. dicat Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, Tobiam, Judith, & duos Machabæorum libros non valere ad auctoritatem fidei confirmandam, cùm sex libros illos canonicos esse constet ex epist. Innocentii ad Exuperium, ex Conciliis Carthag. 3. Romano sub Gelasio, Florent. & Trident.

11. Liber de Judaica incredulitate. 3. *De Judaica incredulitate ad Vigilium* liber, qui nihil est aliud, quàm latina versio dialogi græci inter *Jasonem* Christianum & *Papiscum* Judæum Vigilio Episcopo dicata; dialogus ille græcus, quæ de Christo sunt vaticinia demonstrans, antiquissimus, cùm illius meminerit Origenes lib. 4. contra Celsum; versionis verò Latinæ auctor non est Cyprianus, sed *Celsus*, ut colligitur ex fine libri dicentis sic: *In mentem jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.*

4. *Ad-*

4. *Adversus Judæos, qui insecuti sunt Christum*, liber, cujus auctor non est Cyprianus, ut colligitur ex stylo, auctor antiquus tamen, ut indicant Scripturæ citatæ juxta Septuaginta, quibus impugnat Judæos, quòd Dominum Jesum non agnoverint. 12. Liber adversus Judæos Christum insecutos.

5. *De revelatione capitis S. Joannis Baptistæ* liber, sive tractatus, qui tam ossium S. Joannis Baptistæ è Sebaste Alexandriam translationem, quàm capitis ejusdem revelationem & translationem in Gallias sub Pipino Francorum Rege describit, Cypriani non est, sed auctoris Cypriano recentioris, cùm *Pipinus*, cujus mentionem facit, sit Cypriano longè recentior. 13. Liber de revelatione capitis S. Joannis Baptistæ.

6. *De duplici martyrio ad Fortunatum* liber, qui duplex martyrii genus esse demonstrat, unum scilicet per quod sanguine Christum confitemur, alterum quo bonis operibus Christo testimonium reddimus; sed hic liber Cypriani esse nequit, cùm in eo fiat mentio Diocletiani Imperatoris, & belli Cæsarei contra Turcas, Cypriani tempore nondum exortos. 14. Liber de duplici martyrio.

7. *De duodecim abusionibus sæculi* liber, hoc est, liber in quo per 12. capita 12. explicat, & vitandos monet abusus, sive defectus, quos sæculi vocat abusiones, & quarum 1. est prædicator sine bonis operibus, 2. senex sine Religione, 3. adolescens sine obedientia, 4. dives sine eleemosyna, 5. fœmina sine pudicitia, 6. dominus sine virtute, 7. Christianus contentiosus, 8. pauper superbus, 9. Rex iniquus, 10. Episcopus negligens, 11. plebs sine disciplina, 12. populus sine lege; sed hic liber licèt doctus, Cypriani esse non potest, cùm passim citet Scripturas juxta versionem S. Hieronymi; ac ob eamdem rationem S. Augustini esse nequit, licèt ejus inter opera reperiatur. 15. Liber de 12. abusionibus sæculi.

8. *De Cœna* libellus, nec Cypriani est, nec Cypriano dignus, cùm ineptas & ridiculas contineat fabellas; videtur auctor ejus, quisquis sit, in compendium redigere voluisse historica gesta utriusque Testamenti sub schemate cœnæ cujusdam, sed ita ineptè id peregit, ut ridicula & fabulosa immiscuerit multa.

Objicies fortè in Cyprianum, ejus satis notum *de hæreticis baptizandis* errorem; sed in hoc fateor cum S. August. non sequendum esse Cyprianum, cùm illum in hoc non sequatur Ecclesia, pro qua martyrium passus, hujus erroris labem suo sanguine lavit Cyprianus. Resolvuntur in Cyprianum objecta.

Instabis. *S. August.* in epist. 48. ad Vincentium Donatistam loquens de S. Cypriano, ait, non inveniri illum correxisse sententiam suam, & S. Hieronym. in dialog. contra Lucifer. dicit quidem alios Episcopos, qui cum Cypriano rebaptizandos hæreticos statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse decretum, sed de Cypriano tacet; ergo, &c. Resp. 1. id quidem dici ab August. sed ab eodem ibid. statim addi, *Non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortassè suppressum est ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt; aut igitur hoc non sensit omninò, aut hoc posteà correxit in regula veritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum & unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis copiosissimè defendit, & perseverantissimè retinuit vinculum pacis: accessit etiam huc quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis.* Resp. 2. cum Ven. *Beda* libello 8. quæst. 5. apud *Pamelium*, S. Cypriani retractationem his verbis asserente, *Cyprianus cum suis Coepiscopis, qui erant in Africa, rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit; sed quia in suo sensu qui sibi rectus videbatur, bonis*

abun-

abundare operibus studuit, mox corrigi meruit, atque ad universalem Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci.

Præter S. Cyprianum Carthaginensem, fuere & duo alii, Antiochenus videlicet, & Tolonensis.

Urgebis. Gelasius Papa apud *Grat. dist.* 15. *cap. Romana Ecclesiæ*, numerat inter apocrypha librum de pœnitentia Cypriani; ergo de illius correctione dubitat. Resp. cum S. Antonino in Summa historiali, Gelasium annumerare quidem inter apocrypha librum de pœnitentia Cypriani Antiocheni apud Nicomediam passi, sed non Cypriani Carthaginensis Episc. & totius Africæ primatis, de quo hìc est quæstio; quod ut clariùs constet, sciendum est varios fuisse sanctos Cypriani nomine viros, inter quos, tres fuere celebres isti, videlicet *Carthaginensis*, *Antiochenus*, & *Tolonensis*. Carthaginensis is est, de quo hìc est quæstio, qui fuit totius Africæ primas, & sanctus Christi Martyr an. 258.

S. Cyprianus patria Antiochenus, is est qui fuit primò vitæ perditæ vir & magus, sed precibus *Justinæ* virginis ad Christum conversus, baptizatus, & tandem Antiochenus Episcopus ordinatus, multos & ipse ad Christum perduxit, & qui cum eadem S. Justina virg. capite cæsus apud Nicomediam gloriosus Christi Martyr occubuit an. 304.

S. Cyprianus alter Tolonensis in Gallia Episc. is est qui ex clara Massiliensi familia, Montholia satus, fuit *S. Cæsarii* Arelatensis discipulus & historicus, qui vitæ ejus scripsit librum unum, quique quarto interfuit Arelatensi Concilio an. 541. & de cujus obitus die non constat. De Cypriano Antiocheno loquitur Gelasius, dum librum de pœnitentia Cypriani inter apocrypha numerat, ut expresse docet S. Antoninus in sua Summa hist. non verò de Carthaginensi nostro Cypriano. *Vide Pontium in vita Cypriani, Pamelium in Cypriani notis, Hieronym. in catal. Sixtum Sen. Trithem. Bellarm. Miræum, &c.*

ARTICULUS XV.

De quintuplici Gregorio,

Thaumaturgo, Theologo, Nysseno, Turonico, & Magno.

QUinque celebres istos, Gregorii nomine viros, licèt origine, patria, & tempore longè semotos, hìc tamen simul junctos, singulatim depingimus, quia cognomines.

De S. Gregorio Thaumaturgo. 265.

Gregorii Thaumaturgi patria, educatio, gesta, obitus & scripta, quæ sunt.

Sanctus Gregorius Neocæsariensis, is est sanctus Ecclesiæ Pater, qui Neocæsareæ in Ponto, Ethnicis parentibus ortus, & Neocæsareæ, post conversionem, Episcopus fuit, anteà *Theodorus* nomine dictus, quique adolescens adhuc, *S. Hieronymo teste cap. de SS. Eccl.* Græcarum Latinarumque literarum amore è Cappadocia Berytum, & Beryto cum *Athenodoro* fratre Cæsaream Palæstinæ transiit, ubi egregiæ indolis adolescentes ambo, sub Origenis disciplina, quinquennio conversati, & simul cum Philosophia Christi fidem paulatim edocti, in patriam ad matrem redire cogitant: at Gregorius ante suum ab Origene discessum, ut tam charo tantoque magistro sui grati animi pignus offerret, insignem, elegantem, & eru-

eruditam scripsit orationem panegyricam & charisteriam, hoc est, gratiarum actionis & laudatoriam, eamque grandi convocata populi frequentia, ipso quoque Origene præsente, recitavit. In patriam reversus, & paulò pòst Episcopus, licèt reluctans & fugiens, à *Phædimo* Amascensium Antistite creatus, tot & tantorum signorum, ac miraculorum ostensione claruit, ut fuerit à Græcis ubique θαυματουργὸς, hoc est, *Mirabilium effector* vocatus, & meritò.

Tanta siquidem fuit ejus sanctitatis & fidei in Christum vis, ut juxta *Basilium Mag. Gregoriumque Nyss.* saxum ingens Ecclesiæ constructionem impediens sola oratione de loco in locum transtulerit, ut paludem sive stagnum duos inter fratres implacabilis discordiæ causam exsiccaverit, ut *Lycum* regionis Ponticæ fluvium perniciosè agros invadentem coercuerit, solo defixo ad ripam baculo, qui statim virentem crevit in arborem; ut denique sæpè dæmones è vexatorum corporibus, è Deorum idolis, è Gentilium templis solo crucis signo, vel oratione fugaverit, aliaque miranda tanta, & tam multa peregerit, ut ejus describens vitam & laudes asserat *Greg. Nyss.* se multa prætermittere Gregorii Thaumaturgi miracula, *ut auribus parcat incredulis, & ne offendantur hi, qui veritatem mendacium putant, ob rerum quæ narrantur amplitudinem*. Talis siquidem erat, & in miraculis tantus Gregorius ille Thaumaturgus, ut fuerit, teste *S. Basilio Mag.* cum Moyse, Prophetis & Apostolis comparatus, ut eodem spiritu quo illi fuerit semper conversatus, ut Sanctorum vestigiis semper inhæserit, ut velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia semper effulserit, ut tremendam in dæmones potestatem habuerit, talemque gratiam inter gentes ad obedientiam fidei promovendam, ut migraturus ad Dominum illi gratias egerit, quòd septemdecim tantùm, hoc est, tot & non plures relinqueret infideles sive Gentiles, sua in urbe, quot invenerat fideles in ea dum Episcopatum adiisset. Migravit autem meritis clarus & miraculis vir ille sanctissimus die 17. Novemb. an. Christi 265. Cujus scripta è græco in latinum translata Gerardus Vossius Tungrensis Ecclesiæ præpositus, Moguntiæ typis mandari curavit in quarto, an. 1640. quæque pariter in folio reperiuntur excusa Parisiis, cum operibus *Macarii* Ægyptii, & *Basilii* Seleuciensis Episcopi an. 1622. Suntque Gregorii Thaumaturgi scripta, alia genuina & indubitata, & dubitata alia.

Genuina Gregorii Thaumaturgi scripta sunt:

1. ***Expositio fidei*** de SS. Trinitate à Joanne Euangelista, mediante Dei genitrice Maria Virgine, per revelationem Gregorio Neocæsariensi tradita, & à Gregorio scripto mandata ac promulgata. Quam fidei expositionem Gregorio divinitùs revelatam nedum Orientalis, inquit *Vossius*, sed etiam Occidentalis agnovit, comprobavit & recepit Ecclesia, extatque descripta in ipso exordio quintæ œcumenicæ Synodi sub hoc titulo, *Expositio fidei secundùm revelationem Gregorii Episcopi Neocæsariensis*. Hanc eamdem fidei expositionem eidem Gregorio adscribit Eusebius Cæsariensis *lib. 7. hist. Eccl.* & hujus revelationis historiam fusè describit Greg. Nyssenus in Gregorii Neocæs. vita, dicens, inter alia, quòd cùm Gregorius jam Neocæsariensis creatus Episcopus de Dei verbo prædicando solicitus & ambigens, varias animo cogitationes agitaret propter nonnullos, qui piam & sinceram Religionis doctrinam adulterabant, apparuit ei per no-

Expositio fidei de SS. Trinitate à S. Joanne Euangelista per revelationem Gregorio tradita.

ctem

ctem curis anxio & vigili, *B. Joannes Euangelista* cum *B. Virgine*, qui ei pietatis mysterium aperuit & exposuit; quam expositionem, cùm recessisset apparitio, Greg. Neocæs. statim scripto mandavit, & juxta illam deinceps sua in Ecclesia prædicavit, quamque veluti depositum cœlitùs datum posteris reliquit, & cujus tenor latinè translatus à Vossio, hic est:

Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis & potentiæ ac characteris sempiterni, perfectus perfecti, genitor Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago Deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus veri Patris, invisibilis ejus qui est invisibilis & incorruptibilis, corruptioni non obnoxii, ac immortalis, mortis prorsus nescii, & sempiternus sempiterni, unusque Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens, & qui per Filium apparuit scilicet hominibus, imago Filii, perfecti perfecta vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitas, sanctificationis suppeditator, in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate, ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur, non igitur creatum quid aut servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid & adventitium, quasi priùs non existens, posteriùs verò adveniens; non ergo defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis & invariabilis, eadem semper manet Trinitas.

Oratio panegyrica, & Eucharistica, sive gratiarum actionis ad Origenem magistrum.

2. *Oratio panegyrica & Charisteria*, hoc est, laudatoria & Eucharistica, sive gratiarum actionis ad *Origenem*, elegans sanè & docta, licèt à Gregorio Neocæsariensi adolescente adhuc Cæsareæ Palæstinæ habita, ante suum ab Origene magistro recessum; cùm enim quinquennium sub Origenis disciplina cum Athenodoro fratre peregisset, suumque in patriam & ad matrem reditum adolescentes ambo pararent, ut ante discessum magistro suo vale dicerent, eique debitas gratias agerent, hanc scripsit orationem è duobus unus Gregorius, & grandi convocata populi frequentia, ipso quoque Origene præsente recitavit, in qua de laudibus Origenis fusè differens, ei pro se & pro Athenodoro fratre, de optimis disciplinis tam amanter & benevolè traditis, gratias agit; imò nedum Origeni, à quo sub disciplina receptus, sed & suo custodi Angelo gratias agit, eò quòd ab eo fuerit ad Origenem ductus.

Metaphrasis in Ecclesiasten 12. capitibus expressa.

3. *Metaphrasis sive translatio in Ecclesiasten*, mirabilis sanè hæc in Ecclesiasten Salomonis translatio duodecim capitibus expressa, de cujus auctore licèt magna sit apud Græcos controversia, illamque Gregorii Nazianzeni esse velint aliqui, & Gregorii Neocæsariensis alii; certum tamen est, eam esse auctoris eruditi, imò & genuinum Gregorii Neocæsariensis fœtum, cùm *Eusebius Cæsarien. lib. 7. hist. Eccl. cap. 25. & S. Hieron. lib. de Scriptoribus Eccl.* expresse dicant, Gregorium Neocæs. scripsisse Metaphrasim in Ecclesiasten, & insuper Hieronymus ipse explicans hunc Ecclesiastæ locum cap. 4. *Melior est puer pauper, &c.* expresse citet Greg. Neocæsariensem, ut hujus translationis auctorem, dicens: *Vir sanctus Gregorius Ponti Episcopus, Origenis auditor, in Metaphrasi Ecclesiastæ ita hunc locum intelligit, &c.*

Sermones 3. elegantes & docti in Annuntiationem B. Virg.

4. *Sermones 3. in Annuntiationem B. Virginis Mariæ Deiparæ*. Pii sunt, elegantes & eruditi sermones isti à *Gerardo Vossio* reperti, & in lucem primò dati, cum cæteris Gregorii Neocæsariensis opusculis: in his mirum in modum Annuntiationis mysterium deprædicat, ad celebrandum cum

gau-

gaudio monet & invitat, & B. Virginis Mariæ Deiparæ laudes declamat, quæ utpote omnium prima è novo Testamento à Deo per Angelum salutata, & cui soli dictum ab Angelo, *Ave gratia plena.*

5. *Sermo de sancta Theophania*, hoc est, de apparitione Dei, sive de Christi baptismo in Jordane, quo in sermone mirum describitur humilitatis colloquium inter Joannem & Christum. Venit Christus ad Jordanem fluvium, ut baptizetur à Joanne; renuit humiliter Christum baptizare Joannes, dicens inter alia, *Ego à te baptizari debeo, & tu venis ad me, tu qui in principio eras, & apud Deum eras, & Deus ipse eras, tu qui paternæ gloriæ es splendor, tu qui perfecta es imago perfecti Patris, tu qui es lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, tu cùm in mundo esses, venisti ubi eras, tu qui factus es caro, sed non conversus in carnem, tu venis ad me, tu qui tantus es ad talem, Rex ad præcursorem, Dominus ad servum ...., Ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti tui, & quo pacto immaculatum capitis tui verticem tangere audebo, quomodo serviles meos digitos supra divinum caput explicabo, quomodo immaculatum nulli peccato obnoxium lavabo, quomodo ipsam lucem illuminabo? &c.* Ad hæc respondens Christus ait: *Sine modò, disce velle quod ego, disce ministrare mihi in his, ad quæ te solicito, & ne curiosè nimis quæ volo inquiras, sine modò, nondum meam prædicaveris divinitatem; quando me videris, ut Deum decet, in meis creaturis, quod mihi videtur, operantem, tunc ea quæ facta sunt laudibus celebra; quando me leprosos mundantem conspexeris, tunc me naturæ opificem prædica .... quando me claudos aspexeris efficientem veloces, tunc & tu citatis pedibus mentis ad meam laudem tuam linguam compones; quando me videris ejicientem dæmones, tunc meum regnum adora; quando me videris mortuos è sepulchris solo verbo resuscitantem, tunc etiam me, cum resuscitatis, ut vitæ auctorem atque datorem glorifica; quando me ad dexteram Patris sedentem intuitus fueris, tunc me Deum confitere ac prædica; sine modò, sic quippe nos decet omnem implere justitiam, &c.*

Sermo de S. Theophania, sive de apparitione Dei in baptismo Christi.

6. *Epistola Canonica*, quæ insignis quidem est epistola à Græcis canonica dicta, quam Balsamon Antiochenus Patriarcha commentario illustravit eximio, quam Trullana Synodus canone 3. observari mandavit, & quam scripserat Gregorius Neocæsariensis à sancto aliquo sui temporis Episcopo consultus de peccatis gravibusque delictis eorum, qui Barbarorum incursione idolothyta comederant, aliaque crimina varia eorum occasione patraverant, eo tempore quo Gothi, inter alias Asiæ provincias, ipsam quoque Ponticam incursabant, pro quibus singulis delictis, hac epistola suam undecim canonibus explicat mentem, & congruam decernit pœnitentiam, distinguens canone undecimo quinque pœnitentium classes, *Flentium* videlicet, *Audientium, Prostratorum, Consistentium* & *Participantium*: & sic dicens:

Epistola canonica 11. canonibus congruam decernens pœnitentiam pro delictis in Barbarorũ incursione patratis.

Fletus seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem flentem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur; auditio est intra portam, in loco quem νάρθηκα *vocant,* (idest, *in ferula*) *ubi oportet eum qui peccavit stare post Catechumenos, usque ad Catechumenos & illinc egredi. Audiens enim, inquit, post Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione ne dignus censeatur. Subjectio autem seu substratio est, ut intra templi portam stans cum Catechumenis egrediatur; congregatio seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur; postremò est participatio sacramentorum.* Verùm ista participatio non videtur distincta pœnitentium classis, cùm pro

ea non assignetur distinctus locus, fiatque participatio illa, peracta jam pœnitentia.

Dubia Gregorii Thaumaturgi scripta sunt:

Expositio fidei ad Elianum, sed dubius Gregorii Thaumaturgi fœtus.

1. *Expositio fidei ad Elianum*, hoc est, alia fidei expositio, quam invenit & sua in editione vulgavit Gerardus *Vossius*, quamque putavit esse fidei expositionem illam à Gregorio Neocæs. scriptam ad *Elianum*, & cujus meminit S. Basilius in epist. 64. ad Neocæsarienses, hæc inquam alia à Vossio vulgata fidei expositio nequit esse illa Gregorii Neocæsariensis expositio fidei ad Elianum scripta, ut notat *Bellarm. lib. de Script. Eccl.* quia illa Gregorii ad Elianum scripta multùm differt ab ista Vossiana; in illa enim habebatur Patrem & Filium hypostasi esse unum, & sola animi cogitatione distingui, unde suspicio orta erat, à Gregorio foveri Sabellii hæresim, licèt hoc falsum esset, cùm per hypostasim intelligeret Gregorius substantiam sive essentiam, & quando dixit Patrem & Filium sola animi cogitatione distingui, de distinctione ab hypostasi sumpta pro essentia intelligi debet, non de distinctione Patris à Filio, vel Filii à Patre, quam realem esse constat; at expositio fidei à Vossio vulgata Sabellium nominatim refellit, & nullibi dicit Patrem & Filium esse hypostasi unum, &c. Præterea expositio illa Vossiana videtur scripta contra Arianos, ut ex ejus colligitur initio, ac proinde longè post Gregorium Neocæs. Arianam ante hæresim vita functum; sic enim incipit, *Inimicissimi & alieni à confessione Apostolica sunt, qui dicunt esse Filium ex non extantibus, & ex principio emittente, externum & foris adscitum Patri, &c.*

12. fidei capita, quibus ostenditur quid sit de Incarnatione Dei Filii credendū.

2. *Duodecim fidei capita*, subjecto singulis capitibus anathematismo, & apposita uniuscujusque capitis interpretatione contra hæreticos & Judæos, quibus capitibus ostenditur, quid de Incarnatione Filii Dei oporteat credere, secundùm ea, quæ lex præsignificavit, Prophetæ testati sunt, Apostoli prædicaverunt, & Dominus ipse verbo docuit, & operibus se ipsum manifestum fecit; & de quibus 12. capitibus à *Vossio* editis, & Greg. Neocæsariensi tributis, idem judicandum esse tenet Bellarm. ac de expositione fidei præfata, cujus hæc capitula videntur esse quasi appendix, dicendo videlicet illa Gregorii Neocæsariensis non esse, præsertim cùm ad Nestorii & Eutychis refellendos errores videantur opposita, & constet Nestorium & Eutychen, longè post Gregorii Neocæsariensis obitum, exortos esse.

Disputatio de anima ad Tatianum, non testimoniis ex Scriptura desumptis, sed Philosophicis procedens argumentis.

3. *Disputatio de anima ad Tatianum*, brevis quidem, sed elegans & erudita, septemque capitibus distincta, in quorum 1. quæritur quo indicio ipsa comprehendatur anima; in 2. an sit anima; in 3. an anima sit substantia; in 4. an incorporea; in 5. an simplex vel composita; in 6. an immortalis; & in 7. an rationis sit particeps. Digna sanè Gregorio Thaumaturgo hæc disputatio, licèt an illius sit dubitent multi, eò quòd philosophicum nimis, & non priorum Ecclesiæ sæculorum sapiat stylum; nihil tamen certi dici potest, ex quo Gregorii Thaumat. non esse convincatur, inquit Bellarm. *lib. de Script. Eccl.* & meritò dicit: nam quòd philosophicum habeat stylum, seu philosophicis utatur argumentis, id non probat, eam Gregorii Thaumat. non esse; ideò enim philosophicis utitur argumentis, seu demonstrationibus philosophicis, & non Theologicis ex Scriptura deprompts, quia sic procedere rogatus fuerat à *Tatiano* inter

Gen-

Gentiles Scripturam spernentes agente, ut constat ex hujus ad eum directæ disputationis exordio, ubi sic ait, *Jussisti, præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis sive demonstrationibus sermonem atque disputationem de anima tibi conscriptam mitterem, eaque in re nullis Scripturarum uterer testimoniis, &c.* neque tamen inde certò concludi potest, hanc disputationem esse genuinum Greg. Thaumaturgi fœtum, propter priscorum auctorum de illo silentium, ait idem Bellarm.

Vide *S. Basilium lib. de Spir. sanct. cap. 29. Greg. Nyss. in orat. de vita Greg. Thaumat. Euseb. lib. 7. hist. Eccl. cap. 25. Hieron. lib. de Script. Eccl. Gerardum Vossium in notis ad Greg. Thaumat. opera, Bellarm. in lib. de Script. Eccles. &c.*

De S. Gregorio Theologo. 390.

S. Gregorius ob eminentem Theologiæ peritiam cognomento *Theologus*, & *Nazianzenus* vulgò dictus, quia Nazianzi in Cappadocia vel Arianzi prope Nazianzum è *Gregorio* patre & *Nonna* matre genitus, is est, *juxta Billium* & alios, ille celebris Orientalis Ecclesiæ Gregorius *S. Cæsarii* sanctæque *Gorgoniæ* frater sanctissimus, Libanii Sophistæ Athenis discipulus, *S. Basilii Magni* studiorum & virtutum socius charissimus, quem præceptorem se quondam habuisse gloriatur Hieronymus *in cat. de Script. Eccl.* dicens: *Gregorius primò Sazimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, præceptor meus, à quo Scripturas explanante didici*; qui cùm invitus à patre presbyter creatus esset, clam in Pontum ad Basilium fugit, illicque cum eo summè quietus atque tranquillus literis sacris & rerum divinarum contemplationi vacavit; sed è vivis sublato Cæsario fratre, cùm pater jam natu grandis, & senio fractus forensium negotiorum mole succumberet, & ejus opem suo jure flagitaret, relicta solitudine Nazianzum rediit, & domesticam rerum curam & procurationem suscepit; post aliquos annos à Basilio Magno Archiepiscopo Cæsariensi *Sazimorum* Episcopus designatur, quod cùm ægrè admodum ferret Gregorius, & de fuga Sazimisque non retinendis cogitaret, pater ejus, hoc unum ab eo petit, ut si Sazimorum Ecclesiam ut Episcopus regere nolit, Nazianzenæ saltem Ecclesiæ curam suo nomine suscipiat, sicque sibi jam seni opem ferendo succurrat. Cedit ille paternis precibus, hoc tamen pacto, ut eo ipso, quo è vivis excessisset pater, à regendæ Ecclesiæ debito solveretur & ipse, & reipsa, patre jam centenario vita functo, à Nazianzena recessit Ecclesia, & Nazianzo Constantinopolim accessit.

S. Gregorii Theologi patria, parentes, educatio, gesta, obitus, & scripta quæ sunt.

Constantinopoli degens ibi cum Arianis diu multùmque pugnando sudavit, heroica varia pro Ecclesia gessit, hujusque tandem sedis Episcopus eligi meruit à 150. Præsulibus ibidem contra Macedonium congregatis anno 381. cui electioni suæ licèt illicò reluctans atque dissentiens, precibus tamen Concilii Patrum, & Imperatoris hortatu, postea consensit; verùm audiens illam non probari, sed econtrà multùm à Timotheo præsertim Alexandrino Patriarcha reprehendi, Concilii Patres, ut alium eligerent, enixè rogans, se suo lubens abdicavit Episcopatu, & reipsa senectutem, morbum, vitæ quietæ desiderium, aliaque plura eleganti oratione causatus, *Nectario* ejus in locum electo, & obtento Imperatoris assensu, in patriam suam *Arianzum* vicinum *Nazianzi* pagum rediit, ubi tandem post 8. vel 9. circiter annos, meritis clarus obiit, die 9. Maji

an. 389. aut 390. post plura tam sapienter scripta, ut scriptis ejus calumniam inferre ausus fuerit nemo, *S. Thoma* Doct. Angelico teste: suntque opera ejus duplicis generis; alia enim sunt prosa, alia carmine scripta, hoc est, alia oratoria, alia poetica.

Oratoria Gregorii Theologi Scripta sunt.

Orationes Apologeticæ quatuor pro suo à patre recessu.

1. *Libri Apologetici* 4. seu orationes apologeticæ quatuor, quibus se luculenter & eruditè purgat à variis, quæ in eum objiciebantur, vel objici poterant, de ejus à patre in Pontum recessu, & ejus ad eumdem posteà reditu.

In primo enim apologetico rationem reddit, cur à Gregorio patre presbyter creatus, & Episcopatu repudiato in Pontum fugerit, rursusque Nazianzum posteà redierit; & repulsis primò iis, quæ contrà objici potuissent, has quatuor suæ fugæ causas assignat; prima est, quòd præter opinionem ad Episcopatum vocatus, ipsa rei novitate fuisset perculsus; altera est, quòd vitam solitariam atque tranquillam semper amasset, eamque Deo in periculis positus vovisset; tertia, quòd turpe judicasset, & pudendum, illotis, ut ajunt, manibus, sacro-sanctum munus attingere; quarta denique & præcipua est, quòd tantæ dignitatis pondus reformidasset; & in hac explicanda diu immoratur, ostendens quod sit Episcopi munus, & qualem oporteat Episcopum esse.

In secundo qui est *ad eos, qui eum primùm acciverant, nec posteà occurrerunt*, hoc est, ad Nazianzenos, arguit enim eos benignè quidem & amicè, quòd postquam tam prompti celeresque fuerint ad eum à solitudine revocandum, tam lentè, segniterque jam ad eum audiendum accesserint.

In tertio qui est *ad eosdem*, reddit eis rationem de suo à fuga reditu, amicitiam videlicet patris & senectutem, dicens; *Amicitia me subegit, patris canities in potestatem redegit.*

In quarto denique hoc apologetico libro, seu oratione apologetica, quæ est ad patrem suum, & præsente *Basilio Magno* habita, reddit rationem Gregorius noster, cur invitus & repugnans Sazimorum Episcopus creatus, jam lugens & tristis rursus accedat, nimirum quia timet, ne dum evehitur corruat, & sibi per id quod bonum est, mortem inferat.

Orationes funebres seu laudatoriæ octo.

2. *Orationes funebres*, sive laudatoriæ octo; piæ quidem, elegantes & doctæ, in quibus suæ ferè depinxit & exposuit vitæ historiam Gregorius noster, præsertim in his, quibus Basilium Magnum, Gregorium patrem, Cæsarium fratrem, & Gorgoniam sororem suam laudibus exornat; unde, qui Gregorii Nazianzeni vitam descripsere, non aliunde, quàm ex ejus operibus hausere, inquit *Simeon Metaph.* & præsertim ex variis laudatoriis orationibus ejus, quarum

1. In laudem Cæsarii fratris sui.

Prima est *oratio funebris in laudem Cæsarii fratris sui*, superstitibus adhuc parentibus habita, in qua tria potissimùm præstat, 1. Cæsarium fratrem laudat, deinde parentes de illius interitu mœstos & afflictos consolatur, & tandem ad populum oratione conversa hortatur illum, ut spretis vanis & caducis hujus vitæ bonis, ad cœlestia tendere curet & æterna.

2. In laudem Gorgoniæ sororis.

Secunda est *oratio funebris in laudem sororis suæ Gorgoniæ*, in qua primò totus est in deprædicandis sanctæ sororis laudibus, deinde illam mulieribus conjugatis, ut egregium vitæ proponit exemplar.

Ter-

Tertia est *oratio funebris in laudem Gregorii* patris sui mortui, præsente Basilio Magno habita, in qua primò ad Basilium verba dirigit, patris deinde ab impia Religione ad Christum conversionem exponit, in ejus posteà laudandis virtutibus fusè se se extendit, & tandem ad matrem *Nonnam* oratione conversa, eam mirè consolatur, eleganter & eruditè. 3. In laudem Gregorii patris.

Quarta est *oratio funebris in laudem S. Cypriani martyris*, in qua, ut Cypriani laudes describat, proponit se dicturum præsertim, quæ Cypriani fuerit prioris vitæ ratio, quæ salutis via, quæ vocatio, quæ in meliorem vitæ statum mutatio, dicens illum primò fuisse magum, seu dæmonis cultorem, & posteà Christi discipulum, & Carthaginensem Episcopum; unde non levis oritur dubitandi ratio, an de S. Cypriano Afro Carthaginensium Episcopo, vel de S. Cypriano Antiocheno loquatur ibi Gregorius: existimat *Jacobus Billius* eum de Antiocheno loqui, & ejus ratio est quia hæc tota ferè oratio ad Cyprianum Antiochenum referri potest, & non ad Carthaginensem, cùm constet Carthaginensem Cyprianum numquam fuisse magum, nec simul cum Justina Martyre passum, & constat econtrà S. Cyprianum Antiochenum Episcopum, ante conversionem fuisse magum, & simul cum Justina martyrii laurea donatum; unde ob nominum similitudinem, deceptum fuisse putat Gregorium, dum dicit Cyprianum istum fuisse Carthaginensium Episcopum, tribuendo nempe Antiocheno quod convenit Afro *Cypriano*. 4. In laudem S. Cypriani martyris.

Quinta est *oratio funebris in laudem Basilii* Magni Cæsariensis Archiepiscopi, à Gregorio, post suum ex urbe Constantinopolitana in patriam reditum, habita, quæque nedum elegans & prolixa, sed princeps inter omnes alias; in ea enim, ut tanti viri amici quondam sui & studiorum socii laudes prædicet, omnes ingenii industriæque vires effudisse videtur. 5. In laudem Basilii magni.

Sexta est *oratio funebris in laudem S. Athanasii* Alexand. Archiepiscopi, quæ non tam funebris est, quàm laudatoria, cùm lamentationes contineat nullas, nec consolationes, nec ad sepulchrum S. Athanasii sit habita, & quam sic incipit, dicens, *Athanasium laudans virtutem laudabo, idem enim est illum dicere quòd virtutem laudibus efferre, quoniam virtutes omnes suo complexu tenebat, &c.* & in cujus decursu Athanasii prosequens elogium, inserit, quomodo Imperatori *Juliano* Apostatæ mortuo successerit alter, *Jovinianus* scilicet, à quo revocatus ab exilio *Athanasius* egregiam & celebrem fidei confessionem ediderit, quæ Symbolum S. Athanasii vulgò dicitur. Verba Gregorii sunt ista: 6. In laudem S. Athanasii.

Hoc porrò extincto, Imperator alter exoritur nequaquam ore impudens, quemadmodum is, de quo antè verba fecimus, nec duris & ærumnosis operibus & edictis Israelem opprimens, sed mira pietate animique lenitate præditus, qui ut præclarissimum Imperii sui fundamentum jaceret, rectamque legum sanctionem, unde conveniebat, auspicaretur: cùm omnes alios Episcopos, tum eum ante omnes, qui omnibus virtute antecellebat, ac citra dubitationem ullam, pietatis causa, bello vexatus fuerat, ab exilio revocat: quin etiam fidei nostræ veritatem à multis laceratam & perturbatam, atque in sexcentas opiniones partesque distractam sibi tradi postulavit. Ut maximè quidem universus orbis, si fieri posset, in fidei negotio consentiret, Spiritusque sancti auxilio in unum coiret; sin minùs ipse certè optimæ parti se se adjungeret, simulque & ei robur afferret, & ab ea vicissim acciperet, excelsè simul & magnificè de rebus maximis cogitans. Atque hic potissimùm Athanasius puritatis suæ fideique in Christum firmæ & constantis specimen edidit; nam cùm cæteri omnes qui doctrinam nostram profitebantur,

tur, trifariam divisi essent ac multi circa Filium, plures etiam circa Spiritum sanctum ægram fidem haberent, ubi levior impietas pietatis opinionem ferebat, pauci autem utrinque sani & incolumes essent; primus ille & solus aut cum admodum paucis veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem & essentiam scripto confessus est; & quod multis illis Patribus in explicanda Filii divinitate priùs concessum fuerat, idem ipse posteà in asserenda Spiritus sancti divinitate superno afflatu consecutus. Atqui Imperatori donum verè regium & magnificum offert, scriptam nimirum fidei confessionem, adversus novum dogma nusquam in Scripturis expressum, ut sic & Imperatorem Imperator, & doctrinam doctrina, & libellum libellus frangeret atque opprimeret, &c.

7. In laudem Machabæorum.

Septima est *oratio in laudem Machabæorum*, in qua illos, licèt ante Christum passos, miris extollit laudibus, dicens, *quòd tametsi ob eam causam apud paucos honorentur, quòd eorum certamen Christi ætatem præcesserit, digni tamen sunt quos omnes honoribus complectantur, quoniam pro legibus institutisque patriis dolorum acerbitatem forti animo pertulerunt; qui porrò ante Christi supplicium, martyrium subierunt, quid tandem erant facturi, si post Christi tempora vexati fuissent, ejusque mortem nostræ salutis causa susceptam ad imitandum propositam habuissent?*

8. In laudem Heronis.

Octava est *oratio in laudem Heronis*, philosophi professione quondam Cynici, sed post conversionem in exilium pulsi, & post triennium reversi, qua in oratione eò tendit Gregorius, ut laudet illum quòd pro Christi nomine virgarum supplicium & exilium forti constantique tulerit animo; & in qua posteà de mysterio Trinitatis disserit fusè, explicans quid sit vero Christiano de divinitate credendum. Monet *S. Hieron. in cat. de SS. Eccl.* orationem istam in laudem *Maximi* esse, & falsò dici in laudem *Heronis*, Maximi nomine in nomen Heronis perperam mutato.

Orationes de Theologia quinque in Eunomianos.

3. *Orationes de Theologia* 5. in Eunomianos, præsertim de Christi divinitate cum Arianis malè sentientes, editæ, quarum

Prima, quæ est veluti quatuor sequentium præfatio, docet qualis esse debeat rei Theologicæ professor, & quando, apud quos, de quibus, & quousque ipsi disputandum sit, ostendit; conqueritur insuper de misero illius temporis statu, quo neglecto virtutum studio, eò audaciæ temeritatisque veniebant omnes, ut de obscurissimis Religionis nostræ mysteriis disputare sibi licitum esse quisque putaret.

Secunda ostendit neminem esse ita acuto præditum ingenio, ut quid sit Deus perfectè scire possit, vel explicare, seu qui Dei naturam verbis explicare vel mente concipere possit; addit posteà ex mirabili rerum creatarum descriptione, seu per ea quæ facta sunt, Dei notitiam haberi posse aliquam, sed imperfectam & obscuram, cùm & ipsæ quoque rerum essentiæ obscuræ sint nobis, & imperfectè cognitæ.

Tertia subtiliter & eruditè frivolas & inanes confutat Eunomianorum rationes & argutias, quibus nitebantur ad convellendam veram & Catholicam de Christi divinitate doctrinam, objicientes ex Scriptura v.g. quòd Christus fuisset baptizatus, tentatus, fame sitique pressus, quòd orasset, quòd quæsiisset Lazarum, quòd fuisset fatigatus, venditus, mortuus, &c. quibus respondens, & hæc omnia & plura alia refellens, ait, *Baptizatus quidem est ut homo, sed peccata sustulit ut Deus; tentatus est ut homo, victoriam reportavit ut Deus; fame affectus est, sed multa hominum millia aluit;*

siti

siti laboravit, sed clamavit, Si quis sitit, veniat ad me & bibat; fatigatus est, sed eorum qui fatigantur atque onusti sunt, est requies; orat, sed alios orantes exaudit; quærit ubi positus sit Lazarus, homo enim erat, sed Lazarum à morte ad vitam excitat; Deus enim erat; venditur & quidem vili pretio, nempe triginta argenteis, sed interim mundum pretio magno, hoc est, cruore suo redimit; moritur, sed vitam impertit ac morte sua mortem extinguit, &c.

Quarta eorumdem *Eunomianorum* argumenta ex Scriptura petita, licèt in præcedenti oratione abundè rejecta, fusiùs tamen discutit & resolvit, variaque posteà explicat Dei Christique potissimùm nomina, quæ scilicet ei vel ut Verbo, vel ut homini conveniunt.

Quinta denique & ultima, pro Spiritus sancti divinitate, pugnat in Macedonianos, Arianos & Eunomianos; in Macedonianos quidem Filio parcentes, sed Spiritui sancto divinitatem negantes; in Arianos verò & Eunomianos nec Filium nec Spiritum sanctum Deum esse dicentes: qui omnes cùm in hoc potissimùm urgerent Orthodoxos, quòd Spiritus sancti divinitatem nullis Scripturæ locis suffultam esse contenderent, ideò hac de re fusè & eruditè disserens ostendit, quòd licèt non ita expressè & dilucidè ac nominatim Spiritus sancti divinitas non sit Scriptura consignata, plurima tamen Spiritui sancto in Scriptura tribui, ex quibus divinitas ejus manifestè colligitur & apertè; additque non ita anxiè de nominum sono litigandum esse, cùm res ipsas Scripturæ auctoritate comprobatas esse constat.

4. *Orationes de pace tres* elegantes & doctæ, diversis temporibus habitæ. *Orationes tres de pace.*

Prima est ad Nazianzenos, post reconciliationem Monachorum cum Gregorio patre; Gregorius enim pater Nazianzeni nostri cùm Arianos aliquos benignè suscepisset, & impiæ illorum alicui sententiæ subscripsisset, hac de re indignati Monachi, & eorum exemplo populi multi, ab ejus communione recesserant, unde Arianis aperta Catholicos exagitandi janua; latiùsque serpsisset hoc malum, nisi Gregorius pater Gregorii Nazianzeni monitis & hortatu fidem suam fuisset apertè professus, petiissetque sibi condonari quod incautè fecisset; hac enim publicè fidei professione facta Monachos sibi facilè reconciliavit, qua reconciliatione facta, & inita pace, hanc ad Nazianzenos de pace orationem habuit Nazianzenus, qua pacis bona fusis extollit laudibus, hortans eos ad unionem & concordiam, & ne deinceps tam facilè se ab errantium fratrum societate sejungant.

Secunda pariter de pace, longè pòst habita, occasione dissidii cujusdam inter Catholicos orti, quod dissidium licèt leve, Ariani tamen exaggerabant, & ex musca, ut ajunt, elephantum faciebant: quodque non tantum esse quantum illi clamabant, Catholicosque semper in fide & religione fuisse concordes, ut ostenderet Gregorius Nazianzenus, hanc orationem habuit, in qua veram & simplicem de Trinitatis doctrina confessionem addit.

Tertia de pace oratio Constantinopoli habita, occasione quorumdam Episcoporum discordiæ, quæ duas in partes Constantinopolitanam scindebat urbem; cui malo ut mederetur Gregorius, hanc orationem habuit, in qua, totis eloquentiæ viribus, contentionis mala depingit, & quàm indignum sit homine Christiano factiones simultatesque fovere, inter alia docet.

Oratio in plagam grandinis.

5. Oratio *in plagam grandinis*, Nazianzi habita, occasione grandinis qua Tyberinæ Regionis jam maturæ fruges percussæ fuerant; quam calamitatem cùm ob populi scelera immissam cerneret Gregorius pater & taceret, Gregorius noster Theologus & filius ejus, plebis impulsu in medium prodiens, hanc orationem habuit, qua Nazianzenos ad pœnitentiam & vitæ correctionem hortatus est.

Oratio in mulieres ambitiosè se ornantes.

6. Oratio alia mirabilis *adversùs mulieres ambitiosiùs se se ornantes & excolentes*, quæ sic incipit, *Cavete, ò mulieres, ne caput vestrum nothis & adulterinis crinibus tanquam turribus quibusdam muniatis, mollia colla è scapulis delicatè ostentantes*. Est & alia

Oratio de moderatione in disputatione servanda.

7. Oratio *de moderatione in disputatione servanda*, & quòd non sit cujusvis, & cujusque temporis de Deo disputare; cùm videret enim Theologus noster suo tempore Ecclesiæ navim tot hæresum procellis ita agitari, adeòque turbata, confusa & inversa omnia, ut rudis etiam populus eò insolentiæ veniret, ut sibi de præcipuis Religionis nostræ mysteriis disputare licitum esse putaret, huic malo ut medelam ferret, hanc orationem habuit, in qua de ordine servando fusè multùmque differit, & ostendit inter alia, nihil necesse esse promiscuæ plebi, sublimibus arduisque disputationibus implicari, & sufficere ei, ut corde credat, & ore confiteatur.

Oratio in sancta lumina.

8. *Oratio in sancta lumina*, seu in festum sanctorum luminum; festum autem sanctorum luminum erat festum Baptismi Christi, quod octavo idus Januarii tam apud Græcos, quàm apud Latinos celebrabatur, & Baptismus ideò luminum nomine appellatur, quòd purget, & illustret, & quia insuper Baptismus est Dei beneficium omnium præstantissimum; idcircò nedum lumen, sed lumina vocatur, eo ferè modo quo intima divini templi pars, utpote quia magis particeps sanctitatis, Sancta sanctorum vocatur, & mysticus Salomonis libellus sive Canticum, quia omnium præstantissimum, Cantica canticorum dicitur; & qua oratione habita, sequenti die habuit alteram in sanctum Baptisma, quam sic incipit: *Hesterno die præclarum luminum diem festo prosecuti ..... hodie de Baptismo ac beneficio hinc ad nos permanante breviter differemus, &c.* quod reipsa præstat, & inter alia, Baptismum nequaquam differendum esse demonstrat.

Oratio in Arianos.

9. *Oratio contra Arianos & de seipso*, qua primùm Arianorum crudelitates, ac nefarias adversus orthodoxos persecutiones exponit, deinde ineptis ac puerilibus calumniis respondet, quibus ipsum in populi contemptum pertrahere nitebantur, tandemque ex Baptismi forma eorum coarguit errorem, quo miserè detenti Filium & Spiritum sanctum creatos esse dicebant.

Oratio ad 150. Conc. Const. PP. habita.

10. *Oratio in præsentia* 150. *Episcoporum* habita, pro suo à sede Constantinopolitana obtinendo recessu: cùm enim tempore Concilii Constantinopolitani primi, communi Patrum sententia & hortatu Constantinopolitanam Ecclesiam ut Episcopus regendam accepisset, & ea de causa se multorum invidia premi, & iniquis sermonibus argui videret, ac Triepiscopum se perperàm à multis nominatum audiret, videlicet Sazimorum Episcopum primò, deinde Nazianzenum, & tandem Constantinopolitanum, (quamvis Sazimorum Episcopatum reliquerit eodem die, nec sacrificio quidem illic oblato, & Nazianzenum patris sui rogatu rexerit, non ut Episcopus proprius, quàm ut Episcopi vicarius, ut patri jam seni, & morbo, curarumque mole fesso succurreret, & quo vita functo, statim

recessit

recessit Seleuciam petens,) hæc inquam cùm audiret Gregorius, de suo à sede Constantinopolitana recessu cogitavit, utque Patrum assensum obtineret, hanc ad illos simul congregatos orationem habuit.

Sunt & aliæ plures, ut 7. orationes in dies festos, 2. in Julianum Imperatorem, & de diversis materiis aliæ, cum tractatu de fide Synodi Nicænæ, imò & metaphrasis, seu translatio in lib. Ecclesiastæ.

11. *Epistolæ variæ* numero 80. inter quas, duæ reperiuntur ad *Cledonium* presbyterum adversus *Apollinarium*, in quibus ea refelluntur argumenta, quibus probare contendebat Apollinarius Christum humanam non assumpsisse mentem, & contra quem in priori epistola sic loquitur Gregorius noster: *Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profectò est, nec dignus qui totus salute donetur; nam quod assumptum non est, curationis est expers: quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantùm ex parte Adam lapsus est, dimidiatum quoque sit quod assumptum est, & quod servatur. Si autem totus peccavit, toti quoque homini unitus est Dei Filius, & toti salutem affert .... Si enim Christus animatus homo non est, hoc ipsum quoque Ariani ajunt, ut passionem divinitati tribuant; quod enim corpus movet, idem quoque patitur; si autem animatus quidem, cæterùm mentis expers, quo tandem modo, hominis nomen sustinebit? neque enim homo animal est mente carens.* Epistolæ variæ, numero 80.

Poetica Gregorii Theologi scripta sunt.

Opera plura alia à Gregorio Theologo in Ecclesiæ bonum scripta; cùm enim videret multos suavitate carminis illectos in errorem pertrahi, ut huic occurreret malo, medicinamque pararet, animum ad carmina condenda varia de rebus piis convertit, totque in extrema senectute carmina scripsit, ut dicat *S. Hieron.* cum ad 30. usque millia cecinisse versuum, quorum nec quidem media pars ad nos usque pervenit; ex his, reperiuntur versibus scripta opera ista. Poetica Opuscula varia.

1. *Tragœdia*, quæ inscribitur, *Christus patiens*; sed hæc tragœdia, ut notat Bellar. *in cat. de Script. Eccl.* non videtur Greg. Nazianzeni gravitatem sapere, maximè cùm Christi matris ejulatus describat, & lamenta; quæ erat virgo prudentissima, constantissima, Deique voluntati parere paratissima.

2. *De rebus suis carmina*, seu ad Christum poema, quo nos occultè ad piam Christoque dignam hortatur vitam.

3. *De virginitate carmen*, in quo disputatur, utra vita sit præstantior, an cœlebs, an conjugata; quod ut clariùs pateat, post fusè descriptas virginitatis laudes, utramque vitam inducit loquentem, & suas partes agentem, tandemque cœlibatum de vita conjugatâ victorem.

4. *Ad virgines* poema alterum, in quo virgines utriusque sexus salutiferis instruit præceptis, & ad continuum virginitatis studium hortatur.

5. Varia opuscula alia carmine descripta; qualia sunt *miracula Christi, parabolæ Christi, genealogia Christi, Moysis decalogus, de duodecim Patriarchis*, & pia alia nonnulla. *Vide Hieron. de Script. Eccl. Baron. in an. Jac. Billium in vita Greg. Naz. & in Scholiis, Hermant. in vita Greg. Naz. Bellarm. de SS. Eccl.* & *novam Biblioth. SS. Eccl.*

De S. Gregorio Nyßeno. 393.

Gregorii Nysseni dotes, Episcopatus, gesta, obitus & scripta, quæ sunt.

Sanctus Gregorius, Basilii Magni Cæsariensis Archiepiscopi, sanctique *Petri* Sebastæ præsulis, nec non *S. Matrinæ* virginis & plurium virginum Abbatissæ, frater sanctissimus fuit, juxta *S. Hieron. Theod. Callist. Suidam & alios*, Nyssenæ urbis in Cappadocia lux, ornamentum, & Episcopus, unde vulgò *Nyßenus* à Nyssena sede vocatus, vir insignis doctrina, & eloquentia celebris, qui licèt, juxta *Nicetam* & *Nicephorum*, fuerit conjugio mancipatus, *Theosebiæ*que fœminæ sanctissimæ sponsus, rebus tamen aliis fratri minimè cessit; promotus enim ad sacerdotium, Theosebiaque similiter Deo sponte dicata, & officio Diaconissæ mancipata, ad Nyssenam evectus est cathedram, quam dum regeret sanctissimè, orthodoxamque fidem, & ovile Christi contra grassantes Arianæ sectæ lupos strenuè propugnaret, in exilium est abire jussus ab Imperatore *Valente*, anno circiter 370. sed illo è vivis rapto Imperatore, rabido in Christianos gregis Ariani lupo, ab ejus successore Gratiano post septem annos ab exilio revocatus est cum Orthodoxis Episcopis aliis Gregorius urbis Nyssenæ præsul, interfuitque Antiocheno Orthodoxorum Concilio in causa Antiocheni trium Episcoporum schismatis habito, circa annum Christi 377. at ab eo cum Gregorio Nazianzeno, Meletio, & Eusebio Samosateno delegatus est ad visitandas Orientis Ecclesias, easque sublevandas, & in fide Catholica firmandas; claruitque posteà in Synodo Constantinopolitana prima, quæ est Oecumenica secunda, contra Macedonium sub Theodosio Imperat. habita an. 381. qua durante Oecumenica Synodo cùm decessisset magnus *Meletius* Antiochenus Episcopus, decessisset pariter & *Flacilla* Theodosii Imp. filia, ad eorum funebre dicendum elogium communi PP. suffragio destinatus est Nyssenus noster Gregorius, destinatus & ad condendum nomine Concilii fidei Symbolum illud quod Constantinopolitanum vulgò dicimus, destinatus & ad Arabicas posteà visitandas Ecclesias, quique longè post obitum in septima Oecumenica Synodo act. 6. contra sacrarum Imaginum hostes citatus est, & Patrum Pater summa cum laude vocatus, quique tandem post varios pro Ecclesia labores; feliciter obiit 9. Martii an. circiter 393. vel ut placet aliis an. 396. relictis variis & egregiis miræ doctrinæ & eloquentiæ scriptis, diversa editione latinè vulgatis, Basileensi præsertim an. 1562. & Parisiensi an. 1573. è quibus omnibus præcipua sunt,

Scripta Gregorii Nysseni.

Explicatio in hexaemeron, seu supplementum hexaemeron Basilii Magni fratris ad Petrum fratrem.

1. *In hexaemeron explicatio* ad Petrum fratrem, hoc est, supplementum hexaemeron Basilii Magni, seu liber quem rogatùs à *Petro* fratre Sebastæ Episcopo suscepit scribendum, ad hexaemeron explicandum, quem Socrates lib. 4. cap. 21. asserit à Basilio Magno morte prævento imperfectum esse relictum, & quo in libro, ea quæ de mundi creatione primo quidem aspectu dissita, & inter se contraria videntur, in ordinem ac concordiam accommodatè disponit, ipsamque Moysis Scripturam sibi ipsi consentientem & constantem eleganter ostendit.

De opificio hominis liber, ad

2. *De opificio hominis liber*, quem librum admirandum dixere veteres, & quem ideò scripsit Nyssenus, ut ea quæ desunt in libro *S. Basilii* fratris & ma-

& magiſtri ſui de opificio mundi ſuppleret, non quòd laborem ejus partu ſuppoſititio contaminare velit, ſed ut in diſcipulo non defeciſse videatur magiſtri gloria: nam cùm in libro Baſilii de mundi opificio deſit hominis conſideratio, ſi nemo hac in parte ſupplenda dediſset operam, adversùs tanti viri gloriam dixiſset reprehenſorum libido eum noluiſse diſcipulos ad res animo indagandas aſsuefacere, unde hoc in libro ita hominis opificium conſiderat & inquirit, ut nihil eorum omnium omittat, quæ initio homini accidiſse credimus, quæve deinceps ventura expectamus, aut in eo de præſenti conſpicimus.

ſupplenda quæ deſunt in libro S. Baſilii de opificio mundi.

3. *De vita Moyſis*, ſive de perfecta vita liber ad *Petrum* fratrem, quo in libro ut Petro fratri de vita perfecta monita quærenti ſatisfaciat Gregorius, Moyſis vitam deſcribit, eamque ei quaſi filio in exemplum proponit, dicens: *Petiiſti à me, chariſſime fili, ut tibi quænam ſit perfecta vita diligenter deſcribam; quod te ideò velle non dubito, ut cùm inveneris, quæ quæris, ad vitam tuam quod inveniſti accommodes .... quare ſi nos quoque unius probati vitam in exemplum ſumpſerimus, ardentiſſimum tuum, ut ſpero, explebimus deſiderium.*

Liber de vita Moyſis, quem Petro fratri ſuo proponit in exemplum.

4. *Commentarii duo, in Eccleſiaſten unus, & alter in Cantica canticorum:* in primo librum Eccleſiaſtæ ſibi proponit explicandum, & reipſa octo explicat homiliis; & in altero Cantica canticorum ita quindecim aliis exponit homiliis, ut hæc ejus expoſitio ſit reſponſio quædam ad eos, qui ex verbis divinis nihil ampliùs eſse quærendum aſserunt, quàm, quæ in promptu eſt, litteræ & dictionis ſignificationem, ſeu qui in ſola littera manendum eſse volunt, & non ultrà tendendum ad ſpiritualem intelligentiam.

Commentarii duo, unus ad explicandum Eccleſiaſten, & alter Cantica canticorũ.

5. *De nomine Chriſtiani*, ad Harmonium epiſtola, hoc de argumento ideò ſcripta, quia crebras miſsurus ad Harmonium literas Nyſsenus, ut ex iis ad animum utilitas perveniret aliqua, commodum ſeligere ſibi propoſuit argumentum quaſi ſcopum quò tendant; ideò pro argumento hujus primæ ſuſcipit conſiderandum, quid ſit Chriſtiani hominis profeſſio, quidve Chriſtiani nomen ſignificet, ut ſic planè cognito, quid per hoc nomen declaretur, videant, an ſint id quod nominantur, aut ſi non ſint, verè fieri contendant.

De nomine Chriſtiani ad Harmoniũ epiſtola.

6. *De perfecti Chriſtiani hominis forma*, ad Olympium monachum alia, ſed diffuſa per modum libri epiſtola, in qua ut reſpondeat Olympio quærenti, qua ratione poſſit inſtitui vita ex omni parte irreprehenſibilis, atque perfecta, brevem tradit ei rectè & Chriſtianè vivendi formulam.

De perfecti Chriſtiani hominis forma ad Olympium altera.

7. *De oratione Dominica* liber, ſive tractatus complectens orationes quinque de oratione Dominicali; quarum prima eſt mera, ſed elegans ad orationem exhortatio, docens, non tam quomodo ſit orandum, ſed quòd omninò juxta Pauli præceptum, & ante omnia alia ſit orationi vacandum: quatuor verò ſequentes aliæ ſunt fuſa ſingularum petitionum orationis Dominicalis expoſitio.

De oratione Dominica liber, 5. orationibus Dominicã orationem explicans.

8. *De octo Beatitudinibus* liber, ſeu de vita beata comparanda tractatus alter, complectens orationes octo, quibus exponitur divinus ille Chriſti ſermo in monte ad turbas habitus de octo Beatitudinibus, de quo dicitur Matth. cap. 5. verſ. 3. *Quòd viſis turbis, aſcendit in montem, & cùm ſediſset, acceſserunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, &c.*

De octo Beatitudinibus liber, explicans ſermonem Domini in monte.

9. Ora-

Oratio de subjectione Filii ad explicandum Pauli textũ, 1. ad Cor. c. 15. v. 28.

9. *Oratio de subjectione Filii*, seu oratio qua explicatur illud Pauli 1. ad Cor. cap. 15. vers. 28. dicentis: *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, &c.* quo Pauli textu utebantur hæretici ad evertendam unigeniti Dei Filii gloriam, perperàm arbitrantes illud Pauli sibi favere dictum, & servilem aliquam in Deo Filio notare subjectionem: quod ut falsum ostendat *Greg. Nyss.* explicat quid sit illa Filii ad Patrem subjectio, de qua ibi loquitur Paulus, dicens: *Dei subjectio est perfecta, & omni ex parte absoluta à malo abalienatio, & illa Filii quæ dicitur subjectio, fit per nos, cùm quæ in ejus corpore rectè se gerit subjectio, ad eum referatur, qui gratiam subjectionis in nobis est operatus.* Sensus igitur Pauli juxta Greg. Nyssenum est, quòd Christus in resurrectione subjicietur Patri per fideles & electos, quia in ea omnes fideles & electi ei erunt perfectè subjecti, quia erunt semoti & alienati ab omni malo, & arctissimè cum Deo conjuncti: si fideles omnes erunt perfectè subjecti; ergo & Ecclesia: si Ecclesia; ergo & Christus, cùm Ecclesiæ subjectio, Christi dicatur subjectio. *S. Chrysost.* hoc aliter explicans, ait, quòd Christus tunc erit Patri subjectus, id est se subjectum ostendet, quatenus tunc patebit omnibus quàm perfecta fuerit hìc, Christi obedientia & subjectio.

De mortuis oratio, qua ostenditur non esse lugendum pro mortuis.

10. *De mortuis sive de dormientibus* oratio, in qua docet, non esse dolendum & lugendum de obitu eorum qui in fide dormierunt, sed potiùs lugendum pro his, qui superstites retinentur adhuc in hac mortali vita, & misera lacrymarum valle; sicut non lugendum, nec lugere consuevimus pro iis qui liberantur è carcere, sed pro iis qui in eo catenis vincti recluduntur adhuc.

De infantibus præmaturè raptis oratio, inquirens quid judicandũ de illis.

11. *De infantibus præmaturè raptis* ad Hierium oratio, in qua sibi propositam ab Hierio viro optimo scrutans quæstionem illam, nimirùm quid statuendum sit ad judicandum de iis qui præmatura rapiuntur morte, eo ipso quo nati sunt, ait: *Animadvertens quanta difficultas ac perplexitas insit in ea, quæ nobis ad considerandum & contemplandum est proposita quæstio, convenire opinor Apostolicam vocem, qua ille usus est in arduis & mentis cogitationi inaccessis & incomprehensibilibus quæstionibus, O altitudo, inquiens, divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia judicia ejus & investigabiles viæ ejus! &c.* Fusiùs tamen posteà discutiens quæstionem propositam, an scilicet infantes illi, qui sic vivere desierunt, antequam quid boni vel mali fecerint, sint retributionem consecuturi aliquam, sic concludit, dicens, *quòd immatura mors infantium, neque in doloribus ac mæstitia eum esse, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit, neque in pari ipsum & eadem conditione ac sorte versari, cum iis qui per omnem virtutem in hac vita purgati sunt, &c.*

De anima & resurrectione cum Macrina disputatio.

12. *De anima & resurrectione* cum sorore sua *Macrina* disputatio, seu liber, in quo fusè de anima & resurrectione disputat Nyssenus cum sorore sua Macrina, occasione Basilii fratris obitus, quem cùm vehementer & amarè defleret Greg. Nyssenus, idque reprehenderet Macrina soror, & vetitum esse moneret à Paulo dicente, Non esse dolendum pro iis, qui in fide dormierunt, tanquam hi qui spem non habent de resurrectione, & quasi anima non semper maneat, sed cum corpore desinat; respondissetque ad hæc Gregorius, difficile admodum & supra naturam esse, ut non doleamus, præsertim cùm non planè & exactè sciamus, sitne adhuc post mortem anima, & sint multi apud Græcos Philosophi quibus contrarium videtur; quæ ut refelleret Macrina respondit, *Ut ergo hac de re disseramus,*

& exor-

& exordium sumat oratio nostra à contrariarum illarum opinionum propugnatione, incipe tu, & contrarias propugna ac defende partes, ut hoc modo, posteà veritatis ratio quæratur. Lubenter se id facturum promittit Gregorius, Macrinam priùs deprecatus, ne quæ contradicentur ab eo, pro vera & seria contradictione sumat, sed solùm ideò proferri putet, ut doctrina de anima firmiter adstruatur, & futura resurrectio probetur; & hic est hujus disputationis scopus, ut scilicet probetur immortalitas animæ, refellatur metempsychosis, & asseratur resurrectio.

De vera & incorrupta virginitate liber.

13. *De vera & incorrupta virginitate* liber, in quo prolixè per 24. capita discurrit de virginitatis incorruptæ dotibus & laudibus, difficultates, molestias & anxietates, quæ oriuntur ex nuptiis, explicans, & in quo se non cœlibem fuisse indicat Gregorius Nyssenus, dum cap. 3. sic ait: *Nunc verò mihi virginalium laudum cognitio quodam modo inanis est, ac minimè fructuosa, &c.*

De sancto baptismate orationes 2. quibus suscepti baptismi bona, & dilati pericula proponit.

14. *De sancto baptismate* orationes duæ, in quarum prima, de bonis per baptismum nobis à Christo collatis, prolixè discurrit, & in altera, in eos invehitur, qui baptismum in finem usque vitæ differunt, hortans eos, ut consilium mutent, accedant, festinent, & baptizentur, dicens illis inter alia: *Caput jam canescit, propè est æstas vitæ, in nos fortè falx acuitur, & timeo ne nobis dormientibus & in vana spe occupatis, repentè accedat messor terribilis; sed dices tu qui juvenis es, Nondum consenui: noli ergo decipi, non definitur mors certo tempore ætatis, neque timet eos qui sunt in ipso flore ætatis, hujus accipe quotidianam experientiam .... Deponite ergo vestram inanem sententiam, qui baptismum reservatis ad exequias, scientes quòd fides suam requirit sororem, nempè quæ est ex charitate, vitæ institutionem, &c.*

Circa mysterium SS. Trinitatis tractatus varii, quibus catholica explicantur dogmata varia de tribus personis divinis.

15. *Circa Trinitatis mysterium*, sive SS. Trinitatis personas, varii tractatus sive libri, quorum primus est adversus Judæos liber, in quo delecta referuntur varia ex veteri Testamento loca, quibus contra Judæos probatur Trinitatis mysterium, & insuper ex Prophetis Domini adventus ostenditur.

Secundus est de Trinitate liber ad *Eustathium* in adversarios Spiritus Sancti; in quo ex Scriptura probatur, verè cum Patre & Filio Deum esse Spiritum sanctum.

Tertius est liber alter ad *Ablablium*, de eo, quòd non sit putandum tres Deos dici oportere; quo in libro ostenditur, quòd licèt tres in Trinitate personas asseramus, non tamen putandum tres Deos esse dicendos; & respondetur ad contradicentium argumenta.

Quartus est *de differentia essentiæ & hypostaseos* ad Petrum fratrem liber, sive tractatus, in quo explicatur quid sit essentia, quid hypostasis, & quid discriminis inter utrumque, de quo eodem argumento scripsit & Basilius ad Gregorium Nyssenum epist. 43.

Quintus denique est de fide ad *Simplicium* libellus, in quo breviter explicatur fides de Patre, Filio & Spiritu sancto, & quòd Filius non sit creatus, quòd Spiritus non sit creatus, quòdque omnia quæ conveniunt Patri ratione naturæ, conveniant etiam Filio & Spiritui sancto.

Sermones de diebus festis varii.

16. *Sermones*, sive *Orationes* de diebus festis variæ, ut oratio in diem natalem Christi, oratio de sancto Stephano protomartyre; orationes tres de Christi resurrectione & Paschali die, in quarum prima agitur de præfinito trium dierum spatio, de institutione Paschatis Christianorum, nec non de Crucis mysterio; in altera verò ostenditur nullo modo

inter

inter se contrarios esse Euangelistas, licèt diversimodè narraverint ea, quæ in Christi resurrectione fuere visa; in tertia denique agit de magna resurrectionis die ab omnibus celebranda, de resurrectione nostra futura, nostræque animæ immortalitate; est & alia de Ascensione Domini, & de Pentecoste altera: morales verò aliæ plures, ut v.g.

Contra usurarios oratio vehemens.

17. *Contra usurarios oratio*, in qua ex Scripturis eos vehementer insectatur, qui pecunias suas dant ad usuram, & in cujus fine sic concludens, & ex iis alloquens unum, ait: *Quid respondebis accusatus incorrupto judici, quando tibi dixerit, Habuisti Legem, Prophetas, Euangelicas præceptiones, omnes audivisti simul ingeminantes una voce charitatem, humanitatem; his quidem monentibus, Fratri tuo non fæneraberis, aliis verò, Pecuniam suam non dedit ad usuram, aliis, Si mutuum dederis fratri tuo, non urgebis illum, &c.*

Oratio de fornicatione fugienda juxta illud Pauli, *Fugite fornicationem.*

18. *Oratio de fornicatione fugienda*, in illud Apostoli 1. ad Cor. cap. 6. vers. 18. dicentis, *Fugite fornicationem; omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*; qua in oratione ostendit fornicationem esse fugiendam, eamque aliquid magis fugiendum habere quàm cætera scelera, cùm per fornicationem qui fornicatur peccet in corpus suum, quatenus corpori suo gravem injuriam irrogat, polluendo, coinquinando & maculando illud, imò debilitando, exhauriendo, & fœda Veneris lue aliisque morbis inficiendo illud, ait *S. Athanasius*. Unde Nyssenus de fornicatore sic ait: *Fornicator est in ædibus fugiendus, in congressibus abominandus, contumelia appropinquantibus, inimicis opprobrium, cognatis probrum & dedecus, iis qui simul habitant execrandus, dolor parentibus, famulis publicum ludibrium, vicinis ridicula narratio: si velit uxorem ducere, rejiciendus, in matrimonio suspectus sponsus, pater filiis odiosus, despicabilis consiliarius, largiens ingratus, petens ingratior, mortuus magis laborans infamia. Tantæ malorum multitudinis matrem videns Paulus fornicationem, victricem nobis præcipiens fugam, clamabat, Fugite fornicationem, &c.*

Orationes funebres.

19. *Orationes funebres*, sive laudatoriæ septem elegantes quidem, eruditæ ac piæ.

1. S. Basilii Magni fratris.

Prima est *oratio*, qua *Basilii Magni* fratris sui ac magistri Cæsariensis Archiepiscopi laudes celebrat & memoriam, & qua eum primò cum *Joanne Baptista*, deinde cum *Elia*, & tandem cum *Samuele* comparat.

2. Quadraginta Martyrum.

Secunda est *oratio de quadraginta Martyribus*, in qua fusè laudantur hi quadraginta Christianæ Religionis Heroes, ob egregiam Christi confessionem apud Barbaros constanter & invictè martyrium passi.

3. Pulcheriæ principis.

Tertia est *oratio in funere Pulcheriæ* Principis habita, qua dignis extollit laudibus Principem illam, Imperatoris Arcadii filiam, Theodosiique sororem, & deinde de ejus obitu lugentes & mœstos consolatur cognatos & amicos, ostendens non oportere tristitia affici nomine dormientium, ut hi qui spem non habent; refellitque rationes eorum, qui hoc supra naturam esse contendunt.

4. Placillæ principis.

Quarta est *oratio funebris de Placilla*, altera Imperatoris Arcadii filia, qua in oratione dolore turbatus adhuc de obitu Pulcheriæ, deplorat Placillæ sororis ejus obitum, ad quem lugendum postquam populos, civitates, gentesque invitavit omnes, ut tandem consolationem addat aliquam, non periisse bonum quod quæritur, sed salvum esse ostendit, Placillam videlicet non vivere desiisse, sed è vitæ miseriis ad vitam migrasse immortalem.

Quin-

Quinta est *oratio de vita S. Gregorii Neocæsariensis*, vulgò miraculorum opificis, sive Thaumaturgi, in qua, post varia laudata Gregorii Neocæsariensis Episcopi facta, prodigiaque miranda, concludit tandem tanti viri laudes & elogium, dicens se prætermittere plura Gregorii miracula alia, ut incredulis parcat auribus, & ne offendantur hi, qui veritatem, mendacium putant, propter rerum quæ narrantur amplitudinem. 5. S. Gregorii miraculorum opificis.

Sexta est *oratio panegyrica de sancto ac magno Martyre Theodoro*, quem dicit terque quaterque beatum, quòd insigni pietate præditus esset, fidemque Christi ubique laudaret, & pro Christianæ fidei confessione constanter ac generosè multa passus, & igne tandem consummari jussus obierit. 6. S. Theodori martyris.

Septima est *oratio in funere magni Meletii* Antiochensis Episcopi, in qua laudans virum illum magnum, ut novum Apostolum Antiochiæ datum, ducem ac magistrum generosum ac nobilem, inculpatum, justum, veracem, pium, religiosum, & abstinentem ab omni facinore malo, & lugens quia morte raptum, exclamat: *Ubi dulcis illa oculorum serenitas? ubi jucundus ille ac lepidus in labiis risus? ubi comis illa & ad salutandum facilis dextera? miseret me tui Ecclesia, te alloquor, ò civitas Antiochi, miseret me tui, repentinæ ac subitæ hujus mutationis nomine! &c.* 7. Magni Meletii.

Sunt & alia nonnulla Gregorii Nysseni Præsulis opuscula, quæ videri possunt in editione Parisiensi an. 1605. Frontonis Ducæi. *De octo philosophiæ libris* nihil dicimus hic, 1. quia de iis nulla mentio, hac in editione præfata, 2. quia Gregorii Nysseni non sapiunt calamum, cùm dicatur in secundo animam non creari in corpore, sed ante corpus creatam esse, qui fuit Origenis error. *Vide S. Basilium epist. 43. Greg. Nazian. orat. 6. Hieron. in cat. Script. Eccl. Socrat. lib. 3. cap. 8. Theodoret. lib. 4. cap. 28. Niceph. Call. lib. 11. cap. 29. Baron. Bellarm. Miræum, &c.*

De S. Gregorio Turonico. 596.

Sanctus Gregorius vulgò *Turonicus*, vir fuit miræ sanctitatis, insignis modestiæ, & humilitatis eximiæ, apud Arvernos Celticæ Galliæ populos patre *Florentio* & matre *Armentaria* genitus, *S. Galli* Arvernorum Episcopi nepos & alumnus, *Galloque* vita functo *S. Aviti* ejus post *Cantinum* in sede successoris discipulus, & *Trithemio* teste, Ordinis Benedictini in monasterio S. Martini Turonensis monachus, ac tandem è monacho, post *S. Euphronium* Ecclesiæ S. Martini Turonensis Episcopus decimus nonus, anno Christi secundùm Baronium 574. de quo Petrus Venerabilis ad Petrum Pictaviensem sic canebat olim:

Gregorium laudas Arverno germine clarum,
Cui dat Martini celsa cathedra locum.

Ad hanc licèt reluctans evectus sedem, Cleri, populique voce, & Sigiberti Regis assensu, ita suo invigilavit gregi & sibi, ita in omnibus mitis, humilis & sanctus, ut fuerit etiam miraculorum gratia clarus, quæ ne sibi, sed sancto Martino vel Sanctis tribuerentur aliis, eorum semper reliquias secum gestare solebat: interfuit Parisiensi Concilio in causa *Prætextati* Rhotomagensis habito an. 577. cùm ad SS. Petri & Pauli visitanda limina Romam venisset olim, à summo Pontifice Gregorio Magno reverenter & amicè susceptus est ac salutatus, quem cùm intus & tacitum mirari Gregorii Turonici patria, dotes, gesta, obitus, & scripta, quę sunt.

suam

suam parvitatem novisset Gregorius noster Turonicus, qui statura pusillus erat, summo Pontifici dixisse fertur, *Dominus ipse fecit nos, & non ipsi nos, idem in parvis qui & in magnis*; quo audito, majori veneratione deinceps & ut verè Sanctus habitus est à Gregorio Magno Gregorius noster Turonicus, qui expleto vigesimo primo sui Episcopatus anno, sanctè tandem discessit è vita anno Christi 596. die 15. Kalend. Decemb. quo die recolitur & legitur in Martyrologio Benedictino atque Romano, hoc est, obiit octo circiter annis ante Gregorium Magnum, relictis variis in Ecclesia scriptis, quæ ipsemet suo in hist. Franc. epilogo recenset dicens: *Decem libros historiarum, septem miraculorum, unum de vitis Patrum scripsi, in Psalterii tractatum librum unum commentatus sum, de cursibus etiam Ecclesiasticis unum librum condidi*. Ex iis periere duo ultimi, & soli supersunt cæteri, hoc est, decem historiæ Francorum libri, septem miraculorum, per quos septem intelliguntur duo de gloria seu de miraculis Martyrum, unus de gloria seu de miraculis Confessorum, & quatuor de miraculis S. Martini; unde genuina Gregorii Turonici scripta sunt ista,

Scripta Gregorii Turonici.

Historiæ Francorum libri 10.

1. *Historiæ Francorum* libri 10. in quibus, explanata in primis suæ fidei professione, ut se venturis quibuscumque posteris Catholicum fuisse probet, & ab orbe condito ad ortam usque Francorum Monarchiam rerum historia breviter narrata, fusiùs deinde Francorum describit historiam, in qua nedum Francorum gesta, sed etiam Martyrum cum infidelibus bella, & Ecclesiarum cum hæreticis pugnas enarrat.

De gloria Martyrum libri 2.

2. *De gloria Martyrum* libri 2. quorum primus est de gloria Martyrum, seu de miraculis plurium SS. Martyrum; alter verò de miraculis *S. Juliani*, seu de passione, virtutibus & miraculis S. Juliani Martyris.

De miraculis S. Martini libri 4.

3. *De miraculis S. Martini* libri 4. in quibus varia recenset miracula, quæ suo tempore ad roborandam credentium fidem per B. Martinum Turonicum operatus est Dominus.

De gloria Confessorũ liber unus.

4. *De gloria Confessorum* liber unus, in quo ad plurium sanctorum Confessorum gloriam, varia ad sepulchrum eorum divinitùs patrata miracula narrat.

De vitis Patrum liber unus.

5. *De vitis Patrum* liber unus, in quo, post jam narrata in anterioribus libris varia ad sepulchra Martyrum & Confessorum divinitùs gesta, jam suscipit describenda aliqua ad fideles ædificandos idonea, de vitis Patrum aliquorum, quos beatæ conversationis meritum evexit ad cœlum.

De septem dormientiũ historia libellus, sed dubius Gregorii Turonici fœtus.

Dices. Scripsit insuper historicum *de septem dormientibus* libellum, quorum corpora in majori Turonico Monasterio quiescunt, idque peregit rogatus à B. *Sulpicio* Biturigum Archiepiscopo, ut constat ex ejus ad Sulpicium epistola ad apicem præfati libelli relata in Bibl. PP. tom. 11. edit. Lugd. anni 1677. Resp. ibi reperiri quidem libellum illum cum præfata Greg. ad Sulpicium epistola, quæ si genuina esset, genuinus dicendus esset & ipse de septem dormientibus libellus, nec de eo siluisset Gregorius; sed quia de eo profundè silet ipse Gregorius Turonicus, suos enumerans libros omnes, in suo hist. Francorum epilogo, ideò libellum illum non esse genuinum Gregorii Turonici fœtum colligunt eruditi, sicut nec eodem jure *epitomen*, seu undecimum historiæ Francorum librum. Vide *Sigebert. Trithem. Bellarm. Possevin. Baron. Miræum, Gall. Christ. &c.*

De S. Gregorio Magno. 604.

Sanctus Gregorius, cognomento Magnus, Papa hujus nominis primus; & Ecclesiæ Latinæ Doctor sanctissimus, vir fuit patria Romanus, *Gordiano* senatore & beata *Sylvia* matre genitus, *Felicis III.* pronepos, urbis Romanæ præfectus primùm, deinde Benedictini Ordinis monachus, ut tradunt hujus Ordinis professores & scriptores eruditi, vel potiùs Ordinis *S. Equitii*, ut cum Baronio contendunt alii, colliguntque ex eo, quòd Gregorius ipse *lib. 4. dialogi cap. 21. Valentium S. Equitii* discipulum & monachum sibi suoque Monasterio quondam præfuisse dicat; sed utut sit, hoc in Ordine quisquis fuerit, tanta crevit & claruit sanctitatis & eruditionis fama, ut ex eo ad Ecclesiæ ministeria vocatus à *Pelagio II.* Rom. Pont. & Constantinopolim ad Mauritium Imp. missus, ibique Nuntii Apostolici munere ritè functus, post habitum cum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano de mortuorum resurrectione congressum, reversus est Romam, ibique tandem post *Pelagii II.* decessum, licèt invitus multùmque reluctans & ad latebras fugiens reconditus, sed indicio cœlitùs misso detectus, ad supremum evectus est Pontificatum an. Christi 590. in quo, sub Gregorii nomine primus, pro Ecclesiæ bono tanta gessit, scripsit & docuit, ut meruerit Gregorius Magnus cognomine dici. S.Gregorii Magni patria, professio varia, gesta, obitus & scripta, qualia sunt,

Is enim est ille Gregorius, qui primo sui Pontificatus initio Synodicam ad quatuor Orientis Patriarchas scripsit epistolam, cum suæ fidei professione, qua se ut quatuor Euangelia, quatuor suscipere œcumenica Concilia prima, & quintum tria Capitula damnans venerari docebat; is est ille qui in reuniendis Schismaticis & trium Capitulorum defensoribus, diu multùmque sudavit; qui ut devios ab Ecclesia Britannos revocaret, in Angliam viros misit Apostolicos, Augustino duce viro sanctissimo, an. 596. ut constat ex ejus epistola 31. lib. 12. Qui *Syagrio* Augustodunensi, simplici licèt Episcopo, ob collata Augustino in Angliam profecturo subsidia, pallium Archiepiscopale, locumque primum post Metropolitam in Lugdunensi provincia concessit, ut habetur ex ejus epist. 113. lib. 7. Qui Sacramentum Confirmationis conferendi potestatem, dum deficerent Episcopi, Sardiniæ presbyteris indulsit; qui, ut omnem ab electionibus vel ordinationibus sacris removeret simoniæ labem, varias ad Episcopos, & Galliæ Reges scripsit epistolas; qui bigamum presbyterum fieri prohibuit; qui Joannem Jejunatorem Patriarcham Constant. se œcumenicum inscribentem, scripto redarguit & exemplo, se servum servorum Dei subscribens, & se œcumenicum Ecclesiæ Episcopum dici renuens. Is est qui *Serenum* Massiliensem Episcopum ob confractas olim Sanctorum Imagines arguit, ut ejus docet lib. 7. epist. 109. Is est qui in divinis Officiis in meliorem formam reduxit plura; qui Missæ Introitum ordinavit; qui *Kyrie eleison* novies in Missa cantari jussit; qui orationem Dominicam post Canonem dici mandavit; qui singulas canonicas horas per *Deus in adjutorium*, &c. & *Gloria Patri*, &c. inchoandas esse decrevit; qui cantum planum seu unisonum, unde vulgò Gregorianum, instituit; qui denique post magna pro Ecclesia gesta vel scripta plura alia, gravi & acuta vexatus podagra ad vitam migravit immortalem 14. sui Pontificatus anno, Christi verò 604. Cujus

S. Gregorii Magni scripta sunt.

Expositio moralis in Job, 35. libris expressa.

1. *Expositio moralis in Job* in 35. libros distincta, quam teste Beda in vita S. Greg. lib. 2. cap. 1. hist. Ang. Eccl. rogatus à fratribus, cogente S. Leandro Hispalensi Episcopo, Constantinopoli dum Apocrisiarius sive Sedis Apostolicæ nuntius esset, inchoavit, & Romæ factus Pontifex implevit, in qua librum Job magnis involutum obscuritatibus mystica interpretatione discutit, quomodo juxta litteram sit intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ Sacramenta referendus, & unicuique fidelium optandus, fusè per 35. libros ostendit, unde *Moralis expositio* dicta hæc interpretatio, quia rectè vivendi & operandi rationem exhibet.

Liber pastoralis, quo pastores animarum curam habentes instruit.

2. *Liber pastoralis, seu de cura pastorali* 4. in partes distributus; à *Joanne Ravennæ* civitatis Episcopo benignè reprehensus Gregorius quòd curam pastoralem fugere delitescendo voluisset, ne levia quibusdam videantur pastoralis curæ pondera, quàm gravia sint & formidanda demonstrat hoc in libro quatuor in partes ita distributo, ut in prima parte depingat qualis esse debeat is qui regimen animarum seu curæ pastoralis suscipit onus, in secunda qualiter se gerere debeat in hoc semel suscepto regimine, in tertia quòd discretione debeat diversa diversos docere, & singulas audientium personas prudenter pascere, in quarta denique docet qualiter pastor animarum his omnibus ritè peractis debeat ad seipsum redire, seipsum timoris laceratione mordere; ne qui aliorum vulnera curat, suam salutem negligat, & ne alios erigens ipse cadat.

Dialogi cum Petro libri 4. de virtutibus & miraculis Sanctorum.

3. *Dialogi cum Petro* libri 4. seu dialogus cum Petro divisus in 4. libros, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes & miracula Sanctorum quos in Italia clariores nosse vel audire potuerat, ad exempla vivendi posteris collegit.

Expositionis in Canticum liber unus.

4. *Expositionis in Canticum canticorum* liber unus, in quo Cantica canticorum breviter ita explicat, ut nihil intactum omittat, quod ad verum litteræ intellectum ducat, vel ad mores aut mysticam cœlestium contemplationem attineat.

Homiliæ super Ezechielem 22.

5. *Homiliæ super Ezechielem* 22. quibus primam & ultimam Ezechielis Prophetiæ partem, quæ videbantur obscuriores, explanat, hoc est, 12. homiliis exponit tria prima Ezechielis capita, & decem aliis quadragesimum caput valde intricatum de visione ædificandi templi fusè explicat, & pulchrè.

Homiliæ in Euangelia 40.

6. *Homiliæ in Euangelia* 40. ad fidelium ædificationem concinnatæ, & *Secundino* Laurimitano Episcopo dicatæ.

Explanatio in septem Psalmos.

7. *Explanatio sive commentarius in septem Psalmos pœnitentiales*, brevis quidem, sed facilis & fidelis.

Expositio primi libri Regum.

8. *Expositio primi Regum libri*, in sex partita libros, quibus sexdecim explanat prima primi Regum libri capita.

Epistolarũ libri 12.

9. *Epistolarum ad diversos libri* 12. è quibus plures desumptæ sunt distinctiones & regulæ, quæ recensentur in Decretis.

Undecim responsiones ad totidem interrogationes Augustini.

10. *Undecim responsiones* ad totidem interrogationes Augustini Cantuariensis Anglorum Episcopi, seu Epist. ad August. qua undecim quæstionibus propositis ab Augustino respondet.

1. Est *de obventionibus Ecclesiasticis dividendis*.
2. *De Clericis contrahentibus post Clericatum*.

3. *De*

3. *De diversis consuetudinibus diversarum Ecclesiarum non improbandis.*
4. *De pœnitentia furum, & rerum Ecclesiasticarum restitutione.*
5. *Quòd duo fratres possunt cum duabus sororibus contrahere.*
6. *Qui sint in contrahendo prohibiti gradus consanguinitatis & affinitatis.*
7. *Quòd Neophyti in gradu prohibito juncti, nec separandi sunt, nec sacra communione privandi.*
8. *Quot sint Episcopi necessarii in consecratione Episcopi.*
9. *Qualiter Metropolitanus in aliena provincia se habere debeat.*
10. *Quòd mulier prægnans, & puer natus possit baptizari, & de concubitu & menstruis vitandis.*
11. *Quando nocturna pollutio celebrationem & communionem impediat.*

Objicies S. Gregorius in suis Dialogi libris, varia narrat incredibilia miracula; ergo multiplex in eo timendus error. *Resp.* narrare quidem multa, quæ incredibilia videntur, si attendatur ad debilem & obtusum rationis humanæ captum; non verò, si ad infinitam Dei potentiam comparata cernantur. Responderi potest 2. Quòd si ipsum in hujusmodi factis interdum errasse contingat, ad summum pietatis error est, non incredulitatis; qualis est illorum, qui de miraculis, quæ non capiunt, dubitare gloriantur, & ridere. Vide *Bedam hist. Eccl. Anglic. lib. 2. cap. 1. Mabil. in 2. Annalium volumine, Adonem, Simeonem Metaphrast. in vita S.Gregor. Trith. Baron. Bellarm. &c.*

ARTICULUS XVI.

De Eusebio Cæsariensi. 340.

Eusebii Cæsariensis patria, professio, gesta, obitus.

E*usebius Cæsariensis* vir fuit natione Palæstinus, natus sub *Gallieno* Imperat. anno Christi circiter 264. qui Cæsariensis Ecclesiæ presbyter ordinatus ab Agapio Cæsareæ in Palæstina præsule, & deinde post Agapium electus & ipse Cæsariensis Episcopus sub *Constantino* Imperatore, anno Christi circiter 313. unde Cæsariensis vulgò nuncupatus, sicut & *Eusebius Pamphili* pariter cognomine dictus, ob initum strictæ amicitiæ fœdus cum Pamphilo Cæsariensis Ecclesiæ presbytero, & posteà Diocletiani persecutione sæviente Christi Martyre sanctissimo; de quo utroque loquitur *S. Hieron. in suo de Scriptoribus Eccl. libro cap.*81. dum ait, *Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus in Scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo Martyre diligentissimus pervestigator, edidit infinita volumina*: fuit siquidem Eusebius vir summi ingenii & eruditionis profundæ, sed Arianæ sectæ fautor ac defensor, imò (si credamus Hieronymo in libris contra Ruffinum) Arianorum signifer ac princeps, qui florens sub Constantino Magno obiit tandem paulò post ipsum, anno Christi circiter 340. scripta relinquens volumina varia in S. Hieronymi catalogo notata: qualia sunt

Eusebii Cæsariensis scripta.

Scripta è quibus supersunt.

1. *De præparatione Euangelica libri* 15.
2. *De demonstratione Euangelica libri* 20.
3. *De historia Ecclesiastica libri* 10.

4. *De vita Constantini libri* 4.
5. *Contra Hieroclem liber* 1.
6. *Contra Marcellum Ancyranum libri* 5.
7. *De Philosophorum dissensione liber* 1.
8. *Chronicon sive historiæ compendium* 1.
9. *In Isajam Commentarii libri* 10.
10. *Contra Porphyrium libri* 30.
11. *Pro Origene Apologetici libri* 6.
12. *De vita Pamphili Martyris libri* 3.
13. *De Martyribus opuscula varia.*
14. *In Psalmos Commentarii, & alia plura.*

E quibus omnibus, ea quæ supersunt, præcipua sunt ista, hìc specialiùs & singulatim breviter notanda, eoque ferè ordine, quo reperiuntur à Bellarmino relata in lib. de Script. Eccles. videlicet,

Libri 15. de præparatione Euangelica.

1. *De præparatione Euangelica libri* 15. scripti ab Eusebio jam Episcopo ad Theodorum Laodiceæ, ut creditur, Episcopum, & è quibus soli supersunt 14. quibus infideles & paganos ad Euangelicam Christi legem audiendam & sequendam disponit ac præparat, insulsam exhibens ac ridiculam Ethnicorum Theologiam, sanctam econtrà & rationi congruam Judaicam, istamque rejectis cæteris Hebræorum Theologiam, utpote quia solidam atque piam, Christianos meritò secutos asserens.

Libri 20. de demonstratione Euangelica.

2. *De demonstratione Euangelica libri* 20. paulò pòst & ante Nicænum Concilium scripti, è quibus soli supersunt 10. in quibus sic infidelibus & paganis ad legem Euangelicam præparatis, rejectisque Ethnicorum sectis omnibus sive religionibus illorum falsis, & sola Judaica supra illas omnes ut præstantiore laudata, demonstrat contra Judæos ipsos, etiam variis per ipsos decantatis Prophetarum oraculis, Judaicam legem pro una dumtaxat natione, & ad tempus; Christianam verò ut perpetuò vigeret, & pro omnibus omninò cujuscumque Nationis hominibus fuisse latam, eamque solam ut veram ab omnibus esse meritò sequendam, Christumque Dominum verum esse Messiam, quem nobis toties prædixere divina Prophetarum oracula.

Libri 10. de historia Ecclesiastica.

3. *De historia Ecclesiastica libri* 10. aliquot annis post Nicænum Concilium absoluti, in quibus omnium primus Eusebius historiam descripsit Ecclesiasticam, incipiens ab ipso Christi in mundum adventu, & desinens ad annum Constantini vigesimum, Christi verò 325. & hæc historia, omnium eruditorum calculo, est opus egregium ac eruditum, & inter omnia Eusebii opera alia præstantissimum, in quo diligenter & accuratè notat omnes magnarum urbium sibi succedentes Episcopos, Scriptores Ecclesiasticos, eorumque libros, subortas in Ecclesia hæreses, Martyrum persecutiones motas, circa disciplinam Ecclesiæ controversias, tumultus ac rixas, omniaque id genus alia in Ecclesia peracta, sed in qua tamen de industria vitat Nicæni Concilii & damnationis Arii mentionem, sed potiùs se Arianæ sectæ fautorem atque patronum, imò & Origenis defensorem exhibet; unde est quòd à Gelasio in Romana 70. Episcoporum Synodo partim approbetur, & partim reprobetur, & apocrypha dicatur Eusebii Cæsariensis historia; approbatur nempe ob singularem rerum notitiam, & reprobatur nedum ob apocrypham quam refert Jesu ad Abgarum epistolam, sed & quia Origenem laudat nimis, & Arianæ sectæ patrocinatur plus quàm nimis. Vide *Nat. Alex. tom.*1. *sæc.* 4.

4. *De*

4. *De vita Constantini libri* 4. in quibus rhetoricè potiùs quàm historicè nedum Constantini vitam & laudes exhibet, sed & alia sub Constantini Imperio in Ecclesia gesta narrat; sunt autem libri isti omnium Eusebii librorum postremi, cùm scripti sint post Constantini Magni Imperatoris obitum, & post Constantinum non longè pòst obierit Eusebius, anno scilicet Christi 340. & Constantinus 22. Maji anno 334. Libris istis adjunxit Eusebius celebrem Constantini Magni ad Sanctorum cœtum orationem, hoc est, ad Christianos, aliamque laudatoriam à se coram ipso Constantino habitam trigesimo ejus Imperii anno. Libri 4. de vita Cōstantini.

5. *Adversus hæresim Hieroclis liber unus*; cùm enim sub Diocletianæ persecutionis initio, Christianorum templa destruerentur ubique, *Hierocles* Nicomediensis vexatis quasi insultans Christianis, duos contra Christi fidem edidit libros *Philalethes* inscriptos, in quibus Christianam Religionem ut deprimeret, inter alia, dicebat Apollonium Tyanæum æquè ac Christum miracula fecisse, cœlosque conscendisse æquè ac illum. Liber unus adversus hæresim Hieroclis.

6. *Adversus Marcellum Ancyranum Episcopum libri* 5. quos, post Tyriam & Jerosolymitanam Synodum, scripsit Eusebius, in quorum prioribus duobus Marcelli hæretici detegit malitiam & errores, exhibens ex propris scriptis ejus eum cum Sabellio sensisse, & Verbum non esse personam subsistentem & à Patre distinctam tenuisse, quos posteà refellit in tribus sequentibus libris aliis, de Theologia Ecclesiastica dictis, *Flacillo*que Antiochiæ Patriarchæ dicatis, & 30. argumentis è Scriptura desumptis Verbum personam subsistentem & à Patre distinctam esse probat. Libri 5. adversus Marcellum Ancyranū.

7. *Chronicon* denique scripsit unum, post editos 15. de præparatione & 20. de demonstratione Euangelica libros, in quo historiæ universalis omnium temporum, omniumque Nationum ab orbe condito ad sua usque tempora, describit compendium, quo Chronico peracto, suam deinde scripsit historiam Ecclesiasticam decem in libros partitam. Vide *Hieron. lib. de Script. Eccl. Socrat. Sozom. Theod. Baron. Bellarm. Biblioth. nov. auct. Eccles. &c.* Chronicon.

Plura Eusebii opuscula circumferuntur alia, ut libellus de locis Hebraicis latinè versus à S. Hieronym. decem Canones de Consonantia quatuor Euangelistarum, expositio in Canticum Cant. & opuscula 14. alia à Patre Sirmundo sub Eusebii nomine Parisiis latinè data anno 1643. Sed hæc & alia, vel dubia, vel non extantia, vel Theologiæ tyronibus inventu difficilia, lubens omitto, & criticis investiganda relinquo; sed interim Et opuscula alia.

Quæres fortè an in Arianismo perseveraverit Eusebius Cæsariensis, etiam post Nicænum Concilium: dico post Nicænum Concilium; nam ante Concilium Nicænum illum Arianum fuisse constat, cùm id non semel sed passim historia doceat Ecclesiastica, & evidenter pateat ex illo primo animi Arianizantis modo, quo non nisi ægrè admodum fidei Nicænæ subscripsit; restitit enim primò, licèt tandem postridie subscripserit, & vocem *Consubstantialis* approbaverit, ut testatur S. Athan. in lib. de Synodi Nicænæ decretis, dicens, *Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ, cùm pridie abnegasset, in eamdem sententiam tamen postridie subscripsit*: Unde de hoc non est quæstio; sed solùm an etiam post Nicænum Concilium Arianis faverit, seu Arianorum tenuerit errores Eusebius, ut eos illum tenuisse censent eruditi non pauci. Eusebii Cæsariensis in Arianismo etiam post Nicænum Conc. perseverantia probatur.

Resp. etiam post Nicænum Concilium, Arianum fuisse Eusebium, idque multipliciter probari posse;

1. Ex scriptis ejus; ille enim qui dicit Filium Dei non coexistere Patri, sed posteriorem esse Patre, ille sine dubio arianizat seu Arianorum tenet errores; Atqui Eusebius Cæsariensis *lib.* 4. *demonstrationis Euangelicæ cap.* 3. id manifestè docet, dum ibi comparans Patrem & Filium cum luce & splendore, ait inter alia: *Rursus splendor simul existit cum luce; hanc enim ille complet, nam sine splendore lux consistere non potest, unde simul cum illo & per illum subsistit; at verò Pater priùs quàm Filius, & ante generationem ejus subsistit*; ergo.

2. Ille qui dicit Filium non esse honore parem cum Patre, ille cum Arianis Filium Patre inferiorem & minorem esse tenet; Atqui Eusebius Cæsarien. *lib.* 2. *de Ecclesiastica Theologia cap.* 7. ut ostendat non sequi duos esse Deos, licèt Filius Dei sit distincta persona, & nominetur Deus, ait, *Neque necesse est eum duos Deos fateri, qui duas admiserit hypostases; nam neque illas honore pares ponimus, neque omnes principio carentes*; ergo ex iis, aliis omissis, satis superque patet ex scriptis Eusebii, Arianum etiam post Nicænum fuisse Eusebium.

3. Id constat ex S. Athanasio, qui *lib. de Synodi Nicænæ contra Arianam hæresim decretis*, expressè eum, etiam post Nicænum Concilium, cum Ario sensisse testatur, dum ait: *Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ cùm pridie abnegasset, in eamdem sententiam tamen postridie subscripsit*; & infrà .... *licèt postmodum Eusebiani mutato animo tanquam canes ad vomitum regressi sint*; & iterùm infrà ..... *cùm igitur Apostolus ita dicat, aut isti Eusebium cum suis sibi non constantem, alia diversaque ab iis, quæ subscriptione approbat, dicentem pro anathemate habeant*: quibus ostenditur Eusebium post Concilium Nicænum in damnata perseverasse Arianorum hæresi.

4. Id etiam manifestè patet ex profundo & affectato Eusebii silentio, quo sua in historia Ecclesiastica post Nicænum Concilium absoluta, profundè silet Nicæni Concilii gesta, ut sic de industria Arianæ sectæ damnationem taceat.

5. Id non minùs patet ex modo illo non minùs suspecto, quo in libris de vita Constantini loquitur tandem de illo præfato Nicæno Concilio primo; de eo enim ita loquitur ut præcipuam & primariam taceat Concilii convocandi causam, damnationem scilicet Arii, & astruendam divinitatem Filii, & causam econtrà minùs principalem & secundariam, quæstionem scilicet de die Paschali celebrando motam fusè recenset; unde est quòd Photius in sua Bibliotheca codice 127. Eusebii libros de vita Constantini recensens, de illo dicat: *De Ariana insuper hæresi nihil manifestè commemorat, neque an Constantinus illi aliquando adhæserit, neque an eam abjecerit, sed neque an rectè, an secùs senserit Arius; tametsi necessitas eum compelleret horum meminisse, quando & magna pars fuit Synodus rerum à Magno Constantino gestarum, & alioquin illa ipsa vicissim postularet exactissimam his de rebus historiam.*

6. Id denique patet ex eo quòd septima Synodus œcumenica actione 5. Eusebii Cæsariensis, ut viri Ariani, rejiciat auctoritatem, & Tharasii Patriarchæ, Epiphaniique testimonia non improbet, quibus Eusebium Arianum fuisse dicebant; ergo ex iis omnibus, eum etiam post Nicænum Concilium, Arianum fuisse constat.

Di-

Dices cum Socrate lib. 2. hist. Eccl. cap. 17. & cum cæteris Eusebium excusantibus aliis : Eusebius Cæsariensis in Concilio Nicæno subscripsit cum Patribus aliis fidei Nicænæ, & Filium Patri consubstantialem asseruit, & in libris contra Marcellum, eum creaturam esse manifestè negat; Ergo Eusebius de Ariana suspectus hæresi dici nequit. Resp. subscripsisse quidem fidei Nicænæ, & Filium Dei Patri consubstantialem, & non creaturam esse asseruisse, sed subdolè, & ita ac in eo sensu, ut tamen non recesserit ab Arianismo; dum enim asseruit cum Patribus aliis Filium Dei consubstantialem esse, ita asseruit & in eo sensu, ut per ly *consubstantialem Patri* intellexerit similem Patri, & nullo modo similem creaturis cæteris, ut ipse expressis explicat verbis in epistola ad suos Cæsarienses è Concilio scripta, in qua inter alia, sic expressè dicit; *Patri consubstantialem esse nihil aliud ostendere quàm Filium Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem, sed unius Patris, qui illum genuit, omninò similem esse*; & pariter dum Filium Dei creaturam esse negavit, non negavit illum esse creaturam absolutè, sed creaturam similem cæteris creaturis, ut constat ex eadem ejus ad suos Cæsarienses epistola, in qua de eodem Dei Filio loquens ait, *Ac propterea eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso factæ sunt, sed præstantioris esse substantiæ, quàm quâ ulla creatura prædita sit* : supponebat enim ille Filium esse à Deo Patre immediatè & proximè productum, & per ipsum deinde cæteras creaturas, & sic Filium creaturam esse tenebat, sed non creaturam similem cæteris creaturis per ipsum productis, sed præstantioris substantiæ, & ante omnes creaturas cæteras esse, ut notat Nat. Alex. Sæc. 4. tom. 2. p. 228. ac proinde etiam post Nicænum Concilium, & fidei Nicænæ subscriptionem adhuc arianizabat Eusebius.

Occurritur Eusebii fautoribus, & objectionibus eorum.

Instabis. Eusebius Cæsariensis ab Ecclesia colitur ut Sanctus die 21. Junii, ut constat ex Martyrologiis variis, præsertim *Usuardi* & *Adonis* Viennensis, nec non ex veteri Mss. Lemovicensis Ecclesiæ Breviario, in quo pro Officio festi S. Eusebii reperiuntur lectiones, quibus asseritur eum aliquando Ariana hæresi laborasse, ad Nicænum Concilium accessisse, Patrum sententiam secutum fuisse, ac deinceps usque ad mortem sanctissimè & in fide orthodoxa vixisse; ergo post Nicænum Concilium Arianus esse desiit, nec deinceps usque ad mortem arianizavit Eusebius.

Resp. neg. ant. Falsum enim est absolutè Eusebium Cæsariensem ab Ecclesia coli ut Sanctum, sed potiùs proscribi ut Arianum, cùm ejus quia Ariani auctoritatem rejiciat Synodus œcumenica septima, actione 5. & Hieronymus insuper Doctor Ecclesiæ sanctissimus, cujus sanctitatem & doctrinam veneratur Ecclesia, illum non Catholicum asserat *lib. 2. contra Ruffinum cap. 4.* dicens, *Vir doctissimus Eusebius, doctissimum dixi, non Catholicum, ne more solito mihi & in hoc calumniam struas, per sex volumina nihil aliud agit nisi ut Origenem suæ ostendat fidei, id est Arianæ perfidiæ.* Quòd si præfati Martyrologiorum scriptores privati, aut nonnullæ Ecclesiæ privatæ illum quandoque agnoverint vel coluerint ut Sanctum, illos auctores & istas privatas Ecclesias in hoc errasse fatendum, sicut olim Turonensis erravit Ecclesia latronem pro Martyre colens, ei dicata ara, quam posteà dirui jussit & everti *S. Martinus*, ut testatur *Sulpicius Severus* in lib. de vita S. Martini cap. 8. factum sic describens : *Erat haud longè ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio velut*

consepultis ibi Martyribus sacraverat; nam & altare ibi à superioribus Episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his qui majores natu erant Presbyteris vel Clericis, flagitabat sibi nomen Martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quòd nihil constans sibi Majorum memoria tradidisset. Cùm aliquandiu ergo à loco illo se abstinuisset, nec derogans Religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret: quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit; deinde super sepulchrum ipsum astans oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad lævam vidit propè assistere umbram sordidam, trucem; imperat nomen meritumque ut loqueretur; nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum; sibi nihil cum Martyribus esse commune, cùm illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant; tum Martinus quid vidisset exposuit, jussitque ex eo loco altare quod ibi fuerat submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. Potuit & similiter errare privata Lemovicensis Ecclesia Eusebium Cæsariensem olim aliquandiu colendo ut Sanctum; potuere pariter errare & præfati Martyrologiorum auctores privati, scribendo fortè Eusebium Cæsariensem loco Eusebii Samosateni fidei defensoris inclyti, qui eodem sæculo, hoc est an. 378. in Oriente Dolicæ in odium fidei ab Ariana muliere tegula percussus Martyr occubuit. *Vide Theodoret. lib. 4. cap. 13. Gregor. Nazian. epist. 28. Baron. ad an. 360. &c.*

ARTICULUS XVII.

De S. Athanasio. 371.

S. Athanasii patria, dotes, Episcopatus, certamina, exilia, obitus, & scripta, qualia sunt.

SAnctus Athanasius Alexandriæ in Ægypto piis & claris parentibus ortus, ab *Alexandro* Alexandriæ Episcopo primùm ordinatus Alexandrinæ Ecclesiæ diaconus, eoque gradu in Nicæno Concilio Alexandri Episcopi sui comes individuus, & post Alexandrum tandem communi cleri populique voce quartus à *Petro* Martyre Alexandrinus Episcopus, Arianicæ cohortis hostis intrepidus, fidei Catholicæ defensor acerrimus, & Orientalis Ecclesiæ Doctor celeberrimus, fama, re, & vulgari cognomine Magnus, nec immeritò; fuit enim vir nedum ingenii vi, fidei zelo, vitæ sanctitate & eruditione magnus, nedum in prosperis & inter charos & fidos, sed in adversis inter hostium fraudes, insidias, accusationes, calumnias, opprobria, persecutiones & exilia magnus, & in omnibus semper ubique, omnium virtutum complexione tantus, ut de laudibus ejus orationem exordiens *Greg. Nazian.* dicat: *Athanasium laudans, virtutem laudabo; idem enim est illum dicere, quòd virtutem laudibus efferre; quoniam virtutes omnes suo complexu tenebat, vel ut veriùs loquar tenet; Deo etenim omnes vivunt, qui secundùm Deum vixerunt, etiamsi ex hac vita migraverint.* Vixit autem secundùm Deum, si quis alius, magnus Athanasius, qui pro Deo tot angores, calamitates & opprobria tulit, qui pro Filii Dei divinitate propugnanda, tot contra Arianos certamina vicit, qui pro Ecclesia Dei tot itinera,

tot

tot pericula, tot exilia ſubiit; qui ut fidei depoſitum ſibi à Chriſto Deo traditum fideliter cuſtodiret, Alexandriæ per quinque annos in ciſterna latuit, & rurſus ibidem per quatuor menſes in paterno reconditus ſepulchro non comparuit; qui pro fidelibus in fide firmandis, vel infidelibus ad fidem trahendis, tot egregia, ſolida, & erudita ſcripſit opera; qui denique magna pro Eccleſia molitus, magna paſſus, magnis & aſſiduis Arianorum procellis & perſecutionibus jactatus, poſt 46. Epiſcopatus annos meritis clarus & miraculis, ſanctè migravit ad Dominum, Alexandriæ ſub *Valente* Imp. die 2. Maji an. 371. Scripta ejus, quæ ſunt in Arianos vel Arianorum occaſione ferè omnia, ſunt orationes variæ, epiſtolæ vel apologiæ, & inter hæc omnia diverſis editionibus græcè & latinè vulgata, alia ſunt genuina & indubitata Athanaſii opera, & ſuppoſititia vel dubia alia; ea ferè omnia cenſentur genuina à Bellarm. quæ ſunt in duobus prioribus tomis edit. Baſil. relata, & ſuppoſititia vel dubia cætera ferè omnia, quæ in 3. & 4. tomo reperiuntur collecta; unde juxta Bellarm.

Genuina ſancti Athanaſii ſcripta ſunt:

1. *Oratio contra Gentes*, in qua contra Gentium idola ſeu de Gentium in idolis colendis errore fuſè diſſerit, & oſtendit inter alia quàm ſtolidi Gentiles ſint & ſtupidi, quòd Deos plures ſibi ex creaturis effingant; ſeu creaturas varias ut Deos adorent, & Deum verum creaturarum auctorem negligant, non ſecùs ac ſi quis miretur opus aliquod pro opifice; domum v. g. vel navem laudibus extollat, architectum verò domus vel navis deprimat. Oratio contra Gentes.

2. *Oratio de Incarnatione Verbi, ejuſque ad nos corporali adventu*, in quem poſt explicatum in præcedenti Gentilium in colendis idolis errorem, jam contra eoſdem de Incarnatione Verbi, ſeu de noſtra in Chriſtum ſalvatorem fide pauca docet, ne quis illam vilem & nullis rationibus innixam putet, ut perperàm & per calumniam nobis objiciunt Ethnici; unde oratio iſta videtur cum præcedenti eſſe idem contra Gentiles opus, ita ut præcedens ſit hujus operis pars una, iſta verò pars altera; nam in iſta Athanaſius dicit ſe hactenus diſputaſſe contra idola, nunc ſequi, ut diſputet de Incarnatione Verbi; ex quo apparet, ut notat *Bellarminus*, duas iſtas orationes eſſe conjunctas, & unam partem alterius, ſive ambas eſſe ejuſdem operis partes. Oratio de Incarnatione Verbi.

3. *Orationes quatuor contra Arianos*, ad Ægypti & Libyæ Epiſcopos in fide ſana firmandos: cùm enim audiiſſet Athanaſius à quibuſdam fidei orthodoxæ fratribus, nonnullos in unum conveniſſe Arianæ ſectæ viros, & ſcripſiſſe quædam fidei doctrinæ capita ſibi ad placitum conficta, aut potiùs à mendacii patre diabolo ſuggeſta, eoſque ea miſſuros eſſe ad omnes Ægypti Libyæque Præſules, ut his juſſi ſubſcriberent, vel in exilium nolentes abirent, ne ſic metu ſeducti in errorem inducerentur tot orthodoxi Præſules, has conſcripſit orationes ſanctus Doctor, quibus inſtruat eos, & præmuniat. Orationes 4. in Arianos.

In 1. præſertim præmonens eos ut caveant, dicens cum Domino, *Videte ne quis vos ſeducat*, obſervate falſos Prophetas qui venient ad vos, multos in errorem adducent, ne ſequamini eos.

In 2. oſtendens, quòd ſi qui jam per illos ſeducti, dicant nihil mali

dici

dici in sua doctrina ab illis Arianæ sectæ viris, illi seducti sic loquentes & sic de Arianica doctrina sentientes, ostendunt se nec Christianos esse, nec Scripturas legisse, & quid Christianus sit ignorare.

In 3. illud idem iterùm exhibet dicens, quòd si scivissent, & Scripturas legissent, non se ipsos inclusissent in Judæorum infidelitatem, sed percunctando didicissent, quòd Verbum erat in principio, quòd Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, seu Dei Filius, qui est carne factus seu natus in carne, & Filius hominis effectus.

In 4. explicat illud Christi, *Ego in Patre, & Pater in me est*, quo abutebantur Ariani ad suam de Filio Dei confirmandam hæresim, dicentes: *Quomodo iste in illo, ille in isto recipi, aut quomodo omninò potest Pater, cùm sit major, in Filio qui minor sit comprehendi?* in hoc errantes, quòd *Deum arbitrentur corpus esse, nec intelligant quidnam sit verus Deus: nam si cognovissent, non Dominum gloriæ sannis & ludibriis nefariè tractavissent, &c.*

Oratio in hæc Domini verba, *Omnia mihi sunt tradita, &c.*

4. *Oratio sive tractatus* in hæc Domini verba, *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, quæ non intelligentes Arianæ sectæ viri, Eusebius cæterique gregales ejus, impiè in Dominum agebant, dicentes inter alia, *Si omnia illi tradita sunt sub hac voce* omnia, *imperium naturæ intelligentes; fuit ergo quando non habebat hæc omnia: si autem non habebat, non est ex Patre; si enim ex Patre fuisset, habuisset hæc omnia, utpote quia ex ipso Patre esset minimè indignus ut illa acciperet.* At inquit Athanasius, *Ex illo ipso dicto multò magis illorum insania refutabitur: non enim dominatus in res creatas aut imperium naturæ istis vocibus innuitur, sed significatio nonnulla dispensationis denotatur, &c. Similiter dum ajunt, Si omnia tradita sunt Filio, desiit ergo Pater habere eorum potestatem quæ in Filium alienavit, quandoquidem in vicem suam Filium constituit; quippe cùm Pater nihil judicet, omneque judicium dederit Filio: sed obturantur ora loquentium iniquitatem: non enim quia dedit omne judicium Filio suo, ipse dominatu spoliatus est; neque ideò quia dictum, Omnia tradita esse Filio, ipse non præest omnibus; ita enim segregant manifestè unigenitum Dei à Deo, à quo insegregabilis est natura, verbisque illum dirimunt homines insani, qui per impietatem neutiquam intelligunt fieri non posse, ut lux à sole disjungatur, in quo naturaliter consistit, &c.*

Oratio de æterna substantia Filii.

5. *Oratio de æterna substantia Filii & Spiritus sancti cum Deo*, contra Sabellii gregales, in qua mirè exagitat eos, qui unam personam, Verbum cum Patre existere asseverant, ac consequenter cum Spiritu sancto, sicque in divinis unam cum Sabellio admittunt; quos ut impugnet, inter alia sic arguit: *Si igitur unum existimas, cùm reverà duo sint Pater & Filius, quæ tibi cum Ecclesiastica doctrina communio superest? quomodo voces Domini excipies, Ego & Pater*, inquit, *unum sumus*; ac rursum de Patre loquens, *Ab eo*, inquit, *sum, & ille emittit me*; addit & tertium, *Ego rogabo*, inquit, *Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis*. Cùm igitur de se loquitur, *Ego* inquit, cùm de Patre, *Ille* dicit, cùm de Spiritu Sancto, *Alium* subjungit, cur non planæ defectionis & apostasiæ crimen sit negare tria, & solum illum qui ista loquutus est, unum esse dicere? &c.

Oratio de Christo uno.

6. *Oratio* qua *unum esse Christum* ostendit, contra eos, qui duas in Christo hypostases, sive personas in Christo esse voluere, unam scilicet quæ esset carnis sive hominis assumpti, alteram quæ esset Verbi assumentis, seu unam quæ esset persona Filii Dei, alteram filii hominis, ac pro-

inde duas in Christo constituendo subsistentias sive personas, duos constituebant Christos, unum Dei Filium, alterum filium hominis, contra quos sic ait: *Nos autem fratres unum & eumdem illum Deum esse dicimus, in hoc sequentes Apostolos & Prophetas, ac potiùs Evangelio credimus, quàm ut turbidi & incerti salutis, sapientiæ Gentilium humanisque orationibus adhærescamus, unum illum eumdemque Deum confitentes, unam hypostasim & unam personam .... sed homo & filius hominis, est ille qui est Filius Dei, &c.*

7. *Ad Serapionem* Thmueos Ægypti Episcopum epistola, contra eos qui Filium creaturam esse dicunt, scripta, quæ nihil est aliud, quàm brevis epitome eorum, quæ suprà pro Filii astruenda divinitate, contra Arianos disputavit Athanasius, ut ipse fatetur, dicens: *Cæterùm quia ut scribis, nonnulli fratrum postularunt ut ista conciderem in compendium quo in promptu esset quibus paucis responderent eis qui interrogant de fide nostra, & ut refutarent impiè sentientes; feci illud audacter in bona conscientia, ea spe nixus ut si quid in istis omissum esset, tu adimpleres, &c.* Explicat interim ei ea quibus Filium non creaturam, sed verè Deum esse probare possit, & inter alia v. g. ejus omnipotentiam & immutabilitatem; ex eo enim quòd Filius sit omnipotens & immutabilis, eum creaturam esse non posse constat, cùm nulla creatura sit omnipotens & immutabilis. Ad Serapioné Epistola, contra eos qui Christum creaturam esse dicunt.

8. *Ad Serapionem eumdem epistola altera*, contra eos qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt; monitus siquidem per Serapionis literas Athanasius dum in eremo degeret, esse ex Arianis aliquos *qui cùm malè ferant blasphemiam in Filium, ipsi tamen malè sentiunt de Spiritu sancto*, hoc est, qui licèt non patiantur Filium creaturam dici, ipsi tamen Spiritum sanctum creaturam esse dicunt; quos ut argueret, hanc ad eum direxit epistolam, in qua ostendit eos sic de Spiritu sancto impiè sentientes, non loqui congruenter & consequenter ad suam doctrinam, & eorum miratur vecordiam dicens, quòd *cùm Filium Dei creaturam esse nolint, ferre tamen queant Spiritum Filii nominari creaturam: ob Verbi enim cum Patre unitatem, nolunt Filium in numerum creaturarum recenseri, sentiuntque quod & verum est conditorem opificemque esse creaturarum; cur igitur Spiritum sanctum qui habet eamdem unitatem cum Filio, quam Filius habet cum Patre, creaturam dicunt? &c.* Ad Serapionem altera, contra eos qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt.

9. *Ad Jovianum* Imp. Juliani Apostatæ successorem (quem *Jovinianum* vocant nonnulli) *de fide epistola*, per quam respondet Athanasius *Joviano* Imperatori de fide Catholica interroganti, seu quærenti quænam esset Ecclesiæ Catholicæ fides; & ut satisfaciat, non aliam exponit ei fidem quàm Nicænam, hoc est in Nicæna Synodo à 318. Patribus traditam, pro qua tot Sancti martyrium passi, & contra quam Ariani tot certamina moliti fuerant. Ad Jovinianum epistola, de fide catholica.

10. *De Synodi Nicænæ decretis contra Eusebium epistola*; cùm post deprehensam Eusebii calliditatem, & damnatam à Nicæna Synodo Arianicam hæresim obmurmurarent, & conquererentur aliqui, quòd Synodi Patres in exponendis suis decretis usi fuissent vocibus inauditis, novis & in Scriptura nullibi repertis, videlicet istis *substantiæ* & *consubstantialitatis* vocibus, ut responderet eis, hanc scripsit epistolam Athanasius, in qua eos perperam suæ damnationis verba culpare dicit, Synodumque Nicænam congruis verbis atque piis sua exponendo decreta usam fuisse contendit, Ad Eusebium Epistola de Synodi Nicænæ decretis.

addens

addens has voces: *Tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam quam Scripturæ volunt, & hoc ipsum eas sonare apud illos quibus aures ad pietatem sunt integræ & minimè vitiatæ.*

Adversus Arianos de sententia Dionysii epistola.

11. *De sententia Dionysii Alexandrini Episcopi adversus Arianos epistola*: quia Judæos imitabantur Ariani, & sicut Judæi cum Caipha Christum Deum esse negantes, contendebant olim se habere pro se Abraham, dicentes, *Nos patrem Abraham habemus*, ita & Ariani post illos Christi divinitatem impugnantes, se pro sua sententia Dionysium Alexandrinum habere dicebant; sed sicut Judæos de mendacio convicit olim Dominus, dicens, *Hæc Abraham non fecit*, ita hac in epistola de mendacio convincit Arianos Athanasius, ostendens Dionysium Alexandrinum nullatenus fuisse Arianæ doctrinæ fautorem vel suffragatorem, sed potiùs impugnatorem; idque probat ex ipsis allatis Dionysii Alexandrini epistolis.

Ad Antiochenses epistola.

12. *Ad Antiochenses epistola*; quæ non ab Athanasio solo scripta est, sed ab Athanasio & pluribus aliis ejus Coepiscopis, qui ex Italia, Arabia, Ægypto & Libya Alexandriæ cum illo tunc aderant; qui cùm audiissent apud Antiochenses esse plurimos anteà per contentionem à suis Episcopis disgregatos, eosque pacem jam optare, & plurimos item à vecordi Arianorum secta deficientes eam illis communionem affectare, ad hos Antiochenses, hoc est, Antiochenæ provinciæ vel Antiochiæ congregatos scripserunt Episcopos, ut eos omnes qui resilire voluerint, benignè ut patres & magistri recipiant, nihil ampliùs ab his exigentes quàm *ut execrentur Arianorum hæresim, confiteanturque sanctorum Patrum in Nicæa fidem, execrenturque item eos qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, & divisum ex substantia Christi; id enim verè est resilire à scelerata factione Arianorum, si non dividas sanctam Trinitatem, nec dicas aliquid ejus esse creatum ... anathemate quoque inuratur Sabellii & Pauli Samozatensis impietas, Valentini item & Basilidis insania, & Manichæorum stoliditas; quod si fit, omnis apud omnes suspicio delebitur, & sola Catholicæ Ecclesiæ fides pura apparebit, &c.*

Ad Epictetum Corinthiorum Episcopum epistola.

13. *Ad Epictetum Corinthiorum Episcopum epistola* contra hæreticos. Cùm de Filii divinitate disputarent adhuc hæretici nonnulli, etiam post Nicænam Synodum, contra illos hanc scripsit epistolam Athanasius, ad id præsertim impulsus, postquam incidisset in quosdam *Epicteti* Corinthiorum Episcopi commentarios, in quibus dicebatur corpus ex Maria genitum, esse cum Verbi divinitate consubstantiale, quod ut impium & inauditum in Ecclesia fusè refellit Athanasius, hac in epistola ad ipsum Epictetum directa ostendens, *ista nec dictu nec auditu tolerabilia esse apud Christianos, & esse omnibus modis aliena ab Apostolica doctrina, &c.*

Ad Adelphium contra Arianos epistola.

14. *Ad Adelphium Onupheos Episcopum & Confessorem epistola* contra Arianos nonnullos, qui Filium Dei Deum esse antè negantes, jam eum in carne venisse negabant, contra quos sic ad Adelphium ait, *Anteà enim dum abnegarent deitatem unigeniti Filii Dei, simulabant se se quidem vel saltem ejus in carne adventum agnoscere, nunc autem pauxillatim subsidentes subtrahentesque se se, ut homines prorsùs impii, ab ista opinione deficiunt, adeò ut jam ulteriùs neque Deum agnoscant, neque hominem eum factum credant; si enim credidissent, numquam talia locuti fuissent, qualia tua religiositas adversus eos scripto prodidit; tu igitur charissime vir, in refutandis, admonendis, increpandisque hoc genus hominibus officium congruum Ecclesiastica,*

sticæ traditioni, & dignum tua erga Dominum pietate præstitisti; illi enim quia exacerbati à patre diabolo, non cognoscunt neque intelligunt, ut Scriptura ait, sed in tenebris ambulant, discant saltem à tua pietate, suam qua utuntur insaniam, Valentini, Marcionis, & Manichæi esse, &c.

15. *Ad solitariam vitam agentes, sive ad solitarios epistola*, quæ licèt valdè diffusa atque prolixa, ea tamen quæ sunt ab initio ejus usque ad dictionem ἀμὸν, hoc est duæ priores circiter paginæ videntur esse tota ad solitarios epistola, eaque dedicatoria librorum quos contra Arianos scripserat Athanasius; reliqua verò quæ sequuntur à voce αὐτοὶ, usque ad finem, esse fragmentum alterius operis incerti auctoris, ut notant nonnulli & meritò, cùm inter hæc priora & sequentia nulla sit cohærentia, ut legenti patebit. Ad solitarios epistola.

16. *De Synodis Arimini & Seleuciæ epistola*, in qua describens, quòd cùm universale Concilium Nicææ esset indictum, idque expectarent omnes, derepentè Arianorum factione divisio facta est, & alterum promulgatum edictum, quo jussum est, ut Episcopi Occidentales Arimini, quæ est Italiæ, convenirent, Orientales verò Seleuciæ Isauriæ congregati manerent, idque ut ibi, ut ferebatur, de nostra in Christum fide ageretur, narrat posteà quæ in duobus Conciliis illis, Arimini videlicet & Seleuciæ, habitis gesta fuere, ne fortè alii aliter quàm gesta fuerint, vel non gesta, ut gesta narrarent. De Synodis Arimini & Seleuciæ epistola.

17. *Ad Africanos Episcopos epistola*, pro Nicæno Concilio contra Arianos; cùm enim audiisset Athanasius, esse nonnullos Arianicæ factionis viros, qui ut Nicæni Concilii decreta deprimerent & impugnarent, Ariminense Concilium ut auctoritatem habens jactitabant, ne eos audire velint talia mentientes monet Athanasius hac in epistola Africanos Episcopos, docens standum esse in Nicæni Concilii decretis, & ut Arianos habendos esse quicumque ut illud impugnent, aliud quodcumque præferunt, dicens inter alia: *Quis ferat eos, qui Ariminensem, aut ullam Synodum præter Nicænam in ore habent & jactitant, aut quis non odio habeat illos qui quæ Patrum sunt abnegant, recentiora autem Arimini, per vim & contentionem extorta anteponunt? &c.* Ad Africanos Episcopos epistola.

18. *Ad omnes ubique orthodoxos epistola*, scripta ab Athanasio dum sæviret in Orthodoxos Arianica persecutio, in qua compendiosè describens venerabilibus in Africa Præsulibus ea quæ per Arianos patiuntur Orthodoxi, hortatur eos ad commiserationem & zelum pro Ecclesiasticis canonibus & Ecclesiæ fide, dicens: *Obsecro igitur vos ut ita vestros animos moveat rerum indignitas, quasi nos non tantummodò sed ipsi quoque injuriam accepissetis, quo quisque uti lætus opem in commune conferat, ne paulatim Ecclesiastici canones & Ecclesiæ fides corrumpatur, &c. Ob hæc omnia quæso rescribite, & impios condemnate, ut sacerdotes qui hìc sunt, populique orthodoxam vestram Religionem, zelumque vestrum adversùs malos conspicientes, de vestra gaudeant concordi fide, istique scelerum in Ecclesiam auctores vestris literis vel serò errorem suum dedoceantur, & pœnitudine capiantur, &c.* Ad omnes ubique orthodoxos epistola.

19. *Ad Dracontium Episcopatum fugientem epistola*, qua hortatur illum S. Doctor ne Episcopatum, ad quem electus erat, fugeret, ostendens nefas esse eum qui hanc gratiam accepit, in occultum abdi, ne scandalizet alios, dicens: *Vereor ne dum propter te fugis, propter alios sis in periculo apud Dominum; si enim is qui unum ex pusillis istis scandalizat, præoptare sibi potiùs* Ad Dracontium episcopatũ fugientem epistola.

debet

debet molam asinariam collo suo circumdari, & ita demergi, quid de te futurum est existimas, tam multis auctorem scandalorum? primùm enim illa Alexandriæ mira inexpectataque concordia in te deligendo ob tuum discessum necessariò dissipabitur, & Episcopatus hujus loci à multis diripietur, deinde Gentiles qui promiserant se in tui Episcopatus ordinatione Christianos fore, in gentilitate permanebunt, tua pietate vilipendente gratiam functionemque sibi datam. Quamnam igitur excusationem super istis allegabis? quibus verbis istiusmodi culpas abluere vel abstergere poteris? quomodo medeberis per te cadentibus & scandalizatis? &c.

Ad Constantium Imperatorem epistola.

20. *Ad Constantium Imp. apologia*, qua mirum in modum purgat se apud Constantium Athanasius à falsis Arianorum scriptis, fictionibus, accusationibus & calumniis, ostendens ea omnia falsa esse, & in se malitiosè conficta, idque aliis omissis, sola *Ursacii* & *Valentis* pœnitentia probari posse monstrat, dicens: *Quid tantum alii pro testimonio dicere potuerunt, quantum isti duo suis scriptis confitentur, dum ajunt, Mentiti sumus, finximus, & omnia quæ Athanasio objecta fuere, calumnia scatent, &c.*

De fuga sua apologia.

21. *De fuga sua apologia*, qua purgat se Athanasius à conficto timiditatis crimine sibi ab Arianis imposito, eò quòd cùm quæreretur ad mortem fugerit, & se illis ultrò in deditionem non obtulerit; & ostendit eos cum sanctis litteris pugnare, & Sanctorum virtutes calumniari, cùm ex Scripturis manifestè constet eorum qui quæruntur ad necem, fugam non improbatam, sed licitam esse; idque probat ex Scriptura, desumpto multorum Sanctorum exemplo, & potissimùm exemplo *Jacob* à fratre suo Esau fugientis, *Moysis* metu Pharaonis ad Madianitas secedentis, *Davidis* se in spelunca metu Saulis occultantis, *Eliæ* se propter Achab abdentis, *Pauli* à Gentium Præfecto quæsiti, è mœnibus Damasci in sporta ad fugam dimissi, & præcepto denique *Christi* dicentis, *Cùm vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam.*

Contra Arianos apologia altera.

22. *Contra Arianos apologia secunda*; cùm nondum quieti silerent Athanasii hostes Ariani, licèt pluribus in Conciliis de ejus innocentia convicti, vellentque iterùm ejus ad judicium vocare causam, ostendit hac in apologia altera Athanasius, nullo ulteriori suam causam indigere judicio, suamque innocentiam sufficienter fuisse discussam & comprobatam, nedum suorum hostium *Valentis* & *Ursacii* pœnitentium assensu, & confessione, sed & Episcoporum numero quamplurimorum variis in Conciliis suffragio & testimonio, in cujus rei fidem horum literas hìc refert ad longum quàm plurimas.

Supposititia vel dubia.

Vita sancti Antonii.

Censentur reliqua ferè omnia quæ sub S. Athanasii circumferuntur nomine, exceptis vita S. Antonii & Symbolo, quod incipit, *Quicumque vult, &c.* Vitam S. Antonii esse à S. Athanasio scriptam testatur S. Hieronym. in lib. de Script. Eccl. & S. Greg. Nazian. in orat. de laudibus Athan. Symbolum verò fidei S. Athanasii vulgò dictum verè S. Athanasii esse ex mox dicendis infrà patebit. Hìc alia hæc non percurrimus supposititia vel dubia Athanasii scripta, quia dubia & numero multa, sed criticis examinanda relinquimus.

De

De Symbolo S. Athanasii,

cujus initium est: Quicumque vult salvus esse, *&c.*

Præter jam enumerata B. Athanasii Alexandrini Patriarchæ & Ecclesiæ Doctoris opuscula, extat insuper & sub nomine S. Athanasii vulgata, & cantatur in Ecclesia mirabilis illa fidei confessio, quæ incipit: *Quicumque vult salvus esse, &c.* quæque Symbolum S. Athanasii vulgò nominari consuevit, & in qua mirum in modum & breviter exponitur fides Catholica de utroque præcipuo ac capitali Religionis nostræ mysterio, sanctissimæ nempe Trinitatis, & Verbi divini Incarnationis ineffabilis.

Symbolum, *Quicumque vult, &c.* S. Athanasii esse multipliciter probatur.

Verùm de hoc fidei Symbolo sub nomine Athanasii hactenus vulgato, & ubique gentium noto, disputatur tamen hodie an sit genuinus Athanasii fœtus vel non. Sancti Athanasii non esse, variis conjecturis fulti contendunt eruditi non pauci; sed iis non convicti, communi & antiquæ adhærentes opinioni, sancti Athanasii esse propugnant, & tenent communiter alii, idque sic probant,

1. Quia illud S. Athanasii esse antiqua Ecclesiæ traditio suadet; ex antiqua enim Ecclesiæ traditione constat, & ex usu perantiquo patet quomodo Symbolum illud sub nomine S. Athanasii vulgatum in divinis Officiis ad Primam recitandum proponat Ecclesia, idque non faciat Ecclesia sine veterum Patrum testimonio, ut notat Bellarm. lib. de Script. Eccl. & clariùs patebit ex dicendis.

2. Quia Symbolum illud velut genuinum Athanasii scriptum agnoscunt & citant sæpè SS. PP. Gregorius Nazianz. Augustinus, & Thomas Aquinas Doctor Angelicus.

Gregorius quidem Nazianz. dum in oratione de laudibus *Athanasii*, ut laudet *Athanasium*, inter alia dicit, eum *Imperatori donum verè regium & magnificum obtulisse, scriptam nimirum fidei confessionem*, per quam scriptam fidei confessionem intelligi à S. Gregorio Symbolum illud S. Athanasii vulgò dictum, notat expressè *Genebrardus* Facultatis Parisiensis Theologus, Hebraicæ linguæ Professor regius, & Aquensis tandem Archipræsul, in præfatione ad suum hujusce Athanasiani Symboli Commentarium; notat & ipse Operum S. Gregorii è græco in latinum translator, & brevibus, sed eruditis scholiis illustrator Jacobus *Billius* in eremo S. Michaelis Abbas, vir linguarum peritus, & in SS. PP. lectione ritè versatus, qui Parisiis vivere desiit anno 1580.

Sanctus verò Augustinus Symbolum illud S. *Athanasii* esse manifestè declarat, dum tractatu in Psalm. 120. explicans illud, *Per diem sol non uret te*, sic ait: *De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: Filius, inquit, Dei à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus*, quæ sunt expressa S. Athanasii Symboli verba; & iterùm dum lib. 5. de Trin. cap. 8. ista pariter referens ait, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens*, quæ sunt pariter ipsissima Athanasiani Symboli verba; sicut & ista quibus utitur serm. 195. dum ait: *Rogo vos & admoneo, charissimi fratres, ut quicumque vult salvus esse, fidem rectam & Catholicam discat, ut credat Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Deus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus;*

qua-

qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus .... Filius æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, Spiritus verò ab utroque procedens. Insuper & ista quæ adhibet in Enchiridio ad Laurentium cap. 36. dum, ut probet in Christo, duas licèt habente naturas, unicam tamen esse personam; sic à pari cum Athanasio discurrit, dicens: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*

Quòd denique S. Thomas illud idem Symbolum genuinum S. Athanasii fœtum esse sentiat, manifestè constat, ex eo quòd passim expressa ejus Symboli verba sub nomine Athanasii referat & citet, ut v.g. 1. quæst. 10. art. 2. in argum. dum sic ait: *Sed contrà est, quod dicit Athanasius, Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, &c.* & ibid. 1. quæst. 29. art. 3. dum ait similiter: *Sed contrà est illud quod dicitur in Symbolo S. Athanasii, Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, &c.* & iterùm ibid. 1. quæst. 36. art. 2. dum sic loquitur: *Sed contrà est quod dicit Athanasius, Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, &c.* & denique ibid. 1. quæst. 42. art. 1. dum dicit: *Sed contrà est quod Athanasius dicit, quòd tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales;* quibus omnibus Divi Thomæ textibus hujus Symboli verba & sub nomine Athanasii tam expresè citantibus, nihil manifestius dici potest, quo probetur S. Thomam expresè tenuisse Symbolum hoc S. Athanasii esse.

3. Quia Symbolum hoc cujus initium est, *Quicumque vult salvus esse*, sub nomine S. Athanasii citat *Augustodunensis* Ecclesiæ Gallicanæ *Synodus* sub Leodegario Episcopo, & Adeodato Romano Pontifice habita anno Christi 670.

4. Quia Symbolum Athanasio tribuunt summi Pontifices, & præsertim *Gregorius IX.* per suos Legatos ad Græcos, pro Græcorum cum Latinis unione missos, anno 1233. & *Eugenius IV.* an. 1439. in decreto de Armenorum unione, dum eis hoc commendat Symbolum, inter alia dicens: *Sextò compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus, videlicet, Quicumque vult salvus esse;* quod & idem longè antè sua in Ecclesia commendaverat *Hincmarus* insignis Ecclesiæ Remensis Archipræsul, præcipiens circa annum 852. singulis Ecclesiæ ministris, ut discerent explicationem Symboli Apostolorum, Orationis Dominicalis, & Symboli S. Athanasii.

5. Denique & aliis omissis; quia si non Athanasii esset Symbolum istud, sed auctoris Athanasio recentioris, & quinto sæculo scribentis viri, ut volunt adversarii, non de Symbolo illo laudasset Athanasium Gregorius Nazianz. quarto tantùm vivens sæculo; non illud Athanasio tribuisset, nec ejus expressa verba sub nomine Athanasii citasset Augustinus antiquior quocumque quinti sæculi desinentis viro. Atqui Gregorius Nazianz. de Symbolo illo laudat Athanasium, ut visum est, & S. Augustinus illud Athanasio tribuit, ejusque expresa verba citat, ut pariter visum est: Ergo auctoris S. Athanasio recentioris & quinti sæculi desinentis viri nequit esse Symbolum illud; si hoc enim ita esset, numquam Symbolum illud vidisset, nec de illo quid audiisset Augustinus, nec à fortiori Augustino antiquior Gregorius. Ergo debet esse, vel Athanasii, vel alicujus alius auctoris Augustino senioris, vel saltem coævi; sed cujus, amabò, nisi Athanasii, cui illud Gregorius Nazianz. cui illud August. cui illud Thomas Doctor Angelicus, cui illud universa tribuit Ecclesia?

Quòd

Quòd si alicujus alius esset, an *Vigilii* Tapsensis, ut cum Quenelio volunt nonnulli? sed Vigilius ille est quinti sæculi desinentis auctor, ac proinde Augustino recentior; an *Anastasii* Sinaitæ, ut cum Miræo nominis affinitate fortè delusi tenent alii? sed ille nedum Augustino, sed etiam Tapsensi Vigilio recentior, cùm obierit anno Christi 608. an *Anonymi* Galliæ Theologi, ut in sua dissertatione de tribus Symbolis sentire videtur celebris *Gerardus Vossius*? at iste est omnibus illis longè posterior, cùm supponatur vixisse sub Pipino vel Carolo Magno. An *Vincentii* Lirinensis, ut probare conantur aliqui? sed iste licèt Augustino coætaneus, Augustino tamen paulò recentior, & Gregorio Nazianzeno longè posterior, cùm obierit post annum Christi 440. an denique *Eusebii* Vercellensis, ut suspicantur alii? sed ille erat S. Athanasio coævus, ac proinde non Athanasio recentior, nec quinti sæculi desinentis auctor; & aliunde non est major ratio, imò multò minor, illud Symbolum *Eusebio* tribuendi quàm *Athanasio*, cui illud hactenus universa tribuit Ecclesia. Sed

Et S. Athanasii non esse dicentibus respondetur.

Objicies 1. Si *S. Athanasii* esset Symbolum istud, omni procul dubio citatum esset à *S. Leone* & à Chalcedonensis Concilii Patribus, magnique fuisset ponderis ad resellendam Eutychianorum hæresim de unica in Christo natura; Atqui constat non fuisse citatum à *S. Leone*, nec à Chalcedonensis Concilii Patribus; ergo S. Athanasii esse dici nequit. Resp. 1. ad hoc argumentum quod est adversariorum Achilles, neg. sequelam maj. potuit enim esse S. Athanasii, & non citari à S. Leone, vel à Chalcedonensi Concilio, quia tunc nondum S. Leoni Romæ, nec Chalcedonensi Concilio in Oriente cognitum sub nomine S. Athanasii; apparuit enim primò sine ullo auctoris nomine, & quamvis apparuisset sub nomine S. Athanasii, potuit nondum fuisse visum opusculum illud Leoni Romæ, nec Chalcedonensi Concilio in Oriente; nec id mirum & incredibile videri debet; fatetur enim S. Augustinus jam presbyter & Episcopus ordinatus se Nicænos nondum novisse canones jam à centenis annis & ultrà vulgatos, & à 318. Patribus palam & in generali cœtu congregatis editos atque promulgatos, dum sic ait epist. 110. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno probibitum fuisse nesciebam*. Cur etiam à pari, imò à fortiori, fieri non potuit S. Leonem Romæ, & Chalcedonense Concilium in Oriente, istud nondum novisse opusculum Athanasii, videlicet Symbolum, non palam, nec in generali Patrum cœtu, sed privatim, & à solo S. Athanasio conscriptum, & nullibi promulgatum? Resp. 2. negando pariter sequelam, & sic arguo, & argumentum retorqueo in adversarios. Si ideò Symbolum istud non est legitimum & genuinum S. Athanasii opus, quia non fuit citatum contra Eutychianos à S. Leone, nec à Chalcedonensi Concilio; ergo pariter epistola S. Athanasii ad *Epictetum* Corinthiorum Episcopum contra hæreticos non debet dici genuina, sed supposititia, quia non fuit à S. Leone, nec à Chalcedonensi Concilio contra Eutychianos citata, licèt in ea non minùs quàm in Symbolo isto, Eutychiana rejiciatur hæresis, ut legenti patebit. Atqui hoc non admittunt adversarii, apud quos illa S. Athanasii ad Epictetum Corinthiorum Episcopum epistola habetur pro genuina & legitima, licèt nec à S. Leone, nec à Chalcedonensi in Eutychianos citata; ergo & Symbolum istud ut genuinum & legitimum Athanasii opus admittant, necesse est, licèt nec à S. Leone, nec à Chalcedonensi Concilio contra Eutychianos citatum, cùm par sit utrinque ratio.

Instabis. Quidquid sit de aliis Athanasii operibus, non est credibile, Symbolum istud, *Quicumque vult salvus esse, &c.* esse genuinum S. Athanasii opus, in quo refutantur hæreses, quæ tempore S. Athanasii nondum erant exortæ; Atqui eo in Symbolo duæ refutantur hæreses, quæ tempore S. Athanasii nondum erant exortæ, videlicet hæresis Nestoriana de duabus in Christo personis, & hæresis Eutychiana de unica in eodem Christo natura; ergo non est credibile, Symbolum illud genuinum esse S Athanasii opus. Resp. 1. neg. maj. quia ut iterùm retorqueam, tam credibile est, Symbolum hoc genuinum esse S. Athanasii opus, licèt in eo hæ duæ refellantur hæreses, quàm sit credibile tractatum sive orationem S. Athanasii de Incarnatione Verbi Dei, esse genuinum S. Athanasii opus, cùm in ista oratione de Incarnatione Verbi Dei contra Paulum Samozatenum, æquè refutentur hæ duæ præfatæ hæreses ac in Symbolo, *Quicumque vult salvus esse, &c.* in ea enim oratione sic expressè legitur, *Homo verò una persona & unum animal est, ex spiritu & carne, ad cujus similitudinem intelligendum est, Christum unam non duas personas esse* . . . & infrà . . . . *Nos igitur Dominum nostrum spiritu quidem esse Deum, carne verò hominem esse confitemur*; quo nihil expressius pro una in Christo persona contra Nestorium, nec clarius pro duabus in Christo naturis contra Eutychen dici posset; Atqui nedum ut credibile, sed ut certum conceditur ab adversariis istam S. Athanasii orationem de Incarnatione Verbi Dei contra Paulum Samozatensem, genuinum esse S. Athanasii opus; ergo & credibile esse fateri debent Symbolum istud, *Quicumque vult salvus esse, &c.* genuinum esse S. Athanasii opus, licèt in eo duæ præfatæ refutentur hæreses.

Resp. 2. neg. maj. absolutè. Non enim sequitur Symbolum illud non esse genuinum Athanasii opus; ex eo quòd in eo refellantur hæreses aliquæ tempore S. Athanasii nondum exortæ; ratio est 1. quia non tantùm & præcisè hoc conscripsit S. Athanasius Symbolum, ut jam exortas suo tempore refelleret hæreses, sed ut fidem Catholicam ad præcavendas futuras exponeret, & manifestaret; unde non hæresum refutatio, sed fidei manifestatio vocatur Symbolum istud à S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. ad 5. ubi sic ait, *Ad tertium dicendum, quòd Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ, ut ex ipso loquendi modo apparet: sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate summi Pontificis est recepta, ut quasi fidei regula habeatur*. Contra quam fidei regulam sive manifestationem, si deinde post S. Athanasium, quædam exortæ sint hæreses, ut v. g. duæ præfatæ, non mirum videri debet, si in ea fidei regula Athanasii sive Symbolo inveniantur jam refutatæ, licèt nondum exortæ tempore S. Athanasii. 2. Quia sic passim ex scriptis SS. Patrum variæ refelluntur hæreses, quæ tamen ortæ nondum erant quando illi veteres scripsere Patres, nec tamen ullus ideò negat hæc scripta esse illorum Patrum genuina; sic v. g. hæresis Berengarii corporis Christi præsentiam in Eucharistia negantis refellitur ex illo S. Hilarii lib. 8. de Trin. dicentis, *De veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus*; & ex illo S. Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. dicentis, *Panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*; & denique aliis omissis ex illo S. Aug. Conc. 1. in Psal. 33. ubi sic ait, *Ferebatur Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis*:

ex

ex iis enim aliis omissis SS. Patrum textibus manifestè probatur realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, ac consequenter refellitur *Berengarii* illam impiè negantis hæresis, quæ tamen nondum erat illorum SS. Patrum temporibus orta; nec de *Berengario* longè pòst venturo quid cogitarunt illi, quando hæc scripsere sancti Patres *Hilarius*, *Ambrosius* & *Augustinus* : nec tamen ullus est, qui dicat hos citatos illorum Sanctorum libros non esse genuinos illorum sanctorum Patrum fœtus. Sic pariter ex SS. PP. refutatur v. g. hæresis illa *Calvini*, qua docet 4. inst. cap. 16. num. 24. fidelium filios baptismo non indigere, sed nasci sanctos ex utero materno; hæc inquam hæresis licèt sufficienter & manifestè damnata ex illo Christi Joan. cap. 3. verf. 4. dicentis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* refutatur insuper tum ex S. Hieron. epist. 7. ad *Lætam* dicente, *Fiunt, non nascuntur Christiani*; tum ex S. August. lib. 4. de anima & ejus origine cap. 9. sic loquente, *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*. Ex quibus, ut patet, manifestè probatur, nullum hominum esse, qui non egeat baptismo, ut ab originalis peccati labe mundetur, ac proinde nullum ex utero nasci sanctum ac mundum, sicque proinde ex his, hæc Calviniana refellitur hæresis, quæ tamen nondum erat exorta, nec de *Calvino*, post annos supra mille circiter centenos futuro cogitabant, quando hæc scripsere, *Hieronymus* & *Augustinus*; nec est aliquis qui inde concludat, hos citatos Hieronymi vel Augustini textus, vel libros, non esse genuinos, sed suppositítios; perperam ergo concludunt adversarii, Symbolum S. Athanasii nomine vulgatum, genuinum non esse S. Athanasii scriptum, ex eo quòd in eo refutatæ inveniantur hæreses aliquæ, nondum S. Athanasii temporibus ortæ.

Objicies 2. Qui Symbolum illud S. Athanasio tribuunt, non conveniunt de loco, nec de tempore, quibus illud ediderit; ergo illud ei perperam tribuunt. Resp. perm. ant. neg. conseq. Quia nihil ad rei veritatem confert, eos convenire de loco, vel tempore, quibus ediderit, modò edidisse conveniant: non enim conveniunt Doctores de loco, nec de tempore, quibus suum fidei Symbolum ediderint Apostoli; & tamen ab Apostolis editum esse, ita certum est, licèt non sit de fide, ut id audeat negare Doctor Catholicus nemo: & sic esto, non conveniant illi de loco, vel de tempore, quibus suum fidei Symbolum ediderit Athanasius, modò ab Athanasio editum esse conveniant.

Instabis. Nullus Auctor Athanasio coævus, aut coævis vicinus meminit usquam illius prætensi Athanasiani Symboli; ergo perperam conveniunt, & tenent, ab Athanasio editum. Resp. 1. perm. ant. neg. conseq. quia licèt nullus Apostolis coævus, aut coævis vicinus meminerit Symboli Apostolici, aut dixerit illud ab Apostolis editum esse, non sequitur Symbolum illud, verè Apostolicum non esse. Ergo, &c. Resp. 2. neg. ant. Quod falsum esse manifestè patet ex SS. Greg. Nazianz. & August. textibus suprà laudatis.

Urgebis. S. Hieronym. *in catalog. de Script. Ecclesiast.* recensens ex professo omnia S. Athanasii opera, nihil omninò dicit, sed profundè silet de hoc prætenso Athanasiano Symbolo: non siluisset autem, si verè Athanasii esset opus; ergo de illo Symbolo non sunt censendi loqui SS. Greg. Nazianz. & August. Resp. perm. ant. neg. conseq. Nam *S. Lucas*, in suo

Actuum Apostolorum libro, recensens ex professo omnia Apostolorum gesta, nihil omninò dicit, sed profundè silet de Symbolo Apostolorum; nullus tamen inde concludit Catholicus, hoc fidei Symbolum Apostolorum vulgò dictum, verè Apostolorum non esse; ergo nec debet ex S. Hieron. silentio, de Athanasiano Symbolo concludere, Symbolum hoc Athanasii non esse: præsertim cùm illud sub nomine Athanasii recitandum proponat Ecclesia. Resp. 2. falsum esse, quòd ibi sanctus Hieronymus omnia recenseat sancti Athanasii opera, ut manifestè patet ex ipso Hieron. ibi, post varia recensita Athanasii opera, sic concludente, & dicente, *Et multa alia quæ enumerare longum est*. Vide *Greg. Nazianz. in orat. de laudibus Athan. Hieron. in catal. Hilarium, Augustin. Socrat. Trithem. Bellarm. &c.*

ARTICULUS XVIII.

De utroque Hilario, Pictaviensi, & Arelatensi.

Celebres isti duo Sancti, Hilarii nomine clari, & ambo natione Galli, quorum unus in Aquitania, & alter in Provincia Provinciæ claruit, hic simul ut clareant & innotescant, simul depinguntur à nobis, sua cuique tribuendo merita, & opera.

De Hilario Pictaviensi. 369.

S. Hilarii Pictaviensis patria, dotes, & scripta, quæ sunt.

Sanctus Hilarius, natione Gallus, & juxta Fortunatum, lib. 1. vitæ S. Hilarii, *inter Gallicanas familias lampade nobilitatis non obscurus*, in Aquitania Pictavis oriundus, & Pictavii patriæ suæ tandem Episcopus, magni Athanasii coævus, qui ætate licèt provecta, ad Christum conversus, brevì tamen ita magnus, & insignis Ecclesiæ Doctor evasit, ut de illo reperiatur illud celebre dictum:

Pictavis Hilario multùm radiata magistro.

Quem, modò *Latini sermonis tubam*, modò *Latinæ eloquentiæ Rhodanum*, modò *sui temporis Confessorem* vocat Hieron. Quem *Ecclesiæ Catholicæ defensorem* dicit Augustinus, quem Synodus Ephesina prima, & alia deinceps mirificè coluere Concilia; cujus scripta ita ab omni erroris suspicione pura, ut *inoffenso pede percurri posse*, scribat idem Hieronymus ad *Lætam*; qui denique pro fide Catholica è Synodo Biterrensi, factione *Saturnini* Arelatensis Episcopi, & Arianæ sectæ viri, in Phrygiam exul relegatus, anno Christi 356. tandemque ab exilio, & è multiplici alio cum hæreticis prælio, in Galliam reversus, Pictavii feliciter obiit, Idibus Januarii, anno Christi *369.* relictis doctis, & egregiis in Ecclesia scriptis, qualia sunt, S. Hieron. teste, præcipua ista,

Scripta S. Hilarii Pictaviensis.

De Trinitate libri 12.

1. *Libri 12. de Trinitate*, anno 356. inchoati, & ita in Arianos, licèt non nominatos, digesti, ut

Pri-

Primus liber ſit totius operis quaſi ſynopſis, & proœmium.

Secundus verò, de ſanctiſſimæ Trinitatis veritate generatim, & de ſingularum perſonarum dignitate, & officio nominatim diſſerat.

Tertius hæc Chriſti verba, ***Ego in Patre, & Pater in me eſt***, ſupra rationis humanæ captum eſſe monſtrans, & de Patre & Filio luculenter explicans, æternam Verbi generationem aſtruat.

Quartus hæreticorum exponit de Chriſto doctrinam, allatiſque variis Scripturæ teſtimoniis contra eos, Filium Patri ὁμοούσιον eſſe, ac ſemper fuiſſe probet.

Quintus contra eoſdem hæreticos, qui ut Filio divinitatem eriperent, unum Deum ſolum eſſe ex Lege probabant, oſtendit Patrem & Filium, unum eſſe in diſtinctis perſonis Deum.

Sextus impias hæreticorum fraudes, & voces, ***Valentini*** ſcilicet & ***Sabellii, Manichæi*** & ***Hierarchæ*** aperit & carpit, Chriſtumque Dei Filium, non adoptivum, ſed naturalem eſſe demonſtrat, teſtimonio multiplici, videlicet Patris æterni, ipſiuſque Filii, Apoſtolorum, & nominatim Petri, Pauli, & Joannis, Marthæ, cæci nati, Dæmonum, Judæorum quorumdam, ac denique Gentium confeſſione.

Septimus ***Sabellium*** & ***Ebionem*** impugnat, eorumque inter ſe diverſas perfidiæ quæſtiones aperiens, & veram fidei noſtræ doctrinam explicans, Chriſtum verè Deum eſſe demonſtrat, ex eo quòd illi Dei nomen ſit, nativitas ex Deo, divina tum natura, tum poteſtas, ac denique ex eo quòd ſe Deum profiteatur.

Octavus totus eſt in demonſtrando, Patrem & Filium in diſtinctis perſonis unum eſſe Deum, non unitate concordiæ tantùm, ſed unitate naturæ, ut ſic refellat Arianos, perperam explicantes illud Chriſti: ***Ego & Pater unum ſumus***, de unitate concordiæ voluntatis.

Nonus omnia refellit ab Arianis in naturalem Patris & Filii unitatem objecta.

Decimus pugnat contra eos, qui in Chriſto nullam fuiſſe dicunt ſubſtantiam, ſive naturam, quæ non in paſſione doluerit, quæve ab eſurie, ſiti, triſtitia, & timore fuerit aliena.

Undecimus hæreticorum objecta diluit, ex his petita Chriſti verbis: ***Aſcendo ad Patrem meum***, oſtendens ea à Chriſto prolata fuiſſe, non de divina, ſed de humana natura, qua fratres habet, & ſubjectionem Chriſti ad Patrem, non ſervitutem, ſed diſpenſationem ſonare, ac tandem Patrem & Filium ab æterno ante omnia eſſe, & Filium ſic ex Patre natum, ut ſemper & ab æterno fuerit ante omnia.

Duodecimus denique liber totus eſt in tuenda æterna Chriſti nativitate, diluens hæreticorum objecta ex his Scripturæ textibus petita. 1. ***Deus creavit me initio viarum ſuarum***. 2. ***Non fuit antequam naſceretur***. 3. ***De non extantibus factus eſt***.

2. ***Liber de Synodis*** ſcriptus, dum in Phrygia exularet Hilarius; qui per literas rogatus à Galliæ Epiſcopis, quid Orientales in fidei profeſſionibus gerant, aut geſſerint, quidve ſuper omnibus eorum dictis ipſe ſentiret, ad eos hunc reſcripſit librum, in quo gratulans eis primò de illorum illæſa & conſtanti fide, refert poſteà Sirmienſis Synodi blaſphemam fidei formulam, ei opponens quas ediderant fidei definitiones contra ***Anomæos*** in Ancyrana Synodo congregati Orientales. Deinde fidei formulas recenſet omnes diverſis temporibus, Synodiſque variis editas, Liber de Synodis.

post Nicænam Synodum; ut v. g. illam quæ in *Antiochena* Synodo, anno 341. illam quæ in *Pseudo-Sardicensi* 347. & illam quæ in *Sirmiensi*, anno 357. unde librum hunc inscripsit, *de Synodis*. Cui titulo sapienter addidere eruditi Congreg. S. Mauri Monachi, seu *de fide Orientalium*, cùm illarum Synodorum gesta referens liber ille exhibeat quæ fuerit Orientalium fides.

Epistola ad Abram filiam.

3. *Epistola ad Abram* filiam missa, in qua puellam dolentem patris absentiam, & de connubio ineundo cum oblato eleganti juvene, solicitam, verbis ad captum & sexum congruis, à vanis sæculi pompis, ac deliciis, conatur avertere, ut eam cœlesti Sponso præparet, mittitque cum epistola Hymnum matutinum, & serotinum alterum, quamvis solus supersit matutinus.

Libri duo ad Constantium.

4. *Libri duo ad Constantium*, quorum primus est ad commendandam Constantio fidei libertatem, & deprecandum ne ad veram fidem, vim eam quam Ariani per tormenta Catholicis inserebant, adhiberi sinat; secundus est ad audientiam Regis petendam, ut de fide coram Synodo, & Saturnino exilii sui auctore disputet, fidem ex Scripturis ostensurum promittens.

Liber contra Constantium.

5. *Liber contra Constantium*, in quo præmissa exhortatione ad certandum pro fide, & sui t. n vehementer loquendi modi rationibus allatis, 1. persecutionem describit à Constantio motam, ab Arelatensi usque ad Ariminense Concilium. 2. Gesta attingit Synodi Seleuciensis, ejusque fidem confutat. 3. Arianorum, ipsiusque Constantii inconstantiam in fide tangit, & tandem Patris naturam, & Filii nativitatem æternam, humanæ mentis captum superare declarat.

Liber contra Auxentium.

6. *Liber contra Auxentium*, quo Hilarius Catholicos monet de suis, cum *Auxentio*, Mediolani gestis; est reipsa epistola ad Catholicos, contra Arianos, sed nominatim contra Auxentium.

Objicies 1. S. Hilarius, lib. 10. de Trinit. dixit, Christum omnis doloris sensus fuisse expertem, ac proinde nullum sensisse dolorem: ergo & in hoc erravit S. Hilarius, vel S. Hilarii non est liber ille. Resp. errorem ibi nullum esse, cùm de Christo ut Deo, non de Christo ut homine, loquatur Hilarius; agit enim contra Arianos, Christum Dominum Deum esse negantes, utpote quia doloribus, aliisque passionibus obnoxium; quos ut refellat Hilarius, Christum ut Deum, seu ratione divinitatis, doloris expertem affirmat, licèt ut hominem, seu ratione humanitatis, doloribus obnoxium esse teneat, ut constat ex ejus commentario in Psalmum 68.

Objicies 2. Hilarium dixisse cap. 33. in Matth. non solùm animam, sed etiam & divinitatem à corpore Christi morientis recessisse, ideòque Christum in Cruce morientem exclamasse: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quod tamen est contra vulgatum illud & celebre Theologorum effatum, *Quod semel Verbum assumpsit, numquam dimisit*. Ergo & in hoc errasse Hilarium, vel hoc opus illi falsò tribui. Resp. Hilarium aliosque Patres simili phrasi usos, explicandos cum D. Thoma 3. parte, quæst. 50. art. 2. ad 1. *quòd nempe derelictio illa non est referenda ad solutionem unionis personalis; sed ad hoc, quòd Deus Pater eum exposuit passioni. Unde derelinquere, ibi non est aliud, quàm non protegere à persequentibus. Vel dicit se derelictum quantùm ad illam Orationem, qua dixerat*: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, *ut August. exponit in libro de Gratia novi Testamenti*.

Obji-

Objicies 3. Hilarium ibid. cap. 4. in Matth. tenuisse matrimonium ob alterius conjugis fornicationem posse dissolvi; ergo, &c. Resp. perm. ant. neg. conseq. 1. Quia tunc nondum satis discussa erat, nec sufficienter eliquata de indissolubilitate matrimonii doctrina. 2. Quia de sola dissolutione, sive separatione quoad thorum perpetua loquitur Hilarius ibi, non verò de separatione quoad vinculum; separatio autem quoad thorum perpetua ob solam fornicationis causam fieri potest; temporanea verò etiam ob alias causas, interdum licita, sed quoad vinculum separatio nusquam licita; sunt & alia plura in Hilarium notata, quæ lubenter omitto, quia vel fidei substantiam non tangunt, vel quia explicari solvique facilia. Vide *S. Hilarii opera recenter Parisiis in lucem data, anno 1693. studio & labore Monachorum Congreg. sancti Mauri.*

De Hilario Arelatensi. 441.

Sanctus Hilarius Arelatensis, natione pariter Gallus, parentum origine clarus, & professione Cœnobii Lirinensis insulæ sub *S. Honorato* monachus, tandemque post Honoratum Arelatensem Episcopum, ordinatus & ipse Arelatensis Episcopus, *SS. Leonis Magni*, & *Augustini* coætaneus, vir, juxta sanctum Eucherium, clarus eloquio, clarus ingenio, præferens annis juvenem, & moribus senem, tantique nominis habitus in Gallia, ut suum post obitum dici meruerit: S. Hilarii Arelatensis patria, dotes, & scripta quæ sunt.

Hilarius, cui palma dedit & vivere Christus,
Contemnens fragilem terreni corporis usum,
Perpetuis cœlum donis terrestribus emit,
Gemma Sacerdotum, plebisque orbisque magister.

Cui suum olim *de laude eremi* tractatum dicavit S. Encherius Lugdunensis Episc. quique scripsit & ipse inter alia, præsertim ista,

1. *Vitam S. Honorati*, Lirinensis insulæ cultoris primi, Arelatensisque posteà, post Patroclum, Episcopi, prædecessorisque sui. Vita S. Honorati, expositio Symboli, homiliæ, & epistolæ variæ.
2. *Homilias varias* pro totius anni festivitatibus.
3. *Expositionem Symboli.*
4. *Epistolas varias ad Germanum contra hæreses.*
5. Scripsit & ad Leonem summum Pontificem heroico carmine *historiam Geneseos*, à primo capite usque ad septimum.
6. Addunt nonnulli eum scripsisse *Epistolam unam de prædestinatione ad S. Augustinum, contra Pelagianos*; cujus occasione, S. Augustinum scripsisse contendunt libros de *Prædestinatione SS.* & de *Bono perseverantiæ*; sed de hac Hilarii Arelatensis ad sanctum Augustinum epistola, non conveniunt eruditi, illam alterius Hilarii, sanctique Augustini discipuli fœtum esse docentes: Hilarium autem Arelatensem, ab Hilario Augustini discipulo longè diversum esse colligitur;

1. Ex eo quòd S. Prosper de eadem re cum *Hilario* ad *Augustinum* scribens, dicat Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum; Hilarius verò, qui scribit ad Augustinum, se tunc Laicum fuisse significat. 2. Ex eo quòd Hilarius ille ad Augustinum scribens, se in Africa Augustini discipulum fuisse testatur hac in epistola; Hilarium verò Arelatensem nusquam in Africa fuisse constat, & obiisse in Gallia meritis clarum, an-

no Christi 449. cujus vitam scripsit *S. Honoratus Massiliensis Episcopus*, sicut & Hilarius ipse descripserat S. Honorati Arelatensis Episcopi vitam. Vide *Gennad. de viris illust. cap. 69. & 99. S. Prosperum in Chron. Baron. in Martyrol. & Annal. Bellarm. de Script. Eccles. Claudium Robert. in Gallia Christiana.*

ARTICULUS XIX.

De S. Basilio Magno. 378.

S. Basilii patria, parentes, studia, professio, gesta, obitus, & scripta qualia sunt.

SAnctus Basilius Magnus*, insignis Ecclesiæ pater, natione Græcus, & regione Ponticus, parentibus antiqua nobilitate claris, Basilio scilicet patre & *Emmelia* matre genitus, anno circiter Christi 328. frater *SS. Gregorii* Nysseni & *Petri* Sebastæ Præsulum, aliorumque duorum monasticæ vitæ professorum, quorum uni natu maximo *Naucratii* nomen erat, nec non *S. Macrinæ* Virginis & monasterii Virginum præpositæ clarissimæ; fuit S. Gregorii Nazianzeni Athenis & in eremo socius individuus, & amicus, Græcorumque Monachorum in Oriente parens sanctissimus; non quidem ut Ordinis institutor, sed ut moderator & rector, tum quatenus Cœnobitis jam in Oriente degentibus vitæ monasticæ regulas præscripsit, tum quia simul cum illis in Ponticæ regionis eremo convixit per aliquot annos, per quinque nimirum annos, ut volunt aliqui, hoc est, ab anno 357. ad annum usque 362. quo post Eusebii decessum Cæsareæ Cappadocum ordinatur Episcopus vir ille dictus non immeritò Magnus, sed Maximi dignior cognomine, quem viri laudarunt numero multi & nominatim *S. Ephrem, S. Amphilochius, S. Greg. Nyssenus, S. Greg. Nazianz.* & alii quique: ab Imperatoribus, ab hæreticis, ab aliis, à se ipso multa passus, suoque in corpore continuis ferè morbis dirisque doloribus afflictus, tandem post varios labores, & post libros editos pro Ecclesia varios tam pro firmanda fidei veritate contra Eunomianos, Sabellianos & Arianos, quàm pro componenda Clericorum, Monachorum, Virginum, Laicorumque vita & morum disciplina, è terris in cœlum feliciter migravit, vitamque mortalem sanctissimè clausit his Domini verbis, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, die 1. Januarii an. Christi 378. cujus festum colitur in Ecclesia Latina die 14. Junii, quo ordinatus est Episcopus; & cujus scripta diversis temporibus editione diversa fuere vulgata, ut Antverpiensi, Basileensi & Parisiensi, & pro editione varia in varios tomos distributa, inter quæ præcipua sunt ista.

Scripta S. Basilii.

Homiliæ in Hexaemeron & Psalmos, & de variis argumentis variæ.

1. *Homiliæ* variæ feruntur editæ à S. Basilio, inter quas sunt primò homiliæ 11. in Hexaemeron, seu historiam de opificio sex dierum, (licèt novem duntaxat esse dicat S. Hieronym. in cat. Script. Eccl.) sed hoc dicit Hieron. quia ut advertit Bellarminus in suo de Script. Eccl. libro, quia Basilius initio quidem novem tantùm scripserat homilias in Hexaem. sed posteà duas edidit alias, ut explanationem divinæ Scripturæ de opere sex dierum absolveret. 2. Homiliæ 17. in Psalmos non quidem in omnes, sed in aliquos tantùm, licèt *homilia* 1. sit quasi prooemium in Psalmos Davidicos

dicos omnes, seu in totum Psalterium, de quo sic ait: *Quid porrò non hinc possis edoceri? nonne fortitudinis magnificentiam? nonne exactam severitatem justitiæ? nonne temperantiam vel ipso aspectu venerabilem? nonne absolutam perfectionem prudentiæ? nonne pœnitentiæ formulam? nonne modum patientiæ? nonne denique quidquid dicere possis de genere bonorum? in hoc sanè reconditus est perfectæ Theologiæ thesaurus, hic reperies de Christi in carnem adventu oraculum, comminationem judicii, resurrectionis spem, terrorem intentati supplicii, gloriæ promissionem, revelationem mysteriorum; in Psalmorum libro perinde ac in amplissimo quopiam & communi promptuario nihil non bonorum reconditum est.* 3. Homiliæ de argumentis aliis 81. in quibus omnibus mira traduntur vitæ Christianæ, pietatis, aliarumque virtutum documenta, interdum & exempla.

2. *Adversus Eunomium libri* 5. in quorum 1. impias refellens Eunomii blasphemias, Filium in divinis Patri æqualem & consubstantialem esse probat. Adversus Eunomium libri 5.

In 2. contra eumdem hæreticum differens, quòd Filius in divinis non sit factura, nec Patre duratione posterior, ostendit.

In 3. qui est de Spiritu Sancto, docet quòd licèt Spiritus sit in divinis dignitate & ordine tertius, quia est à Patre & Filio; non tamen est tertius natura, quia non est diversæ, sed ejusdem cum Patre & Filio naturæ.

In 4. de multis Scripturæ locis per Eunomium allatis & perperam intellectis agit, eaque fusiùs confutat *Basilius*, ut sibi proposuerat in præcedentibus libris.

In 5. denique libro prioribus adjuncto iterùm de Spiritu contra eumdem agit, ostendens quòd Spiritus Sanctus non sit creatura, sed creator, & ejusdem cum Patre & Filio potestatis ac naturæ.

3. *Contra Sabellianos, Arianos & Anomœos* liber unus, sive oratio una vel homilia, qua mirum in modum confutat horum hæreticorum blasphemias, & contra eos Deum Unum in natura & Trinum in personis ex Scriptura probat, dicens inter alia: *Audi Anomœe: Ego & Pater unum sumus; audi & tu Sabelli: Ego exivi à Patre, & ad ipsum vado: uterque vulneri suo ex Euangelii doctrina remedium sumat, & tu quidem unitatem ad tenendam naturæ indifferentiam tunc collige; tu verò ex eo quòd dicit, Exivi à Patre & ad ipsum vado, differentiam personarum disce, &c.* Contra Sabellianos, Arianos & Anomœos liber unus.

4. *Adversus eos qui calumniantur nos quòd tres Deos colamus*, oratio alia, sive homilia qua illos increpans & calumniam refellens sic ait: *Hæc enim sunt non timentium Dominum verba, aperientium contra nos os, velut nos tres Deos proferamus; non sum pusillanimis ad hos refellendos, sed expecto judicium Christi, istinc contra nos sistentur, qui hanc calumniam consuerunt. Novit Dominus suos, & qui calumniatur pauperem, exasperat eum qui fecit ipsum. Si Patrum fidem persequor, cur omissis Patribus me bello impetis? si credo in Patrem, si confiteor Filium, si non reprobo Spiritum Sanctum, si qui Trinitatem confitetur, tres Deos nominat, ignominia afficit baptismum, & impugnat fidem, cur mea persona supposita Dominum bello impetis? quis reliquit baptizare in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti, ego aut Dominus? &c.* Adversus eos, qui calumniantur nos, quòd tres Deos colamus, oratio.

5. *De Baptismo libri duo*, in quibus docetur de quibus instruendi sunt venientes ad baptismum, & quomodo baptizetur aliquis baptismo, qui est in Euangelio Domini; ostenditurque inter alia plura, quòd qui per baptismum regeneratus est, participatione divinorum mysteriorum deinceps nutriri debeat, &c. De Baptismo libri duo.

6. De

De vera Virginitate liber unus.

6. *De vera Virginitate* ad Letoium Mitilensem Episcopum liber, in quo non tam Virginitatis laudes, quàm quid sit vera Virginitas, & qua ratione ad veram conferat virtutem, ostendit. Qui liber licèt præcepta contineat sanctissima & laudetur à *Suida*, ut genuinus S. Basilii fœtus; Basilii tamen non esse creditur à nonnullis, tum quia multa continet, quæ non satis congruunt modestiæ pudorique S. Basilii, tum quia inscribitur *Basilii* Episcopi ad *Letoium* Mitilensem Episcopum: at, ut ajunt, decesserat *Letoius* antequam Basilius inauguratus esset Episcopus, & *Otteius* Letoii successor Mitilensem regebat Ecclesiam, dum Cæsareensem ut Episcopus regebat Basilius. Nat. Alex. Sæc. 4. & alii.

De Spiritu Sancto ad Amphilochiu liber.

7. *De Spiritu Sancto* liber ad sanctum Amphilochium Iconii Episcopum, in quo rogatus Basilius ab Amphilochio fusè per 30. capita differit, & varias de Spiritu Sancto quæstiones resolvit, ubi & incidenter cap. 27. mira de Traditione profert.

Ascetica opera varia.

8. *Ascetica Basilii* opera: ad quæ reducuntur regulæ fusiùs disputatæ & regulæ breviores seu compendiosè disputatæ, hoc est libri duo, quorum unus est de regulis fusiùs disputatis, & alter de regulis brevioribus seu compendiosè disputatis. Regulæ autem illæ sive fusiùs disputatæ, sive compendiosè disputatæ, nihil sunt aliud quàm interrogationes sive quæstiones de variis argumentis ad vitæ monasticæ perfectionem spectantibus, per Monachos Orientales Basilio propositæ, & Basilii responsionibus solutæ. Quæ sunt in primo libro sunt numero 55. & dicuntur fusiùs disputatæ sive explicatæ, quia fusiùs propositæ fusiùsque resolutæ sunt quàm aliæ numero 313. quæ sunt in 2. libro, quæque ideò regulæ breviores sive compendiosè disputatæ vocantur, & tam illæ quàm istæ inter Ascetica S. Basilii opera recensentur sicut & *Constitutiones monasticæ*, quibus vitæ regimen præscripsit Basilius tam Cœnobitis in communi viventibus, quàm solitariè degentibus in eremis, imò & sermones *Ascetici* quoscumque scripsit Basilius, nec non & salutare & eruditum opus de laudibus eremi seu de vita solitaria.

Ethica opera plura.

9. *Ethica seu moralia* ejusdem opera, ad quæ pertinent 8. moralium Regulæ, seu liber Moralium 8. complectens regulas quas post expositam in præcedentibus sanam de Patre, Filio & Spiritu Sancto doctrinam, conscripsit *Basilius*, ut doctrinam de moribus exponeret, & in quibus compendiosè præscripsit quæcumque reperiuntur in novo Testamento sparsim variis in locis vel jussa vel prohibita. Illi etiam initio animus erat ex veteri colligere ea quæ fuissent congruere visa, sed quia rogabat eum necessitas flagitantibus majorem in modum fratribus, ut ea quæ promiserat, impleret, ideò has 8. solas ex solo novo Testamento contexuit regulas, quibus præmisit tanquam procemium *librum de judicio*. Ad ista reducuntur plura alia Basilii opuscula moralia, qualis est admonitio ad filium spiritualem mirabilis, qua instruit eum quid sit spiritualis militia, & quibus modis Regi suo cœlesti militare debeat.

Canonicæ ad Amphilochium epistolæ 3.

10. *Canonicæ ad Amphilochium epistolæ 3.* ideò scriptæ & canonicæ dictæ, quia cùm ab Amphilochio Iconiensium Episcopo de variis Ecclesiæ disciplinam spectantibus articulis interrogatus esset Basilius, & ut responderet, ea attentè considerasset, & in memoriam revocasset, quæ audierat à majoribus, illa eadem in capitula, sive canones 85. digessit, & ad Amphilochium non simul, sed successivè, & diversis temporibus, his tribus epistolis misit, quæ ideò, ob canones quos continent, Canonicæ dictæ.

11. Epi-

11. Epiſtolæ aliæ ad alios multæ, videlicet 212. quales ſunt præſertim epiſtolæ variæ ad Gregorium Nazianz. ad Gregorium Nyſſenum fratrem, ad Athanaſium Magnum, ad Ambroſium Mediolan. ad Meletium, ad Euſtathium Sebaſtenum, ad Julianum Imperatorem, & aliæ multæ, quas inter eſt una numero 43. ad Gregorium fratrem Nyſſenum Epiſcopum, in qua differentiam explicat Baſilius, quæ eſt inter οὐσίαν & ὑπόστασιν, contra eos, qui in myſticis dogmatibus enarrandis, nullo diſcerniculo diſtinguunt illa nomina duo, ſicque confundentes οὐσίαν & ὑπόστασιν, confundunt conſequenter eſsentiam & ſubſiſtentiam, ſive perſonam. Epiſtolæ ad alios aliæ.

12. *Liturgia*, ſeu ſacra incruenti Chriſti ſacrificii celebrandi formula, quæ licèt non inveniatur inter alia S. Baſilii opera, memoratur tamen à *S. Proclo* Archiepiſcopo Conſtantinop. in tractatu de traditione divinæ Liturgiæ, qui eſt in 6. tomo Bibl. PP. edit. Lugd. 1677. ubi ſic expreſsè legitur: *Permulti quidem & alii ex eorum numero qui SS. Apoſtolis ſucceſſerunt Paſtores & Doctores Eccleſiæ pietate inſignes, myſticæ Liturgiæ expoſitionem in ſcriptis relictam Eccleſiæ tradiderunt; inter hos verò facilè primum locum obtinent beatus ille Clemens qui Apoſtolorum principis diſcipulus & ejuſdem ſucceſſor ab ipſis ſanctis Apoſtolis declaratus fuit; & D. Jacobus, is cui Eccleſiæ Jeroſolymitanæ adminiſtratio fortè obvenit, ejuſque primus Epiſcopus à ſummo & maximo Pontifice Chriſto Deo noſtro conſtitutus eſt; poſteà verò Baſilius Magnus cùm hominum Liturgiæ prolixitatem faſtidientium, oſcitantium, & propenſionem perſpiceret, (non quòd longam & prolixam eam eſſe ipſe arbitraretur; ſed ut tam audientium quàm unà orantium commodo conſuleret, eorumque ſocordiam ex longioris temporis mora promanantem caſtigaret penituſque tolleret) redactam in Compendium Eccleſiæ recitandam exhibuit*, & infrà: *paulò pòſt, beatus noſter pater Joannes, qui propter aureum eloquentiæ flumen, auream dicitur habere linguam, de ovium ſalute ut paſtorem decet, unicè ſolicitus, rationem imbecillitatis humanæ habens, omnem excuſationis anſam & ſatanicum prætextum radicitus evellere ſtuduit; multa itaque ſuſtulit, brevioremque peragendi modum præſcripſit.* Liturgia S. Baſilii à S. Proclo memorata.

Objicies 1. S. Baſilius in regulis compendioſè diſputatis videtur Traditiones rejicere, dum ait in 1. *Sed quoniam eorum quæ apud nos in uſu ſunt vel rerum vel verborum, alia diſtinctè tradita ſunt in divina Scriptura, alia prætermiſſa: de iis quidem quæ ſcripta ſunt in univerſum, nulli poteſtas permiſſa eſt eorum aliquid vel quæ vetita ſunt facere, vel quæ juſſa prætermittere, cùm Dominus ſemel præceperit ac dixerit, Et obſervabis verbum quod mando tibi hodie, nec addes quidquam, nec minues ab eo ... de iis verò quæ ſilentio involuta ſunt, habemus regulam traditam nobis ab Apoſtolo Paulo, cùm dicit, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, &c.* & tamen S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Traditiones expreſsè defendit, dum ait, *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem, &c.* ergo illæ regulæ compendio diſputatæ non ſunt S. Baſilii, vel ſibi contradicit S. Baſilius. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. Hæ enim regulæ verè ſunt S. Baſilii, nec tamen ſibi contradicit Baſilius, nam dum loco citato Traditiones rejicere videtur, eas reipſa non rejicit, ſed ſolùm eas quæ introducuntur ab hæreticis, quæque ſunt Scripturæ contrariæ, & ſunt de iis quæ nec licent, nec expediunt, nec ædificant. Occurritur objectioni.

Inſta-

Instabis. Illæ regulæ non sapiunt mentem nec doctrinam S. Basilii; cùm in iis discrimen peccati mortalis & venialis negari videatur Reg. 4. & Reg. 293. ubi sic expresse legitur, *Primò quidem scire illud convenit differentiam hanc minorum & majorum nusquam in novo Testamento reperiri, siquidem una est & eadem sententia adversus qualibet peccata, cùm Dominus dixerit, Qui facit peccatum, servus est peccati, &c.* ergo non sunt S. Basilii, vel in iis erravit Basilius. Resp. neg. ant. nam his citatis Basilii verbis negatur duntaxat mortalis & venialis peccati differentia in eo sita, ut peccata mortalia dicantur vitanda & non negligenda, venialia econtrà non vitanda, sed negligenda, qualem admittunt hi, qui majora peccata declinant, minora verò perinde ac si nihil referret, committunt.

Vide *Greg. Nazianz. orat. de laudibus Basilii, Greg. Nyss. in orat. de laudibus ejusdem, Hieronym. in cat. Script. Eccl. cap. 116. Theodoret. hist. lib. 4. cap. 19. Suidam, Baron. Bellarm. Possev. Hermant, &c.*

ARTICULUS XX.

De SS. Optato, Ephremo, Paciano, Amphilochio, & Phœbadio.

INter Ecclesiæ Patres, sicut inter Prophetas, singulos licèt suo merito magnos, alii tamen dicuntur majores, alii minores. Majores hi vulgò dicuntur à nobis Ecclesiæ Patres, sicut & Prophetæ, quorum multa, & minores quorum pauca nobis supersunt scriptorum volumina; de ista minorum Patrum classe cùm sint isti quinque præfati, videlicet *Optatus*, *Ephremus*, *Pacianus*, *Amphilochius*, & *Phœbadius*, viri licèt aliundè magni; ideò de his hìc simul & singulatim pauca dicemus.

De S. Optato Milevitano. 380.

S. Optati Milevitani Episcopi scripta sunt.

Sanctus Optatus natione Afer è *Milevi*, unde Milevitanus, in Numidia Africæ regione Præsul, quem S. Aug. laudat ut insignem Ecclesiæ Præsulem & orthodoxæ fidei defensorem egregium, & quem S. Hieronymus lib. de Script. Eccl. asserit ex parte Catholica scripsisse *Valentiniano & Valente* Principibus, adversus Donatianæ partis calumniam, libros sex, licèt septem numerentur à Bellarmino, nec septimus dissentiat à cæteris, & communiter admittatur ab omnibus; unde dicuntur communiter S. Optati *libri 7. de Schismate Donatistarum contra Parmenianum*, qui fuere Parisiis editi an. 1631. cum notis & observationibus Gabrielis Albaspinæi Aurelianensis Episcopi, & in quibus eò summatim & præsertim tendit, ut ad ea respondeat omnia, quæ *Parmenianus* Donatistarum Episcopus, unus contra Catholicam scripserat Ecclesiam, & Donatistarum crimen in Catholicos falsò & calumniosè retorqueri monstret; idque hoc ordine præstat, ut

Libri 7. de Schismate Donatistarum contra Parmenianum.

In 1. libro non Catholicos, sed Donatistas ipsos Schismatis auctores & Traditorum hæredes esse demonstret Parmeniano Carthaginensi Donatistarum Episcopo, & sic: *Dixisti inter cætera Schismaticos à vite velut sarmenta esse concisos, destinatos pœnis, tanquam ligna arida, gehennæ ignibus reservari; sed video te adhuc ignorare schisma apud Carthaginem à vestris* Prin-

Principibus factum: quære hanc originem rerum, & invenies hanc te in vos dixiße sententiam, cum Schismaticis hæreticos sociasti; non enim Cæcilianus exivit à Majorino avo tuo; sed Majorinus à Cæciliano; nec Cæcilianus recessit à Cathedra Petri vel Cypriani, sed Majorinus cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat; & cùm hæc ita gesta esse manifestissimè constet, & vos esse hæredes Traditorum & Schismaticorum evidenter appareat, satis te miror frater Parmeniane, cùm Schismaticus sis, Schismaticos hæreticis adjungere voluiße, &c.

In 2. exponens quid sit Ecclesia, & ubi sit quærens, eam esse unam, & non apud Donatistas, sed apud Catholicos esse probat; ostendens Donatistas esse fractos ab arbore ramos, abscissos à vite palmites, nos verò in Ecclesia sancta Catholica esse, in qua est Cathedra Petri, & per eam cæteræ Ecclesiæ dotes.

In 3. repellit calumniam in Catholicos à Donatistis confictam de postulato armato milite, & quæ asperè facta fuere, non ad Catholicos, sed ad Donatistas pertinere demonstrat.

In 4. explicans quis sit peccator, cujus sacrificium repudiat Deus, & cujus oleo ungi fugiendum sit; ostendit non Catholicos, ut contendebat Parmenianus, sed Donatistas ipsos esse potiùs peccatores, cùm ipsi repudiarint pacem, & contempserint disciplinam, & abjecerint sermones Dei, cùm Deus dicat, Psal. 33. *Quære pacem, & consequaris eam*. Et ipsi repudiarint eam, & Schisma fecerint; cùm Christus dicat in Euang. Joan. cap. 13. *Qui semel lotus est, non habet iterùm necessitatem lavandi*; & ipsi rebaptizando iterùm lavent; cùm Deus dicat, *Nolite tangere Christos meos*, & ipsi tot sacerdotes honoribus expoliaverint, &c.

In 5. de baptismate agit, illudque unum esse, & non iterandum esse demonstrat, etiam ex ipso Donatistante, & illud iterante *Parmeniano*, dum sub initio sic ait: *Jam de baptismate hoc loco dicendum est, in qua re, quæ nunc agitur quæstio tota consistit, quòd baptisma vestra violavit audacia, dum id voluistis iterare quod semel mandavit Christus; quod nec tu neges, frater Parmeniane, quia in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis quæ sunt nostra dixisti; commemorasti enim in comparatione baptismatis semel factum esse diluvium, & unam Circumcisionem fuiße apud populum Judæorum, &c.*

In 6. agit de inconsideratis & sacrilegis Donatistarum præsumptionibus, seu de iis quæ crudeliter & stultè fecere, dum altaria frangere, radere & removere non erubuerunt: *Quid enim*, inquit, *est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, & removere, in quibus vota populi & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus? &c.*

In 7. denique post sufficienter repulsa omnia eorum perperam & calumniosè dicta, jam ad ea quæ dicere possent respondet; & quia objicere potuissent & dicere nos eos ad unam communionem non oportuisse quærere, cùm filios Traditorum eos esse constiterit, ad ea sic pauca respondet; *Re vera sufficiebat sibi Ecclesia Catholica habens innumerabiles populos in provinciis universis, sufficiebat & in Africa licèt in paucis: Sed Deo vestra separatio non placebat, quoniam divulsa fuerant unius corporis membra, & contra voluntatem Dei fratres à fratribus errabatis, &c.*

Plures epistolas, aliaque multa Optatum scripsisse contendit Trithemius,

& ejus

& ejus diem natalem 4. Junii notat Martyr. Roman. creditur obiisse circiter an. 380. Vide *S. Hieron. de Script. Eccl. S. August. lib. 2. de doct. Chr. & cont. Parmenian. Hon. Aug. de lumin. Eccl. Trith. de Script. Eccl. Sigeb. Bellarm. de Script. Eccl. Albaspinæum in notis in Opt. Myræum in lib. Eccl. &c.*

De sancto Ephremo. 378.

S. Ephremi Edessenæ Ecclesiæ Diaconi scripta sunt.

Sanctus Ephremus vulgò Ephrem, nec Græcus, nec Latinus, sed Syrus Ecclesiæ pater & scriptor venerandus, *Nisibi* si credamus *Sozomeno* lib. 3. hist. Eccl. & *Edessæ* in Syria sub Constantino Magno Christianis parentibus ortus, si quæ fides antiquo Græcorum Menologio; vir fuit Eremi cultor insignis, & Edessenæ Ecclesiæ Diaconus mirabilis à Basilio Magno Cæsareæ Presbyter ordinatus, S. Amphilochio teste in comp. Sed sanctæ humilitatis zelo, ad sacra celebranda mysteria accedere nec semel ausus, dignus licèt apud Deum & homines, si quis alius; cœlestem enim in terris degebat vitam & morum sanctitate purissimam, quique non sola vitæ sanctitate, sed eruditionis fama ita clarebat, ut *orbis Magister* fuerit cognomine dictus; quem Basilius Magnus attentè miratus summis laudibus extulit; quem Gregorius Nyssenus magni Basilii frater oratione celebravit insigni; quem *Amphilochius* Iconiensis Antistes cum Basilio Magno sapienter & eruditè comparavit; quem *S. Hieronymus* ad tantam devenisse claritudinem asserit, ut post sacræ Scripturæ lectionem ejus publicè quibusdam in Ecclesiis recitarentur scripta; quem Theodoretus Cyrensis Ecclesiæ Præsul virum vocat admirabilem & scriptorem inter Syros excellentissimum: scripsit enim in Syria Syrus & Syro sermone de variis argumentis opuscula varia, quæ è Syro in Græcum, & è Græco in Latinum translata variis fuere editionibus edita, sed Coloniæ præsertim an. 1547. & posteà Romæ multò plura à *Gerardo Vossio* Tungrensis Ecclesiæ præposito collecta an. 1593. iterùm Coloniæ an. 1603. ac tandem Antverpiæ 1619. inter quæ sunt *parænefes* sive exhortationes ad monachos variæ, sermones Ascetici nonnulli, Encomia in Sanctos aliqua, ut in Basilium Magnum, in sanctos quadraginta Martyres, in SS. Martyres omnes, &c. & varii ac parvi de variis virtutibus, aut vitiis sermones alii, ac ultimò testamentum ejus mirabile, quo cunctis varia ac sanctæ vitæ morumque documenta legavit, hoc est, mirabilis & ultima S. Patris Ephrem oratio, quam senio plenus, & futuræ præscius mortis edidit, & orbi Christiano pro testamento reliquit; in qua de futuris unumquemque admonens & ad salutem necessaria cuique proponens, singulis sancta vitæ morum præcepta reliquit, quæque sic incipit: *Ego Ephrem morior; notum igitur cunctis sit ò viri Edesseni, testamentum quippe vobis relinquo symbolum monumenti doctrinæ veritatis ex illa quæ mihi gratia & dono concessa fuit, ut in Sanctarum orationum commemorationibus mei memoriam faciatis, &c.* Hic ea scrutari singula longum foret, quia plura & parva licèt utilia: Ex iis, quia antiqui sunt Ecclesiæ Patris testimonia, sufficiat notasse aliqua ad confundendos nostri temporis Novatores hæreticos, &

Opuscula varia parænefes, sermones Ascetici, & Encomia in Sanctos, & præsertim

Testamentum sive oratio ultima qua singulis pro Testamento reliquit varia vitæ sanctæ præcepta.

Pro adstruenda voto ligatorum continentia.

1. In hoc, quòd contendant nostri temporis hæretici, illud Pauli primæ ad Cor. cap. 7. vers. 9. dicentis, *Melius est nubere quàm uri*, pertinere æquè ad Regulares & voto ligatos, ac ad sæculares & voto solutos, quod manifestè negat S. Ephrem quarti sæculi Ecclesiæ Pater, dum interrogatus

tus ad quos pertineret hæc præfata S. Pauli ſententia, reſpondit expreſsè hac de re edito tractatu, eam ad ſolos ſæculares & liberos, & non ad Religioſos & caſtitatis voto ligatos pertinere, dicens hoc in tractatu poſt multa alia: *Sæcularibus igitur, ſicut antè dictum eſt, permiſit legitimè matrimonio jungi, at qui ſæculo ſe abdicarunt hos continere, & quidem legitimè continere ſe voluit, quandoquidem ſi quoſvis verba illa concernerent, Melius eſt nubere quàm uri, nemo hanc ipſam virtutem unquam excoluiſſet, non Elias Thesbites, non Eliſeus, non Joannes, non quicumque ſe caſtraverunt propter Regnum cælorum, caſtamque ſuam carnem ſervaverunt Deo, ſed neque continens fuiſſet Apoſtolus, niſi reſpexiſſet in retributionem mercedis, &c.*

2. In hoc, quòd realem corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia obſtinatè negent iidem Novatores hæretici, quod tamen 4. ſæculo Ephrem evidenter aſſeruit, cùm in tractatu de natura Dei curioſè non ſcrutanda dixit: *Eſto fidelis atque innocens, participa immaculatum Corpus & Sanguinem Domini tui fide pleniſſima, certus quòd agnum ipſum integrè comedes; ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, cave ea temerè ſcrutari, ne in ipſorum participatione comburaris, &c.* & infrà, *ignem & ſpiritum manducandum atque bibendum præſtitit nobis, Corpus ſcilicet & Sanguinem ſuum, &c.* quo nihil clarius ad adſtruendam in Euchariſtia realem corporis Chriſti præſentiam.

Pro reali corporis Chriſti in Euchariſtia præſentia.

3. In hoc, quòd non minùs obſtinatè dicant pro mortuis orandum non eſſe, & mortuis non prodeſſe vivorum ſuffragia, quod manifeſtè reprobavit 4. ſæculo *S. Ephrem*, dum in ſuo teſtamento expreſsè mandat pro ſe ipſo ſuum poſt diſceſsum orari dicens, *Ex nunc volo, fratres, commonefacere & rogare vos, ut poſt meum exitum & tranſitum aſſiduè memoriam mei in veſtris precibus faciatis, &c.* & iterùm infrà, *Comitamini me in Pſalmis atque orationibus veſtris, & aſſiduè pro mea parvitate ſacrificia & oblationes facere dignemini, & quando diem trigeſimum complevero, mei memoriam faciatis; mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficio afficiuntur, &c.*

Pro ſancto & ſalubri vivorum pro mortuis ſuffragio.

4. Nedum ad confundendos Novatores ipſos arma miniſtrat S. Ephrem, ſed etiam ad quoſcumque Chriſti divinitatis impugnatores, ſive Socinianos, ſive recentiores, ſive Chriſtum Dei Filium eſse negantes; dum ſuo in teſtamento, poſt alia plura ſic ait: *Adjurari autem magis poſſunt impuri dæmones, quàm perſuaderi iniquitatis filii; ſiquidem dæmones Filium Dei confitentes dicunt, Tu es Chriſtus Filius Dei: & principes & prædicatores Apoſtaſiæ, Judæi inquam & Pauliani, impii, & Chriſtum oppugnantes pertinaciter contendunt, referuntque ipſum non eſſe Filium Dei; & vide effrænatos atque acerbos eorum mores. Auctor ac Princeps Apoſtaſiæ ipſorum exclamat & dicit, Quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? & ipſi aſſiduè negant, &c.* Sunt & alia in Arianos, Sabellianos, Eunomianos, Apollinarios, Novatianos, Millenarios & alios non minùs efficacia hujus S. Patris teſtimonia, qui hæreſes & apoſtaſias nefarias deteſtans omnes, talia dixerit, taliſque fuerit, qualem ſe in confeſſione & ſui ipſius reprehenſione dicit. Obiit in Domino meritis plenus & annis, die 1. Februarii anno circiter 378.

Et pro Chriſti divinitate probanda.

Dices cum heterodoxis, vel hoc S. Ephremi teſtamentum non eſt genuinum Ephremi opus, vel ſibi contradicit Ephremus, dum hoc in teſtamento ſic ait, *Nullo modo in tota vita mea adverſus Dominum contume-*

liosus

liosus extiti, nec sermo stultus egreßus est è labiis meis, &c. & in confessione & sui ipsius reprehensione econtrà sic ait, *Sed excruciat me supra modum ingens mea in Deum injuria; nam qui dicit omnia casu fortuitòque fieri, is divinitatem è medio tollit; istud cogitavi, non inficior, resipui: resipui: sed an Deum mihi placaverim nescio ....* & infrà dum ait, *Cùm adhuc juvenis essem, me Christianum professus sum, verumtamen paucis illis annis contumeliosus fui & percussor, &c.* Ergo vel sibi contradicit Ephremus, vel hoc utrumque opus non scripsit. Resp. hoc utrumque genuinum esse S. Ephremi opus, nec sibi contradicere Ephremum, quia verum esse potest quod ab eo tempore quo perfectioris vitæ suscepit institutum, nullo modo fuerit in Deum contumeliosus, nec stultum quid locutus fuerit; attamen verum quòd talis fuerit ante illud tempus, & dum adhuc juvenis esset. Vide *Hieron. in cat. Script. Eccl. Amphil. in comp. Basilii & Ephr. S. Greg. Nyss. in vita S. Ephr. Chrys. in serm. de falsis Proph. Phot. in Bibl. Gennad. de vir. ill. Hon. Aug. de lum. Eccl. Trith. de Script. Eccl. Bellarm. Baron. Miræum, &c.* Vide *ipsum Ephr. cum Scholiis Gerardi Vossii.*

De sancto Paciano. 380.

S. Paciani Barcinonēsis Episcopi scripta sunt.

Sanctus Pacianus juxta Pyrenæi montis juga in Hispania Barcinonensis Episcopus, castitate, juxta S. Hieron. eloquentia, vitæ sanctitate & eruditione clarus, vir anteà nobilis laicus in Hispania potens & magnus, paterque Flavii Lucii *Dextri* prætorii quondam præfecti, cui suum de Scriptoribus Ecclesiasticis libellum dicavit olim Hieronymus, & qui Hieronymo vicissim historiam à se contextam fertur dicasse *Dexter*, ut ipsa indicant Hieronymi verba, suo eodem in libello dicentis: *Dexter Paciani, de quo suprà dixi, filius clarus apud sæculum, & fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam necdum legi, &c.* Pacianus verò, qui meritis & senio clarus obiit sub seniore Theodosio, an. circiter 380. & de quo Martyrologium Rom. 9. Martii, scripsit opuscula varia, è quibus supersunt nobis in Bibl. PP. tom. 4. edit. Lugd. an. 1677.

Tres ad Simpronianum epistolæ, altera de Baptismo, & Parænesis ad pœnitentiam.

1. *Tres ad Simpronianum contra Novatianos epistolæ.*
2. *Parænesis, sive exhortatio ad pœnitentiam.*
3. *De baptismo epistola altera, sive sermo.*

Tres illæ contra Novatianos epistolæ, & ad Simpronianum Novatianæ sectæ virum directæ, ita procedunt, ut

1. Quæ est de *Catholico nomine*, exponat cur Catholica dicta sit Ecclesia; quærentibus enim Novatianis & dicentibus contra Orthodoxos qui se Catholicos esse gloriabantur, cùm sub Apostolis nemo Catholicus diceretur, cur Ecclesia dicta sit Catholica? cujus nominis rationem reddit, respondens hac in epistola Simproniano & dicens: *Cùm post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus Columbam Dei atque Reginam lacerare per partes & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? nonne appellatione propria decuit caput principale signari? ego fortè ingressus populosam urbem hodie cùm Marcionitas, cùm Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros ejusmodi conspexissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? &c.*

2. Quæ

2. *Quæ est de literis* ejus, seu qua respondet literis sibi à Simproniano scriptis, antequam respondeat Novatianorum errorum tractatui, dicens: *Priusquam rationem fidei nostræ, de qua moveris, assignem, accipe pauca de literis tuis quas tractatui prætulisti. Refectum esse te dicis prioribus epistolis meis, & statim addis me cum amaritudine respondisse quæ scripserim; si amara reficiunt, quid dulcia operentur ignoro; nisi quia ut in Medicinæ poculis solet amarum magis quàm dulce medicari. Sed quæso literæ meæ an aliquo felle resperse sint, quid superbum, quid insuave responderim; plures me ais hæreses nominasse, de quibus nemo quæsierit: age quid tua si hæreticus non eras, qui cùm de fide nostra moveres quæstionem, & doceri velle te diceres, scripsi ignorantiæ causas esse multiplices, quæ vos potissimùm haberet, ut aperires ne retexendis pluribus æstuarem, &c.*

3. Quæ est contra Novatianorum tractatum, seu contra Novatianorum capitalia dogmata in tractatu sibi à Simproniano misso contenta, & ad quæ hac in epistola respondet, sic incipiens: *Tractatus omnis Novatianorum quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Simproniane frater, hoc continet quòd post baptismum pœnitere non licet, quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imò quòd ipse pereat recipiendo peccantes. Præclarus honos, singularis auctoritas, magna constantia! rejicere nocentes, attractus peccantium fugere, innocentiæ suæ malè confidere; quis hoc vindicat, frater? Moyses, an Paulus, an Christus? at Moyses deleri è libro pro blasphemantibus optat, & Paulus anathema esse pro fratribus, & ipse Dominus pro injustis pati meruit, &c.*

Parænesis ad pœnitentiam est libellus, quo ad pœnitentiam ita hortatur, ut 1. de modo criminum differat, ostendens quæ peccata sint, quæ crimina. 2. De illis agit qui remedium suum erubescentes, videlicet Confessionem, polluta mente communicant. 3. De illis qui confessis apertisque criminibus remedia pœnitentiæ actusque ipsos exomologesis administrandæ aut nesciunt aut recusant. 4. Ostendit quæ pœna sit aut non agentibus aut negligentibus pœnitentiam; quæve econtrà sit corona, quodve præmium conscientiæ maculas recta & ordinaria confessione purgantibus.

De baptismo epistola altera, sive sermo ad fideles & Catechumenos, qua habitus ad fideles hic sermo præsentibus Catechumenis, ut indicant hæc initii ejus verba, *Vestri me tantùm cura solicitat & horum maximè Competentium*; Catechumeni enim olim *Competentes* dicebantur, & hoc sermone aperit, *quid fuerit antè gentilitas, quid fides præstet, quid baptismus indulgeat*. Vide *Hieron. in cat. de Script. Eccl. cap.* 106. *Baron. in ann. Bellarm. de Script. Eccl. Miræum in Bibl.*

De sancto Amphilochio. 394.

Sanctus Amphilochius Iconiensis in Lycaonia Episcopus, vir natione Cappadox, in juventute forensem professus Rhetoricam, sed inde relicto foro, in eremum progressus, & in eremo Greg. Nazianz. & Basilii Magni socius & amicus, sed hæreticorum omnium hostis sua ætate celebris & fidei Catholicæ defensor insignis, & è secundi œcumenici Concilii Patribus unus, cujus meminit suo in catalogo S. Hieronymus, & quem mirificè laudat in epistola ad Magnum, dicens: *Cappadocum Basilii atque Gregorii & Amphilochii, qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos refar-* S. Amphilochii Iconiensis Episcopi scripta sunt.

ciunt libros ut nescias, quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum? Is est qui Messalianos è sua ejecit & expulit provincia, quique teste Photio in sua Bibl. præfuit in Concilio *Sydensi* 25. Episcoporum adversus eos congregato, anno Christi 383. sub Damaso Rom. Pont. qui pro fide Catholica strenuè contra Valentem pugnavit; qui subtiliter & ingeniosè salutans *Theodosium*, at non salutans *Arcadium* filium ejus, Theodosium instruxit & erudivit de injuria Patri æterno illata ab Arianis, & hæreticis aliis Christum Dei Patris æterni Filium non salutantibus, non agnoscentibus ut Deum; quo facto excitatus Theodosius, varias leges & edicta contra Arianorum conventicula tulit; is denique est Amphilochius qui teste S. Hieronymo,

De Spiritu Sancto liber unus contra Macedonium, & homiliæ variæ.

1. Scripsit *unum de Spiritu Sancto librum* contra Macedonianos, in quo probat quòd Spiritus Sanctus sit Deus, quòd sit æternus, quòd sit omnipotens.

2. Scripsit & *homilias* varias à Theodoreto non semel citatas.

3. *Vita S. Basilii Magni* reperitur in vitis Patrum & alibi sub nomine Amphilochii; sed Amphilochii non esse convincunt Baronius & Bellarm. ex multis, quæ in ea reperiuntur falsa, & Amphilochio indigna; scribit enim illius vitæ auctor inter alia Julianum Apostatam Basilii Magni Episcopi precibus fuisse peremptum, at Basilius Magnus nondum Episcopus erat cùm sagitta confixus est Julianus Apostata. Obiisse tandem creditur Amphilochius anno Christi circiter 394. Cujus colitur memoria 23. Novemb. apud Latinos æquè ac apud Græcos. Vide *S. Hieronym. in cat. Script. Eccl. Baron. Bellarm. in lib. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccl. Hermant. in vita SS. Basilii & Greg. Naziaz.*

De sancto Phœbadio. 394.

S. Phœbadii Aginnēsis in Gallia Episcopi scripta sunt.

Sanctus Phœbadius natione Gallus, & primus post *Caprasium* Aginnensis in Vasconia ad Garumnam Episcopus, quem S. Hieronymus in suo de Script. Eccl. catalogo vocat *Phœbadium*, quem S. Ambrosius in epistola ad eum & ad Delphinum Burdegalensem scripta nominat Sœgatium, & quem Severus Sulpicius in 2. Historiæ sacræ libro Phœbadium dicit, & suum fuisse Episcopum asserit. Is est Magnus ille *Phœbadius*, qui eminens olim inter Orthodoxos Ariminensis Concilii Patres cum *Servatio* Tungrensi contra Arianos fortiter & strenuè pro fide Catholica pugnavit; & si Arianorum fidei formulæ apparenter Catholicæ, sed latenter hæreticæ perperam & incautè subscripserit, id citò reparavit, dum Arianorum cognita fraude, & ventilato perfidiæ veneno, illicò resiluit, & incautè factum cauta revocatione delevit, cautiùsque deinceps in perfidos Arianæ sectæ viros pro fide Catholica pugnavit & scripsit, interfuitque posteà ut Præses sub Damaso I. Rom. Pont. *Valentino* 30. circiter Episcoporum Concilio, hoc est, Valentiæ in Gallia congregato an. 374. præfuit & *Cæsaraugustano* provinciali pariter, & 12. Episcoporum Concilio, in Priscillianitas convocato sub eodem Damaso Rom. Pont. anno 380. utque fidei suæ pignus daret, seque Catholicum probaret, & suum contra Arianos pro fide Catholica zelum universæ notum faceret Ecclesiæ,

Liber unus de Trinitate ad refellendā fidei

Scripsit *unum de Trinitate librum* ad refellendam fidei formulam ab Arianis in Sirmiensi Concilio cusam, qui habetur in Bibl. PP. tom 4. edit. Lugd. an. 1677. Quo in libro, postquam probavit tres in Deo esse personas

nas Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nec tamen esse tres Deos, sic tandem concludit: *Tenenda est igitur, ut diximus, regula quæ Filium in Patre & Patrem in Filio confitetur; quæ unam in duabus personis substantiam servans dispositionem divinitatis agnoscit: igitur Pater Deus & Filius Deus, quia in Patre Deo Filius Deus, hoc si cui scandalum facit, audiat à nobis Spiritum esse de Deo, quia illi cui est in Filio secunda persona, est & tertia in Spiritu Sancto: denique Dominus, Petam, inquit, à Patre meo, & alium advocatum dabit vobis. Sic alius à Filio Spiritus, sicut à Patre Filius; sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona, unus tamen Deus omnia, tres unum sunt; hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus à Prophetis, hoc nobis Euangelia locuta sunt, hoc Apostoli tradiderunt, hoc Martyres passione confessi sunt, in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod etiamsi Angelus de cælo annuntiaverit, anathema sit.* formulam ab Arianis in Sirmiensi Concilio cusam.

Sed objicere quia potuissent Ariani, venerandæ senectutis Osium virum ferè centenarium, plurium Conciliorum Patrem & Præsidem, qui tandem senio confectus, carcere minisque pressus, subscripsit Sirmiensi Arianorum fidei formulæ, quam impugnat hoc in libro Phœbadius, ideò subdit, *Sed non sum nescius his omnibus discussis, & in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis & promptæ semper fidei Osii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur, sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum sermone respondebo. Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit; novit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam & in Nicæno tractatu assensus sit & damnaverit Arianos. Quid diversa nunc sentit, & quæcumque ab eo retrò damnata fuerant defenduntur, quæ defensa damnantur? rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur; nam si nonaginta ferè annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam; aut si nunc rectè, quid de his opinandum est, qui eadem signati fide in qua ipse erat, de sæculo transierunt? quid & de ipso pronuntiaretur, si ante hanc Synodum dormiisset? ergo ut suprà diximus, præjudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit: & sanè legimus Ezech. 33. Justitia justi non salvabit eum in quacumque die erraverit, Amen.*

Vivebat adhuc *Phœbadius* anno Christi 392. quo suum S. Hieronymus scribebat de Script. Ecclesiasticis catalogum, & obiisse creditur anno circiter 394. cujus festum Aginni celebratur 25. April. Vide *Hieron. in cat. de Script. Eccl. cap. 119. Sever. Sulp. lib. 2. hist. sac. Baron. in Annal. Bellarm. in lib. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccl. &c.*

ARTICULUS XXI.

De duobus Cyrillis, Jerosolymitano videlicet & Alexandrino.

INter Græcos Orientalis Ecclesiæ Patres, claruere similiter olim suæ religionis zelo, doctrina, & Patriarchali dignitate celebres, isti duo Cyrilli: in quo autem, ubi, quomodo, & quando quisque claruerit, & qua in claritate alius ab alio distinctus in Ecclesia fulserit, ex dicendis patebit.

De S. Cyrillo Jerosolymitano. 386.

S. Cyrilli Jerosolymitani doctes, gesta, persecutiones, & scripta, qualia sunt.

Sanctus Cyrillus, Jerosolymitanus Patriarcha, is est alacris & egregius ille Apostolicæ doctrinæ propugnator, eximiæ sanctitatis, & ad populum docendum facilis, & insignis vir, qui è celebri Jerosolymitano catecheseon Magistro, ab Acacio Cæsariensi, cæterisque comprovincialibus Episcopis, post obitum Maximi Jerosolymorum antistitis, ad Patriarchalem Jerosolymæ sedem ritè promotus est, sub Constantio Imperatore, anno circiter 350. qua in sede varia contra Arianos, pro fide Catholica, certamina subiit; in qua ejusdem Cæsariensis Acacii factione sæpè turbatus, & è qua tandem ejectus, & procul ab urbe pulsus; sed eidem posteà restitutus, & honorificè sub *Damaso I.* Rom. Pont. & Imperatore seniore Theodosio, in generali Concilio Constantinopoli habito anno 381. in eaque deinceps quietè & pacificè vixit usque ad annum Christi 386. quo tandem anno die 18. Martii meritis plenus, post varios pro Christo labores, & editas Catecheses varias, feliciter migravit ad Deum, hoc est quinto post secundum Concilium œcumenicum anno. Inter alia quæ scripsit, quæ Cyrillia dicebantur olim, quæque suo tempore extitisse testatur Hieronymus, sed è quibus ista sola reperiuntur hodie:

Scripta S. Cyrilli Jerosolymitani.

Catecheses ad illuminatos & extemporaneæ octodecim.

1. *Catecheses ad illuminatos*, & extemporaneæ 18. hoc est instructiones, sive institutiones insignes & eruditæ, licèt à *Cyrillo* adhuc adolescente, & ex tempore Jerosolymis prolatæ, ad erudiendos & informandos accedentes ad baptismi lavacrum, vel baptismo jam recenter regeneratos: quibus primò instruit eos de variis circa regenerationis lavacrum documentis, deinde summatim & breviter de decem fidei dogmatibus erudit eos, videlicet quid credere quisque debeat de Deo, de Christo, de generatione ejus ex Virgine, de Cruce, de Sepulchro, de Resurrectione, de Ascensione, de Futuro Judicio, de Spiritu Sancto, de Statu hominis, de Corpore, de Cibis, de Vestitu, de Resurrectione futura, de Scriptura sacra, & de Scripturæ libris; & tandem validis & congruis munit eos armis quibus aliquando expugnare possint adversarias fidei potestates, videlicet Ethnicos, Judæos, Samaritas, & Hæreticos.

Mystagogicæ Catecheses quinque ad recens baptizatos.

2. *Mystagogicæ Catecheses* 5. aliæ, ad eos qui recens sunt baptizati, & in quibus post traditam eis sanctam & Apostolicam fidem toto Quadragesimæ tempore in præcedentibus Catechesibus, jam post sanctum & salutarem Paschatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, rursus de unoquoque quæ fiunt causas explicat, & tam ex novo, quàm ex veteri Testamento demonstrationes affert, ut ipsemet indicat in Catechesi illuminatorum ultima dicens: *Rursus de unoquoque quæ fiunt causas discetis, atque tam ex novo quàm ex veteri Testamento demonstrationes accipietis. Primum quidem de his quæ ante baptismum proximè fiunt; deinde quomodo mundati estis à peccatis per Dominum lavacro aquæ in verbo, & quomodo sacerdotalis appellationis Christi participes facti estis, & quomodo signaculum vobis datum est Spiritus Sancti, & de iis quæ fiunt in altari sanctis novi Testamenti mysteriis, quæ hinc capient initium quod divinæ Scripturæ tradiderunt, quæ istorum virtus, & quo-*

& quomodo ad hæc accedendum, & quando & quomodo ea habere oporteat: ultimum autem omnium, quomodo vos progreßu temporis, & factis & dictis dignè ad percipiendam gratiam converti oporteat.

3. *Epistola ad Constantium Imperat. de Crucis apparitione*, qua sapientissimo narrat Imperatori Constantio, Magni Constantini filio, quomodo Jerosolymis diebus *sanctæ Pentecostes, circa horam tertiam, omnium maxima crux ex lumine constituto in cœlo supra sanctissimum montem Golgotham, & usque ad sanctum montem Olivarum extensa apparuit, non uni aut alteri tantùm visa, sed universæ civitatis multitudini manifestissimè ostensa; neque ut aliquis fortè putaret, celeriter secundùm phantasiam percurrens, sed quampluribus horis supra terram apertè conspecta, coruscis splendoribus radios superans solares: nam si ab illis superaretur, certè offuscaretur & lateret.* Cujus epistolæ licèt nihil meminerit S. Hieron. in lib. de Script. Eccl. nihil tamen est quod illam S. Cyrilli non esse suadeat, inquit Bellarm. in suo cat. de Script. Eccl.

Epistola ad Constantium de Crucis apparitione.

Objicies 1. Fides Catholica docet hæreticos non esse rebaptizandos, & Cyrillus in protocatechesi ad illuminatos oppositum expresè docet dicens, *nam soli hæretici rebaptizantur*; ergo vel hæc non sunt Cyrilli verba, vel rebaptizantibus favet Cyrillus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ibi intendit solùm dicere S. Cyrillus, rebaptizandos esse hæreticos illos, in quorum baptismo non fuere servata essentialia, hoc est, in quibus fuit omissa vel forma, vel materia, vel intentio ministri faciendi quod facit Ecclesia.

Rebaptizantibus non favet suis scriptis Cyrillus.

Objicies 2. Fides Catholica tenet baptismum Joannis non conferre gratiam nec remissionem peccatorum, alioquin habuisset eamdem vim ac baptisma Christi, quod est contra Trident. sess. 7. can. 1. dicens, *Si quis dixerit, baptismum Joannis habuiße eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit*. Et Cyrillus Catech. mystag. 2. expresè dicit, *Joannis Baptismus peccatorum condonationem præstabat*; ergo, &c. Resp. perm. ant. neg. conseq. fateor enim verum esse fidem Catholicam tenere baptismum Joannis non conferre gratiam, nec consequenter remissionem peccatorum, eodem modo quo baptisma Christi, quia non conferebat illam virtute propria & ex opere operato, sicut baptisma Christi, sed ex opere operantis, & ratione pœnitentiæ, ad quam excitabat; quod non diffitentur Theologi, & quod solùm dicere voluisse intelligendus est Cyrillus.

Nec vim eamdem baptismo Joannis, ac baptismo Christi tribuentibus.

Objicies 3. Fides Catholica docet consecrationem panis & vini fieri per hæc Christi verba, *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus, &c.* Cyrillus verò docet fieri per invocationem SS. Trinitatis, dum Catechesi 1. mystag. ait: *Quemadmodum enim panis & vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis panis erat & vinum merum: peracta verò invocatione, panis quidem fit Corpus Christi, vinum autem Sanguis Christi, &c.* Ergo contra fidem loquitur ibi Cyrillus, vel hæc non sunt Cyrilli verba. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ibi nihil contra fidem asserit Cyrillus; siquidem non dicit consecrationem panis & vini non fieri per hæc Christi verba, *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus*, &c. sed solùm dicit quòd peracta invocatione Trinitatis, panis fit Corpus, & vinum Sanguis Christi; & ut in hoc dicat verum, satis est quòd in toto ritu, sive in precibus consecrationem antecedentibus fiat invocatio SS. Trinitatis super oblata, hoc est super panem & vinum, ut re ipsa fit.

Nec consecratione panis & vini per invocationem SS. Trinitatis fieri docentibus.

Nec Laicis communionem sub utraque specie postulantibus.

Objicies 4. Ecclesia Laicis prohibet communionem sub utraque specie, & Cyrillus illam commendat, dum Catechesi 5. mystag. ait; *Tum verò post communionem Corporis Christi accede, & ad Calicem Sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis dicens, Amen;* ergo Ecclesiæ praxi & disciplinæ adversatur Cyrillus, vel ejus non est Catechesis 5. mystag. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia licèt hodie Laicis prohibita sit sub utraque specie communio, non tamen S. Cyrilli Jerosolymitani temporibus, ut hæc probant S. Cyrilli verba; & sic non adversabatur Ecclesiæ praxi Cyrillus, dum illam Laicis commendabat, quia talis tunc erat Ecclesiæ praxis & disciplina: quòd autem talis non sit hodierna circa hoc Ecclesiæ disciplina, non est mirum, cùm possit variis de causis, & pro varia temporum exigentia per Ecclesiam immutari Ecclesiæ disciplina.

Plura ex iis Catechesibus colligunt heterodoxi Calvinistæ nonnulli, quibus illas S. Cyrilli non esse, aut sibi in multis favere Cyrillum putant, sed frustrà; quia licèt in his interdum reperiantur nonnulla minùs accuratè dicta, tum quia à Cyrillo adhuc adolescente, & ex tempore prolata, tum quia à scribis fortè festinanter & non satis cautè & diligenter retenta; nihil tamen reperitur in his quod fidei substantiam lædat, aut quod non facilè solvi possit & explicari.

Vide *Hieron. in cat. cap.* 112. *S. Epiph. hæres.* 66. *Honor. Aug. de Script. Eccl. Baron. ad an.* 351. *Bellarm. de Script. Eccl. Miræum Bibl. Eccl. &c.*

De S. Cyrillo Alexandrino. 444.

S. Cyrilli Alexandrini dotes, gesta, obitus, & scripta qualia sunt.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, hoc est Cyrillus alter à Jerosolymitano longè diversus, atque posterior, decimus sextus à *S. Marco*, & quartus à Magno Athanasio, post Theophilum avunculum & ante Dioscorum Eutychianum ordinatus Patriarchalis Alexandrinæ sedis Episcopus, anno Christi 412. vel 413. vir fuit vitæ sanctitate, doctrinæ fama, & ingenii acumine clarus, hæreticorum omnium, maximè Nestorianizantium, debellator acerrimus; è sua siquidem urbe Metropoli & Patriarchali Novatianos fugavit, Judæos debellatos expulit, & de Nestorianis tandem, Ecclesiæ fulmine prostrato & anathematizato Nestorio, gloriosè triumphavit; in Alexandrino primùm & deinde in Ephesino œcumenico Concilio, Cœlestini primi Romani Pontificis vices agens ut Legatus & Præses venerandus: Ordinis Carmelitici anteà Monachus, (si credamus Trithemio,) sed nullius nisi fabulosi monachalis Ordinis homo, (si credamus auctorum Cyrillo coævorum profundo de hoc Cyrilli Monachatu silentio,) qui diu & indefessè pro fide Catholica, lingua pugnavit & calamo: mira enim & varia scripsit, & Ecclesiæ reliquit opera, tanto antiquitùs in pretio habita, ut Gennadio teste, homilias ejus memoriæ mandatas suis populis è suggestu recitarent & prædicarent Orientales Episcopi: quique tandem post multas debellatas hæreses, post varios pro Christo & Ecclesia labores, & duos supra triginta Episcopatus annos, feliciter & sanctè in Christo dormire cœpit, juniore imperante *Theodosio* & *S. Leone Magno* Romano Pontifice anno 444. die 28. Januarii: Cujus opera omnia in editione Parisiensi latinè cusa anno 1604. ita sunt in duobus tomis latinè, & eo ordine collecta, ut in 1. tomo reperiantur ea quæ in Scripturam sacram; in 2. verò reperian-

riantur cætera omnia, licèt posteà græcè & latinè data an. 1638. opera & cura Joan. Auberti Laudunensis Ecclesiæ Canonici, è quibus omnibus præcipua sunt ista:

Scripta S. Cyrilli Alexandrini.

1. *In Scripturam opera varia*, qualia sunt 1. in Genesim libri undecim, quibus litteraliter & mysticè explicatur Genesis. 2. In Leviticum libri 16. quibus quidquid in Levitico corporaliter & ad litteram observandum statuitur, id omne ad spiritualem & vivificantem intelligentiam transfertur; sed hos libros Origenis esse, & non S. Cyrilli, observat Bellarm. in cat. de Script. tum quia sensum litteralem ubique destruit auctor, tum quia reperiuntur inter Origenis opera. 3. In Isajam libri 5. in quibus reperiuntur enarrationes, sive Commentaria in ea quæ suis temporibus prophetavit Isajas, hoc est in ea quæ prophetavit temporibus Regum Oziæ, Joatham, Achaz, & Ezechiæ. 4. In Euang. S. Joannis libri 5. quibus totum S. Joannis Euangelium Commentariis elucidavit egregiis. 5. Dicta veteris Testamenti anagogicè, breviter & dilucidè explicata, collecta ex S. Cyrillo, ex Maximo & interpretibus aliis. 6. Liber adversus Judæos cum elegantissimis quæstionum solutionibus. 7. Denique breves Anagogæ, de iis qui floruerunt ante Legem, quales fuere *Abel, Enos, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, &c.* Varia in Scripturam opera.

2. *Epistolæ variæ*, è quibus in 2. tomo reperiuntur 39. occasione impiæ Nestorii doctrinæ ad varios, & variorum ad ipsum, variis temporibus pro tuenda fide Catholica missæ; cùm enim audivisset Cyrillus Nestorium jam sui dogmatis homilias scripsisse aliquas, easque misisse ad Ægypti solitarios omnes, ad eosdem statim scripsit & ipse, ut eos in sana fidei doctrina firmaret; scripsit & ad Theodosium juniorem Imp. ad Eudoxiam ejus sponsam, & ad Pulcheriam sororem: scripsit ad varios & illustres Orientalis Ecclesiæ Præsules, & ad Acacium Mitilenensem, ad Joannem Antiochenum, & Synodum Antiochiæ congregatam, ad Juvenalem Jerosolymorum Antistitem & alios; scripsit & ad ipsum quoque Nestorium non semel, sed bis & iterùm, ut eum fraternè moneret, & ad resipiscendum flecteret, addens in 3. è Synodo Alexandrina ad eum scripta epistola, quòd nisi intra tempus in Cœlestini Papæ literis præfixum resiliat, & à tam perversa sua in beatam Virginem doctrina non abstineat, sciat se omnium communione privandum, & interim quæ credere, quæve anathematizare debeat, exponit ei 12. capitulis, quibus singulis additur anathema, quæque ideò 12. anathematismi Cyrilli vulgò vocati. Cùmque non resipisceret Nestorius, nec perversa loqui desineret, scripsit ad *Cœlestinum* Rom. Pont. Cyrillus, qui generale tandem Ephesinum Concilium indixit, in quo Præside Cyrillo anathematizatus cum sua hæretica doctrina Nestorius. Epistolæ ad varios variæ.

3. *Homiliæ* 10. mirabiles quidem & eruditæ, tantoque in pretio in Orientalibus Ecclesiis habitæ, ut eas memoriter discerent & suis populis prædicarent olim Orientales Episcopi; suntque ferè omnes de mirabili Incarnatione Verbi, & contra impia Nestorii dogmata Ephesi vel Alexandriæ dictæ, inter quas duæ sunt septima & octava à Paulo Emeseno Episcopo coram Cyrillo Alexandrino & ad laudem ejus Alexandriæ dictæ. Homiliæ decem mirabiles.

Apologia ad Theodosium pro scriptis ad Reginas literis.

4. *Apologia ad Theodosium* Imp. religiosissimum, qua se purgat de scriptis ad Reginas literis, cùm enim Nestoriana nascente hæresi ad Theodosium Imp. scripsisset Cyrillus ut eum in fide firmaret, scripsit pariter & eodem animo ad inclytas Reginas, *Eudoxiam* videlicet uxorem ejus & ad *Pulcheriam* sororem, quod ægro ferentes animo Nestorii sectarii, Cyrillum & seditiosum, & aulicæ quietis perturbatorem apud Imperatorem accusant; dicentes nimirum illum ideò ad Reginas simul scripsisse, dum scripsit Theodosio, ut in aula Regia dissidium concitaret, pacemque turbaret; à quo tam malè & perperam conficto crimine ut se purgaret Cyrillus, & læsam Imperatoris pietatem placaret, hanc celebrem ad illum scripsit apologiam, qua se non ita bona mente destitutum fuisse dicit, ut scripserit Reginis ad perturbandam Imperatoris aulam, sed se ideò scripsisse, ut pastoris & Episcopi munus impleret, cujus est gregi suo invigilare, eumque ritè credentem in fide firmare; sic enim ait: *Scripsi itaque cùm vestræ pietati tum etiam inclytissimis Reginis, non ut dissensionem ac perturbationem sacratissimæ vestræ aulæ aliunde excitem; non enim ita sum bona mente ac decenti ratione destitutus, sed potiùs bona præditus intelligentia .... oportet enim ut eos in fide reddamus firmiores, qui jam in Dominum nostrum Jesum Christum crediderunt, &c.*

Declaratio 12. Capitũ, seu 12. Anathematismorum fusior explicatio.

5. *Declaratio* 12. *Capitum*, seu 12. Anathematismorum fusior explicatio Ephesi postulante Synodo à Cyrillo Alexandrino prolata; cùm enim essent nonnulli qui hujusmodi 12. Cyrilli anathematismos, vel ægrè ferebant & non probabant, vel non intelligentes in alium sensum detorquebant, ideò sibi necessarium esse duxit Cyrillus, ut eos singulos breviter & clariùs declararet, & vim illorum, quantum fieri posset, explicaret & edoceret; idque præstat hac in oratione Ephesi, præsente & postulante Synodo dicta, idque 12. capitum seu anathematismorum declaratio vocata, in qua referuntur primò & sejunctim anathematismi singuli, & subditur posteà cuilibet ejusdem declaratio sive explicatio.

Liber Apologeticus pro 12. capitulis ad Orientales Episcopos.

6. *Liber Apologeticus pro* 12. *capitulis* ad Orientales Episcopos; quia plures erant Orientalis Ecclesiæ Præsules, qui præfatos 12. Cyrilli anathematismos non probantes, eis suarum mentium adinventiones scriptis opposuerant, sui muneris esse credidit Cyrillus eis respondere, & eorum opposita scripta refellendo suorum anathematismorum veritatem ostendere, idque sic & eo ordine præstat hoc in libro, ut primò singulos suos sejunctim referat anathematismos, deinde cuilibet Orientalium subjungat oppositionem, & suam postremò subjiciat defensionem, qua oppositorum falsitatem & suorum anathematismorum veritatem ostendit.

Apologeticus ad Euoptium Episcopũ.

7. *Apologeticus alter ad Euoptium* Episcopum pro 12. iisdem anathematismis, contra reprehensiones Theodoreti Cyrensis Episcopi. Miserat Euoptius Cyrillo reprehensiones Theodoreti Cyrensis, quibus præfata 12. Cyrilli capitula reprehendebat & impugnabat: Euoptio respondens Cyrillus hunc apologeticum ad illum per modum epistolæ dirigit librum, in quo licèt jam de suis capitulis sive anathematismis pauca dixerit, tamen ne quis eum præ desperatione silentium eligere putet, suos iterùm anathematismos contra Theodoretum defendit, præmittens videlicet eosdem suos anathematismos, deinde eorumdem Theodoreti reprehensiones subjiciens, ultimò suam reprehensionem, sive oppositionem ad reprehensa.

8. Ex-

8. *Expositio Symboli Nicæni ad* dilectos & amantissimos *Anastasium*, *Alexandrum*, *Martinianum*, *Joannem*, *Paregorium* presbyteros, cæterosque orthodoxæ fidei Patres, Monachos, aliosque cum Monachis solitariam vitam agentes; à quibus cùm didicisset Cyrillus esse nonnullos qui pro sua libidine verborum Symboli virtutem torquebant, vel quia non intelligentes, vel quia in sensum reprobum elati, ideò rogatus Symboli verborum expositionem texuit, eo ordine, ut juxta verba propria Symbolum Nicænum nudè proponat, & posteà singula quæ in eo tractantur, exponat, & quomodo sint intelligenda, manifestè declaret. Expositio Symboli Nicæni.

9. *Synodales epistolæ* 12. quæ licèt Synodales dicantur, quia à sancta & œcumenica Ephesina Synodo missæ, tamen quia nihil hac in Synodo peractum, decretum vel scriptum, quod non fuerit S. Cyrilli consilio vel moderamine gestum, ideò hujus Synodi epistolæ, non minùs Cyrilli epistolæ dici possunt, quàm quæ expressum Cyrilli nomen præferunt; præsertim cùm Cyrilli esse stylus apertè clamet; suntque ferè omnes vel ad pientissimos Imperatores Theodosium & Valentinianum, vel ad Clerum populumque Constantinopolitanum, vel ad singularum Provinciarum ac Civitatum Episcopos, excepta ultima quæ est ad Cœlestinum Romanum Pontificem directa; & hæ simul omnes non parum lucis emittunt ad faciliùs clariùsque noscenda ea quæ in hac Ephesina Synodo fuere gesta. Synodales epistolæ duodecim.

10. *Thesaurus adversus hæreticos*, hoc est, opus insigne adversus hæreticos, Arianos videlicet & Eunomianos, de consubstantialitate Filii & Spiritus Sancti cum Patre, ad fratrem suum *Nemessinum* petentem: quo in opere, thesauro vocato, & 12. in libros diviso, Cyrillus pugnat, inquit Photius cod. 136. *Validè ac variè cum Arii & Eunomii furibunda rabie: etenim & Logicis argumentis sapienter illorum destruit amentiam, quibus dum sacræ Scripturæ adnectit adtexitque testimonia, quàm sit illa doctrina futilis, omni ex parte divulgat; adhibet idem nuda quoque sacræ Scripturæ testimonia, ut quò se fastuosi vertant obsepti undique atque conclusi non habeant.* Est autem inter omnia ejus scripta, liber hic maximè *perspicuus, iis potissimùm qui Logicorum argumentorum sensum capere possunt.* Thesaurus adversus hæreticos Arianos.

11. *Dialogorum cum Hermia libri* 7. de consubstantiali Trinitate, quos in gratiam ejusdem *Nemessini* fratris se scripsisse fatetur Cyrillus, & in quibus subtiliter & eruditè colloquens cum *Hermia* viro doctissimo & æquissimo mirum in modum trium divinæ Trinitatis personarum consubstantialitatem probat, ostendens Filium esse Patri consubstantialem & coæternum, & non creaturam nec facturam, Deitatisque proprietates & gloriam esse naturaliter in Filio, sicut & in Patre, Spiritumque Sanctum esse pariter Deum, & ex Deo secundùm naturam. Dialogorum cum Hermia libri septem de Trinitate consubstantiali.

12. *De adoratione in spiritu & veritate libri* 17. ad Palladium, hoc est, dialogorum aliorum libri 17. in quibus cum Palladio colloquens Cyrillus per interrogationem & responsionem ostendit Legem Mosaicam fuisse Euangelicæ Legis umbram & figuram, & Judæis quasi pueris ac rudibus datam, eamque in Religione Christiana spiritaliter & in veritate observari demonstrat; idque toto hoc in opere 17. in libros diviso ut fusiùs exponat, de hominis creatione, de libertate & lapsu, malisque lapsum ejus secutis copiosè differit. De adoratione in spiritu & veritate libri 17.

13. *Contra Julianum libri* 10. *pro Religione* Christiana ad pientissimum & Christi amantissimum Theodosium. Cùm Julianus Apostata, qui fuerat in Ecclesia Christi sacro baptismate regeneratus, in sacris literis eruditus & in ipsis Contra Julianum libri 10. pro Religione Christiana.

ipſis quoque monaſteriis enutritus, ſed poſteà miſerè pravis neſcio quibus pernicioſorum virorum colloquiis familiaribus uſus, corruptus & ſeductus, ab Eccleſia Chriſti deficiens apoſtataſſet, immundorum dæmoniorum cultor, & Religionis Chriſtianæ perſecutor crudelis effectus, linguam ſuam aliunde diſertam acuens in Chriſtum, ſcripſit adverſus ſancta Chriſti Euangelia, Religionemque Chriſtianam libros 3. quibus multos ita commovit, pervertit & ſeduxit, ut libros illos carpi non poſſe crederent, exprobrarentque Chriſtianis nullum hactenus inter eos inventum fuiſſe Doctorem, qui his Juliani libris contradicere auſus fuiſſet; quod audiens & ægro ferens animo *Cyrillus* Alex. zelo Dei & fidelium hortatu motus, hoc eruditum ſcripſit opus 10. in libros diviſum, quibus ſubvertit & refellit hos 3. præfatos Juliani libros, reſpondens ad omnia quæ ſunt in illis à Juliano in Chriſti Religionem depoſita, ſuumque hoc eruditum dicat opus Religioſiſſimo Regi Theodoſio Cyrillus. Hoc ſeriò leges & tu, ut in eis diſcas contra Atheos & impios, pro Chriſti fide pugnare.

De recta in Chriſtũ fide ad Theodoſiũ libri duo.

14. *De recta in Chriſtum fide ad Theodoſium & ad Reginas* libri duo; quorum primus eſt ad Theodoſium, alter ad Reginas, Eudoxiam videlicet Theodoſii Conjugem, Pulcheriamque ſororem: quibus in libris breviter docet quid de Chriſto Domino ſalvatore noſtro credendum ſit juxta Scripturas ſacras, & SS. Patrum ſententias, quæve hæreticorum falſæ & blaſphemæ de eodem Chriſto Domino fugiendæ doctrinæ.

Adverſus Anthropomorphitas.

15. *Adverſus Anthropomorphitas* liber unus, ad *Caloſyrium* Arſenoitem Epiſcopum. Cùm audiiſſet Cyrillus eſſe nonnullos inſanæ doctrinæ viros, qui pios & ſanctos in Calamone monte degentes monachos, ſuis ineptiis & inſaniis turbabant, mendacia apud eos obtrudentes varia, & inter alia aſſerentes Deum humanum quid, ſeu humana præditum eſſe forma credendum eſſe, ex eo quòd Scriptura hominem ad Dei imaginem factum eſſe dicat, hoc *ut omninò ſtultum, & extremæ impietatis eum qui ita ſentire velit convincens* arguit Cyrillus; utque eos talia tam ignoranter effutientes reprimat, ac refellat *Caloſyrius* Epiſcopus, hunc ad illum dirigit librum his refellendis erroribus aptum.

Dices. Tribuitur inſuper præter iſtos liber unus de ſacro-ſancta Trinitate; Ergo non hìc omnia à nobis recenſita Cyrilli Alex. opera. Reſp. adſcribi quidem Cyrillo præfatum de Trinitate librum; at Cyrilli non eſſe, ſed Cyrillo recentioris auctoris conveniunt eruditi cum Bellarm. in cat. de Script. Eccl. ex eo quòd in eo de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus copioſè diſſerit auctor, quod indicat librum hunc non Cyrilli tempore fuiſſe ſcriptum, ſed poſt exortam Monothelitarum hæreſim Cyrillo poſteriorem; Addo inſuper præter hìc à nobis enumeratos Cyrilli Alexandrini libros, extare & nonnullos alios, quales ſunt in 12. Prophetas minores Commentarii Ingolſtadii in folio græcè & latinè cuſi; dicuntur & extare in Vaticana Bibliotheca totidem Cyrilli manuſcriptæ *Paſchales* epiſtolæ, quot fuere ejus Epiſcopatus anni.

Vide *Gennad. cap. 57. de Vir. Ill. Photium in Bibl. cod. 13. Sigib. de Script. Eccl. cap. 24. Baron. in ann. Bellarm. in cat. de Script. Eccl. Miræum in Bibl.* Vide *& ipſa Cyrilli opera, &c.*

A R-

ARTICULUS XXII.

De sancto Epiphanio. 403.

S.Epiphanii patria, natalia, conversio, ordinatio, dotes, obitus & scripta, quæ sunt.

SAnctus Epiphanius in Phœnicia oppido, non procul ab Eleutheropoli, ex infimis & obscuris natalibus ortus, relictusque à patre in tenera adhuc ætate, cum matre vidua, & sorore virgine, necessariis ad vitam fortunæ bonis destitutus, adoptatus tamen à viro quodam professione Judæo, *Tryphone* dicto, ejusque post mortem hæreditatem assecutus opulentam, qua cùm jucundè potiretur cum sorore, defuncta matre, divinæ providentiæ dispositione factum est, ut ad propria revertens invenerit *Lucianum* quemdam Religione Christianum, professione vitæ monasticæ, insignem doctrina ac pietate virum, cujus suasionibus & monitis ad Christum conversus, baptizatus, & relictis adventitiis fortunæ bonis pauperibus, vitam monasticam est amplexus & ipse, qui à *Luciano* in disciplinam Hilarioni in Ægypto commendatus, Hilarionis tandem jussu, vitæ, sanctitatis, & miraculorum fama jam celebris, petit *Salaminam*, ubi inveniens vacantem Ecclesiam, & Deum enixè rogantem de sibi utili providendo Pastore, eligitur Epiphanius ipse; qui licèt multùm, sed frustrà reluctatus, Salaminorum tandem, seu Salaminæ Cypri, quæ postea, Hieronymo teste, *Constantia* dicta est; vel Salaminæ primùm, & posteà *Constantiæ* urbis à Salamina diversæ, ordinatur Episcopus, vir eruditione, sanctitate, & ob quinque linguarum, Græcæ videlicet, Hebraicæ, Latinæ, Syriacæ, & Ægyptiæ peritiam, à sancto Hieronymo commendatus, & Πεντάγλωττος vulgò nuncupatus, ac Hæreticorum hostis acerrimus; qui post peractum suæ vitæ cursum, sub Valente, Gratiano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus, feliciter tandem plenus meritis & annis, obiit in navi, dum ab Imperatoris aula rediens, suam remearet in Ecclesiam, anno ætatis suæ 115. peracto, Christi verò 403. relictis egregiis in hæreticos scriptis. Qualia sunt

Præcipua S. Epiphanii scripta.

Panarium contra 80. hæreses.

1. *Panarium*, hoc est opus illud insigne contra 80. hæreses, tres in libros divisum, & Panarium vulgò dictum, sive Capsula vel arcula medica, quia salubria continens medicamina contra 80. hæresum venena, eoque ordine, ut in 1. libro tres in tomos subdiviso 46. describantur & refellantur hæreses, in 2. duos in tomos partito 23. aliæ explicentur & evertantur, & in 3. duos pariter in tomos secto undecim aliæ describantur, & impugnentur hæreses, ac proinde toto hoc in opere tres in libros diviso, & septem in tomos subdiviso, 80. tractentur & explicentur hæreses, hæ scilicet omnes, quæ ab initio mundi ad Epiphanium usque fuere subortæ, & è quibus 9. ante Legem, 11. à Lege ad Christi in carne adventum usque, & 60. aliæ à Christi adventu ad Epiphanium usque visæ, quarum ultima est Messalianorum hæresis.

Anchoratus, sive epistola instruens de fide in fide fluctuantes.

2. *Anchoratus*, sive epistola docens de vera fide Christi, hoc est insignis liber per modum epistolæ ad *Tarsinum* & *Matidium*, aliosque presbyteros in Suedris Pamphyliæ degentes & petentes scriptus, dictusque *Anchoratus*, quia cùm de vera Christi fide doceat & instruat fluctuantes & in fide

fide vacillantes, instar anchoræ firmat ac retinet, ne circumferantur omni vento doctrinæ & pereant naufragantes circa fidem: in eo enim docet, ut rogatus fuerat, quæ sit Ecclesiæ fides circa Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, circa Christi in carne adventum, circa resurrectionem mortuorum & vitam æternam, circa carnis & animæ judicium, quæve circa simulacrum, & hæreses, aliaque plura.

Anacephalæosis, sive Panarii summa.

3. *Anacephalæosis, sive totius Panarii summa*, in qua percurrendo singulos tres Panarii libros, librorumque septem lustrando tomos, breviter, summatim, & compendiosè fit recapitulatio eorum omnium, quæ in Panario fuere dicta, singularumque præfatarum 80. hæresum indicantur nomina, & earumdem revelantur flagitia.

De mensuris & ponderibus libellus.

4. *De mensuris & ponderibus, & de asterisco ac obolo*, deque notis ac characteribus in divinæ Scripturæ interpretibus per Origenem usurpatis libellus, sive Commentariolum pro intelligendis mensuris atque ponderibus, quæ in divinis reperiuntur Scripturis, variisque dictionibus ac characteribus multis in antiquis Interpretum editionibus per Origenem usurpatis, de quo libello sic in ejus exordio loquitur Epiphanius: *Si quis voluerit cognoscere multùm usurpatas in divinis Scripturis partes, de mensuris inquam atque ponderibus, is Commentariolum hoc evolvere non cunctetur, &c.*

Historia de Prophetarum vita & interitu.

5. *Historia de Prophetarum vita & interitu*, hoc est libellus alter in quo breviter & compendiosè describit ortum, vitam & interitum Prophetarum omnium, à Nathan usque ad Joannem Baptistam, ut sic hac prævia hujus historiæ notitia faciliùs librorum Propheticorum intelligantur tituli, occasiones & argumenta.

Epistola ad Joannẽ Jerosolymitanum.

6. *Epistola ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum*, à S. Hieronymo è Græco in Latinum translata, qua purgat se primùm *Epiphanius* apud Joannem Jerosolymitanum de ordinato presbytero in monasterio suam extra diœcesim, & intra Joannis diœcesim sito; dicens inter alia: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam extorsimus in monasterio fratrum & fratrum peregrinorum qui provinciæ nihil tuæ deberent, & propter nostram parvitatem & literas quas ad eos crebrò direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere discordiam, ne viderentur quadam duritia & conscientia nostra antiquæ fidei ab Ecclesia separari, ordinavimus Diaconum, & postquam ministravit, rursùm Presbyterum; super quo debueras gratulari, intelligens quòd ob Dei timorem, hoc sumus facere compulsi, &c.* Deinde de scisso velo præ foribus Ecclesiæ Anablathensis appenso, in quo quasi Christi, vel Sancti alicujus depicta pendebat imago; hoc utrumque factum concedit: sed tunc legitimè factum ostendit, & interim monet eum, ut Origenis hæresim fugiat, cujus occasione illum in se iratum putat, quia nimirùm anteà monuerat Joannem *Epiphanius*, ne Origenem Arii patrem, aliarumque hæresum radicem ac parentem laudaret.

Libellus in Marcionem.

7. *Libellus in Marcionem scriptus*, & pavimenti titulo prænotatus, in quo redarguitur Marcion, & Scripturarum quibus utebatur, hoc est Euangelii S. Lucæ, & decem epistolarum Pauli notantur loca per ipsum adulterata; sed inseritur libellus iste in Panario, hæresi 42. quæ est Marcionitarum, & de quo ibi sic loquitur Epiphanius: *Apponam autem & ipsam tractationem quam feci contra ipsum ex prædictis duobus libris, ea quæ ipsum redarguere possunt, pavimentum quoddam compositionis feci, &c.*

Objicies 1. Vel epistola *ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum* Epiphanii

phanii non est, vel Iconomachis favet Epiphanius, cùm hac in epistola narret Auctor, se in Ecclesia quadam loci, qui dicitur *Anablatha*, scidisse velum, in quo quasi Christi, vel Sancti cujusdam picta pendebat imago. Resp. 1. cum *Baronio*, *Bellarmino*, *Possevino*, & aliis, ab Iconomachis fuisse corruptam hanc Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum epistolam, ipsique additum hoc fictum de veli scissione factum: ratio est 1. quia *S. Hieron.* Epist. ad Pammachium, totam ferè recitat Epiphanii epistolam à se latinè redditam, nec hujus lacerati, sive scissi meminit veli. 2. Quia hoc Epiphanii factum Catholicis nunquam objecere Iconomachi. 3. Quia *S. Gregorius* Magnus, Epistolarum lib. 9. scribens ad *Serenum*, ait: Nullum, ante *Serenum Massiliensem*, fregisse Christi, vel Sanctorum Imagines. Resp. 2. cum aliis, genuinam & incorruptam dici posse hanc *Epiphanii* epistolam; nec Iconomachis tamen favisse Epiphanium præfatum, in quo depicta erat Christi, vel Sancti cujusdam Imago, scindendo velum; potuit enim hujusmodi velum inculpatè scindere, & quin faveret Iconomachis; quia in eo depictam vidit, quasi Christi, vel Sancti cujusdam Imaginem, contra suæ Ecclesiæ morem, cùm nullus adhuc in Ecclesia Cypri esset sacrarum Imaginum usus; vel quia incongruè depicta erat hæc Imago, vel quia superstitionis, vel erroris erat occasio rudi illi *Anablathensis* Ecclesiæ populo.

Objicies 2. S. Epiphanius circa Historiam, vel Chronologiam sæpè lapsus est; ergo, &c. Resp. Leves esse, & fidei substantiam non lædere lapsus illos, & ex iis solùm colligi posse *Epiphanium*, in rerum gestarum, temporumque ratione consignanda, non satis graves, fideque dignos secutum auctores, vel eum in acta interdum incidisse falsa.

Vide *Hieron. in cat. de Script. Eccl. August. de hæresibus ad Quodvultdeum, Phot. in Bibl. cap.* 112. *Baron. ad an.* 307. *Bellarm. de Script. Eccl.* Vide *opera Epiphanii à Petavio græcè & latinè data, & notis eruditis illustrata an.* 1622.

ARTICULUS XXIII.

De sancto Ambrosio. 397.

S. Ambrosii patria, parentes, dotes, obitus, & scripta qualia sunt.

S*Anctus Ambrosius*, ex Ambrosio patre cive Romano, Galliarum Præfecto, in Galliis genitus, Romæ liberalibus disciplinis imbutus, Liguriæ & Æmiliæ posteà præfectus, & tandem post *Auxentium* Arianæ sectæ virum, Mediolanensis Episcopus, vir fuit sanctitate, eruditione, & eloquentia magnus, fideique & Ecclesiasticæ disciplinæ contra Arianos Imperatores & Imperatrices propugnator fidelis & intrepidus, cujus magnanimitate verè Episcopali ita perculsus Theodosius Imp. ut dixisse feratur, *Se, Episcopum vidisse neminem, præter Ambrosium*: quem S. August. lib. 1. contra Julianum, cap. 3. ut suum veneraret in Christo Patrem, addens: *In Christo enim Jesu per Euangelium ipse me genuit, & eo Christi Ministro lavacrum regenerationis accepi*; qui meritis clarus, ex hoc terreno discessit mundo, anno Christi circiter 397. post varios pro Christo labores, variosque post editos pro fide & morum disciplina libros, in quibus, eodem Augustino teste, lib. 4. de doctrina Christiana, *de humilibus submissè, de mediocribus temperatè, & de magnis sublimiter agit*; & quorum editiones in diversis Europæ locis,

locis, diversis temporibus prodiere variæ: sed omnium postrema & accuratissima est, quam nostris diebus in lucem dedere eruditi Congregationis S. Mauri Monachi, in qua, Ambrosiana opera omnia, tres in tomos sic reperiuntur distributa, ut duo tomi priores exhibeant genuina S. Ambrosii opera, tertius verò suppostitia, vel dubia. Sunt autem

Genuina sancti Ambrosii scripta.

In primo Tomo.

Hexaemeron libri 6.

1. *Hexaemeron* libri sex, qui nihil aliud sunt, quàm Ambrosii sermones in formam tractatus 6. libros continentis, digesti, quibus olim suo Mediolanensi populo, rerum omnium creationem sex diebus peractam, exposuit Ambrosius.

De Paradiso liber 1.

2. *De Paradiso* liber unus, in quo de Paradiso differens, brevi sacri textus expositione præmissa ostendit, quid, qualis, & ubi fuerit, quidve in eo primi parentes egerint, quave fraude à Diabolo tentati in peccatum lapsi fuerint.

De Cain & Abel liber.

3. *De Cain & Abel* libri duo, in quibus Caini & Abelis Historiam enarrat, & mysticis ubique ferè interpretationibus illustrat.

De Noe & Arca liber.

4. *De Noe & Arca* liber unus, in quo sancti Noe vitam, mores, gesta, mentisque celsitudinem exprimit, ita tamen, ut in arcæ constructione, & generali diluvio potissimùm explicandis incumbat.

De Abraham Patriarcha liber.

5. *De Abraham Patriarcha* libri duo, in quorum priori Catechumenos Christianæ religionis, quam professuri erant in Paschatis pervigilio, officia docet, varia hujusce Patriarchæ Abrahæ proponendo virtutum exempla, præsertim devotionis & obedientiæ in exequendis Dei mandatis; in posteriori verò animæ per Adami peccatum lapsæ resurgendi, & ad perfectionem enitendi modum demonstrat.

De Isaac & anima liber.

6. *De Isaac & anima* liber unus, in quo eosdem edocens ex Isaaci cum Rebecca conjugio, ostendit animam Christiani hominis, dum renascitur in Baptismo, spiritualis matrimonii strictum cum Verbo inire fœdus; unde de Isaac & anima inscripsit librum istum.

De bono mortis liber.

7. *De bono mortis* liber unus, in quo inter alia ostendit, quod bonum sit, quæve mortis utilitas, quàmque parum timenda, & si quid metuendi, vel incommodi habeat, id non mortis, sed humanæ tribuendum infirmitati; & animarum immortalitate probata, agit potissimùm de earumdem post hanc vitam superioribus habitaculis, de quibus Esdræ lib. 4. cap. 7. vers. 32.

De fuga sæculi liber.

8. *De fuga sæculi* liber unus, in quo novos suos Christianos, ut Deo unicè adhæreant, ad sæculi fugam ejusque vanitatum impensiùs hortatur, ostendens inter alia, quid sit sæculum fugere, quàm utile, quàm gloriosum, & qua ratione mundum corpore non deserentes, animo possint ab illo procul fugere.

De Jacob & vita beata libri 2.

9. *De Jacob & vita beata* libri duo, in quibus de historia Patriarchæ Jacob, & de rebus ad beatam vitam spectantibus agit.

De Joseph Patriarcha liber.

10. *De Joseph Patriarcha* liber unus, qui nihil ferè aliud est, quàm mystica & moralis expositio eorum omnium, quæ de Patriarcha Joseph in Scriptura narrantur, à somniorum ejus narratione, ad ejusdem usque profectum ad venientis occursum patris.

11. De

11. *De Benedictionibus Patriarcharum* liber unus, in quo interpretatur benedictiones Patriarcharum, hoc est benedictiones illas, quibus Jacob in extremis positus, filiis suis, per *antonomasiam*, Patriarchis vulgò nuncupatis, omnia faustè comprecatus est.

De Benedictionibus Patriarcharum liber.

12. *De Elia & jejunio* liber unus, in quo cùm potissimùm agatur de jejunio, & occasione Eliani jejunii, ideò de *Elia & jejunio* inscriptus.

De Elia & jejunio liber.

13. *De Naboth Israelita* liber unus, in quo unus, vel duo sermones contineri videntur, quos in divites, à quibus immanissimè diripiebantur pauperes, pronuntiasse videtur Ambrosius, ex occasione historiæ Regis Achabi, & pauperis Naboth in Ecclesia tunc temporis lectæ.

De Naboth liber.

14. *De Tobia* liber unus, continens sermones aliquot, quos perlecto in Ecclesia Tobiæ libro, diversis diebus habuit Ambrosius, in quo egregia Tobiæ virtutum gesta perpendens, illud potissimùm extollit, quòd pecuniam *Gabelo* consanguineo suo commodatam, seu mutuo datam, nonnisi in obitu repetierit, indeque ex occasione, in usuram temporibus illis frequentissimam invehitur, tanquam in malum divina lege prohibitum.

De Tobia liber.

15. *De interpellatione Job & David* libri 4. in quibus examinat querelas à sanctis Job & David super humanæ vitæ miseriis habitas; unde de interpellatione, seu expostulatione, sive querela inscripti.

De interpellatione Job & David.

16. *Apologia Prophetæ David*, in qua ostenditur, quòd licèt sacræ litteræ Davidem in duplex incidisse crimen asserant, adulterii nimirùm, & homicidii; non esse tamen, unde quis offendatur; quia licèt illo utroque fuerit maculatus crimine, illud accelerata & prolixa pœnitentia delevit, sicque illum, quem Deus absolvit, jam nobis accusare non licet.

Apologia Prophetæ David.

17. *Apologia ejusdem Prophetæ* altera, quam non esse Ambrosii tenent multi, inter quos Bellarminus & Possevinus, tum ob styli diversitatem, tum quia Davidis adulterium, verum adulterium fuisse negat, & allegoricè sumendum esse docet Auctor ejus; cùm tamen Ambrosius in sua priori Davidis apologia, verum adulterium fuisse teneat, & pœnitentiam laudet, & extollat: hanc tamen, jure possessionis, Ambrosio tribuendam esse censent eruditi Germanenses Monachi, licèt liberum cuique de auctore ejus relinquant judicium.

Apologia ejusdem altera.

18. *Enarrationes in Psalmos* 12. variis temporibus ad populum habitæ.

Enarrationes in Psalmos.

19. *Expositio in Psalmum* 118. qua, ut sibi creditos Christianos ad perfectionem erudiat, Psalmum explicat istum omnium pulcherrimum, & præceptis moralibus refertum, qui incipit, *Beati immaculati in via, &c.*

Expositio in Psalmum 118.

20. *Expositio in Euangelium S. Lucæ*, quæ expositio decem comprehensa libris, nihil est aliud, quàm opus variis sermonibus constans, quibus populo suo sancti Lucæ Euangelium enodavit Ambrosius.

Expositio in Euang. S. Lucæ.

In secundo Tomo.

1. *De officiis Ministrorum* libri 3. in quibus quot periodi, tot sententiæ. Cùm Clericos suos viva voce ad pietatem formare sedulò studuisset S. Ambrosius; jam ne data præcepta ex animis paulatim diffluant, eadem eis hoc in opere tres in libros distincto, scripto mandat; digni sanè libri, qui legantur in omnibus Clericorum Seminariis, quosque in suis legi curaverat, dum viveret, S. Carolus Borromæus.

De officiis Ministrorũ libri 3.

2. *De Virginibus ad Marcellinam* sororem suam libri 3. Rogatus à Marcellina sorore Ambrosius, ut quos de virginitatis dignitate, ad Christianas puel-

De Virginibus libri 3.

puellas habuerat sermones, sibi absenti scripto mandatos transmitteret, ex illis hoc opus tres in libros divisum concinnavit, & petenti sorori transmisit, in quibus virginitatis dignitatem expendens, virgines informat, tum præceptis, tum variis illustrium Virginum exemplis.

De viduis liber.

3. *De Viduis* liber unus, in quo christianæ viduitatis excellentiam prædicans, ad eam christianè colendam viduas hortatur, propositis variis sanctarum viduarum exemplis.

De virginitate liber.

4. *De virginitate* liber unus, qui licèt de eodem argumento sit, diversus est à libro de virginibus.

De institutione virginis liber.

5. *De institutione virginis ad Eusebium* liber unus. Cùm virginem quamdam, cujusdam Eusebii Bononiensis neptem, de parentum consensu, solemni ritu ad aras consecrasset Ambrosius, eamque ex more pia oratione fuisset hortatus, eamdem orationem scripto mandatam, ad religiosum illum virum *Eusebium* transmisit, quem civem Bononiensem dicunt aliqui, sed meliùs Episcopum Bononiensem alii.

Exhortatio virginitatis.

6. *Exhortatio virginitatis*, seu liber unus, qui nihil est aliud, quàm alia ad virgines alias in alia occasione ad virginitatem exhortatio.

De lapsu virginis consecratæ liber.

7. *De lapsu virginis consecratæ* liber unus, quem alii ad virginem lapsam inscribunt, in quo vehementer objurgat puellam, quæ post promissam ad aras virginitatem, se semel & pluries vitiari permiserat ab impudico adolescente.

De Mysteriis liber.

8. *De Mysteriis* liber unus, in quo recens baptizatis, Baptismi & aliorum Sacramentorum rationem & cæremonias illis hactenus occultas declarat, unde *de Mysteriis* dictus.

De Sacramentis libri 6.

9. *De Sacramentis* libri sex, quorum idem est argumentum, sed fusiùs tractatum, ac libri præfati *de Mysteriis*.

De Pœnitentia libri 2.

10. *De Pœnitentia* libri duo, in quibus contra *Novatianos*, commissam Ecclesiæ absolvendorum quorumlibet criminum potestatem astruit, & ex occasione Christianos ad pœnitentiam invitat, ejusque partes & qualitates explicat.

De fide libri 5.

11. *De fide libri 5. ad Gratianum Imp.* in Orientem ire paratum, & exoptantem contra Arianos in fide firmari, & instructionibus imbui, missi; in quibus quid inter Catholicam fidem, & Arianæ sectæ perfidiam, discriminis sit, ostendit, & de Filii divinitate fidei Catholicæ doctrinam exponit à Gratiano rogatus Ambrosius.

De Spiritu Sancto libri 3.

12. *De Spiritu Sancto* libri 3. ad eumdem rogantem Gratianum missi, in quibus eum de Spiritus Sancti divinitate luculenter instruit.

De Incarnationis Dominicæ Sacraměto.

13. *De Incarnationis Dominicæ Sacramento* liber unus, in quo de Christo disserens, ejusque natura utraque, divina & humana, propositas ab hæreticis, præsertim ab Arianis, difficultates resolvit nonnullas.

Fragmentū ex Theodoreto desumptum.

14. *Fragmentum Ambrosianum ex Theodoreto desumptum*, in quo reperitur quædam fidei expositio, habens affinitatem cum libris de fide, & potissimùm de Incarnationis Dominicæ Sacramento, ut eruditi notant Editores Benedictini.

Epistolæ variæ.

15. *Epistolæ variæ numero 91.* in duas classes distributæ; prior classis continet 63. secundùm temporum rationem distributas; posterior verò reliquas.

De excessu fratris sui.

16. *De excessu fratris sui Satyri* libri duo, qui nihil aliud sunt, quàm duæ funebres Orationes ab Ambrosio in obitu fratris sui Satyri pronuntiatæ; in quarum priori, patente præsentis cadaveris facie, habita, laudat

laudat fratrem suum defunctum, & sui doloris, ac consolationis simul causas enarrat. In posteriori verò, septimo post obitum die, pronuntiata, omnium hominum conditionem magis expendit, & de fide resurrectionis agit.

17. *De obitu Valentiniani* consolatio, seu consolatoria & funebris oratio, qua Valentinianum, annò ætatis suæ 20. ex imperio, & vita raptum, prosequitur Ambrosius. De obitu Valentiniani.

18. *De obitu Theodosii oratio funebris*, qua Theòdosium magnum Mediolani defunctum commendat, præsente Honorio Theodosii filio, jam Occidentis Imperatore per patrem instituto. De obitu Theodosii.

19. *Hymni aliquot Ambrosiani*, inter quos sunt, v. g. *Æterne rerum Conditor*, &c. *Deus Creator omnium*, &c. *Æterna Christi munera*, &c. & alii. Hymni varii.

In tertio Tomo.

Sunt suppositi, vel dubii ejusdem sancti Ambrobi libri numero multi. Supposititia varia.

Objicies 1. Liber *de lapsu Virginis consecratæ*, seu ad virginem lapsam, continet expressum *Novatianorum* errorem, dum sic lapsam alloquens virginem, ait cap. 8. *Inhære pænitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit; quæ enim propriè contra Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die judicii expectare remedium.* Ergo S. Ambrosii non est liber iste, vel sibi non constaret S. Ambrosius, cùm alibi, in duobus de pœnitentia libris, hunc Novatianorum impugnet errorem. Resp. neg. ant. Ratio est, quia si hujusce libri auctor ibi Novatianorum doceret hæresim, qua ratione lapsam Virginem ita ad publicam stimulasset pœnitentiam, ut ei simul spem obtinendi veniam ab humana die eripuisset? 2. Quia is olim fuit Ecclesiæ mos quibusdam in Ecclesiis, atrocium quorumdam criminum reis, etiam in morte, veniam & reconciliationem negandi; sicque hujus lapsæ virginis flagitium potuit inter hujusmodi crimina reputari à S. Ambrosio, absque ulla erroris labe: unde si sic paulò duriùs locutus est Ambrosius, non alia de causa sic loqui voluisse dicendus, quàm ut majorem patrati sceleris incuteret horrorem, & lapsam vehementiùs ad pœnitentiam urgeret virginem. Novatianis non favet Ambrosius.

Objicies 2. Lib. 1. de Abraham, cap. 4. dicitur adulterium ante Legem Moysis non fuisse interdictum, ac proinde excusatur Abrahami ad ancillam accessus, sive adulterium cum illa commissum; sic enim ibi legitur: *Si consideremus primùm, quia Abraham ante Legem Moysis, & ante Euangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur.* Ergo vel Ambrosii non est liber ille, vel erravit Ambrosius. Resp. genuinum dici posse hunc Ambrosii librum, & in eo Ambrosii errorem esse nullum; ideò enim adulterium ante Legem Moysis non visum fuisse interdictum, scripsit Ambrosius, ut significaret illis temporibus circa adulterium talem fuisse ignorantiam, quæ licèt culpam non tolleret omninò, illam tamen non mediocriter minueret, id est vincibilem ignorantiam, quæ excusat, si non à toto, saltem à tanto, juxta celebres Theologos, & de qua dictum est, Luc. cap. 12. vers. 48. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hanc responsionem videntur innuere verba S. Doctoris dicentis: *Nondum interdictum adulterium videbatur.* Quia nondum Nec adulterium ante legem licitum dicit.

lege positiva vetitum erat, sed sola naturali, quæ poterat ignorari, non quidem ignorantia invincibili, sed vincibili; sicque non videri interdictum adulterium, quia, ut ait S. Eucherius Lugd. Episc. lib. de quæst. veteris Testamenti, *Quæ à Domino tunc non fuerant lege interdicta, adhuc non putabantur illicita*. Vide *Parisiensem sancti Ambrosii librorum editionem, studio & labore Monachorum Congregationis sancti Mauri luci publicæ datam, & notis eruditis illustratam, anno 1691.* Vide & *novam Script. Eccles. Biblioth.*

ARTICULUS XXIV.

De S. Joanne Chrysostomo. 407.

S. Chrysostomi patria, parentes, professio, consecratio, gesta, exilia, obitus, & scripta, qualia sunt.

SAnctus Joannes ob aureum eloquentiæ flumen *Chrysostomus* vulgari cognomine dictus, nobilibus & Christianis parentibus, patre videlicet *Secundo* & matre *Anthusa* Antiochiæ natus annò 354. *Libanii* Sophistæ in Rhetorica, & Andragathii celeberrimi in Philosophia discipulus fuit; qui post peracta sæcularia junioris ætatis studia, forum adire cœpit, ubi dum forensis oratoris officio magna cum laude fungi cœpisset, litigantium molestias & vitæ litibus rixisque plenæ propositum considerans, fori tumultibus præferens tranquillioris vitæ quietem, & sæcularia studia sacrarum literarum studio postponens, à foro ad eremum transiit, & ab eremo ad Clerum vocatus, ordinatur à *S. Meletio* Diaconus, & post quinque annos à *Flaviano* Meletii successore consecratur Presbyter Antiochenus anno 387. ubi cùm per 12. annos vitæ sanctitate, & variarum tum homiliarum, tum sermonum prædicatione clarus fulsisset, eoque tempore è vivis excessisset *Nectarius* Archipræsul Constantinopolitanus, ab Arcadio Antiochia accersitus Chrysostomus, ad sedem evehitur Constantinopolitanam, inauguratus Archiepiscopus anno circiter 398. Quo suscepto pastorali munere, cùm statim cœpisset varios Clericorum abusus coercere, Sacerdotum avaritiam increpare, divitum ac nobilium, etiam *Eudoxiæ* Imperatricis depravatos mores & vivendi licentiam arguere, post quinque sui Episcopatus annos, in Synodo ad Quercum juxta Chalcedonem habita, Theophili Alexandrini & aliorum Præsulum conjuratorum opera, *Eudoxiæ*que Imperatricis violentia, è sua sede perperàm & injustè detrusus est, & *Cucusum* Armeniæ minoris oppidulum exul abire jussus, unde paulò pòst mussitantis & conquerentis populi metu revocatus, & suæ sedi restitutus est.

Verùm cùm perditos eorumdem hominum mores arguere non desisteret, & ludos ad statuam Eudoxiæ Imperat. in foro *S. Sophiæ* divinorum officiorum horis fieri solitos prohiberet, iterùm suorum inimicorum artibus & invidia ab Arcadio relegatus, sicque exilium exilio, & locum loco mutans *Cucuso* tendit *Arabisum*, *Arabiso Pythiuntem* desertum & vicinum Pontici maris oppidulum, quò dum deportatur, in ipso itinere, itineris ardui labore fessus, febris ardore pressus, toto corpore malè sanus, à militibus dirè vexatus, & alia varia incredibilia passus, *Comanæ* tandem juxta Pontum Euxinum, post nonum sui Episcopatus annum, noctu in somnis apparente sibi *S. Basilisco* Martyre, & dicente: *Bono esto animo, & lætare frater Joannes, cras simul erimus*; dieque sequenti cùm jam immineret sui discessus

ſuæ hora, veſte qua induebatur depoſita & decentiori induta, celebrato Myſterio ſancto, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, & Deo propter omnia, ultima gratiarum actione peracta, muniens ſe crucis ſigno, ſanctam emiſit animam 14. Septembris die, anno Chriſti 407. ætatis verò circiter 52. vel 53. & ſic ad ſui ultimi exilii locum non pervenit, ut ei prædixerat *S. Epiphanius*, ſicut & Epiphanius ipſe in Cyprum navigando defunctus non ampliùs ſuam vidit ſedem, ut ei viciſſim prædixerat Chryſoſtomus; ſicque poſt laborum, moleſtiarum & perſecutionum curſus, extinctus eſt ſolo, & feliciter ortus cœlo ſplendidiſſimus ille Orientalis Eccleſiæ ſol Chryſoſtomus, relictis tamen tot quibus fulget adhuc in Eccleſia ſuæ doctrinæ radiis per varia librorum volumina diſperſis, ut ſe mille Chryſoſtomi libros vidiſſe dicat Nicephorus, in quibus, ſaltem in his qui ſuperſunt, & circumferuntur, ejus inſcripti nomine, ſtylus ejus ita elegans & facilis, ut non ſublimis ſit nec humilis, ſed terſus, blandus & amœnus; delectat enim Chryſoſtomus variis ſed congruis & oportunis digreſſionibus, ſimilitudinibus & metaphoris; nec tamen ut placeat, utitur interdum vel ſententiarum argutiis ut *Ambroſius*, vel poetarum illecebris & ſalibus ut *Hieronymus*, aut facetiis & jocis ut *Tertullianus*; ſed paterno potiùs & pio quodam juvandi ſtudio auditorum mulcet animos, & ad rerum divinarum amorem rapit & allicit.

Per hæc omnia ejus opera divagari & minutim examinare ſingula, non juvat. Criticum non ago, ſed Theologum, cui ſufficiat hìc genuina à non genuinis, & dubia à non dubiis notaſſe fideliter & paucis: Sunt autem

Genuina & indubitata S. Chryſoſtomi ſcripta.

1. *Homiliæ ferè omnes*, hoc eſt, homiliæ quotquot reperiuntur ſub nomine Chryſoſtomi; quales ſunt homiliæ in Geneſim, homiliæ in Pſalmos, in Iſajam, in Matthæum, in Joannem, in Acta Apoſtolorum, in Pauli Epiſtolas omnes, ſicut & homiliæ ad populum Antiochenum aliæ; hæ enim omnes, paucis exceptis infrà notandis, ut genuini Chryſoſtomi fœtus laudantur ab omnibus. *Homiliæ, in varios Scripturæ libros, variæ.*

2. *De ſacerdotio* libri ſex mirabiles, quos in eremo degens adhuc conſcripſit Chryſoſtomus ad familiarem ſuum condiſcipulum & amicum *Baſilium*, quem Baſilium Magnum fuiſſe cum *Sixto* Senenſi putant multi, & Baſilium Seleucienſem cum *Photio* credunt alii: huic quiſquis fuerit, tanquam amico & familiari his in libris eleganter & ſolidè ſe excuſat Chryſoſtomus, de declinata ſive repudiata ſacerdotali ſimul & Epiſcopali dignitate; cujus muneris implendi difficultatem explicans, non aliam ſibi fuiſſe talis fugæ cauſam, quàm propriæ imbecillitatis conſcientiam vivis coloribus depingens, qualis eſſe debeat Epiſcoporum cura, quàm arduum tremendumque ſit onus Epiſcopale, & quot quantiſque dotibus fulgere debeat Epiſcopus, docet: unde verè aurei & Epiſcoporum omnium attentione digni, iſti de ſacerdotio libri à Chryſoſtomo nondum ſacerdote conſcripti. *De ſacerdotio libri ſex ad Baſilium.*

3. *De compunctione cordis* libri duo. Rogatus à Demetrio viro Dei Chryſoſtomus, ut ſibi de compunctione cordis ſermonem texeret aliquem, hos duos eruditos & pios ſcripſit libros, in quibus eleganter & fuſè diſſerit de mediis quibus poſſit acquiri vel amitti, hoc eſt accendi vel *De compunctione cordis libri duo.*

extingui compunctio cordis, ostendens inter alia, quòd sicut impossibile est ut ignis inflammetur aqua, ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis.

De providentia Dei libri tres, ad Stargyrium.

4. *De providentia Dei* libri 3. ad Stargyrium Monachum, virum pium, sed abreptitium, turbatum, & ita angoribus afflictum, ut se à Dei providentia derelictum putaret; quem ut consolaretur Chrysostomus, & ad spem redigeret & firmaret, hos ad eum scripsit libros duos, quibus multis & doctis ostendit ei, eum ita affligi & angoribus probari, non esse Dei providentia permissum, nisi utilitati ejus vehementer expedire cognosceret Deus, ac proinde non divinæ derelictionis signum, sed econtrà specialis providentiæ & divini amoris argumentum esse, sicque eum gaudere potiùs & meliore esse animo debere, monet & ostendit.

De orando Deum libri duo.

5. *De orando Deum*, sive de oratione libri duo, in quibus eò præsertim tendit, ut omni Christiano assiduè Deum orandum esse probet, docens inter alia, *quòd sicut sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio: proinde si cæco damnosum est non intueri solem, quantò gravius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?*

De comparatione Regis & Monachi liber.

6. *De comparatione Regis & Monachi* liber unus, brevis quidem, sed aureus & verè Chrysostomicus; in quo comparans eum qui in verissima ac Christiana philosophia vitam degit monasticam, cum summo quoque hujus mundi Principe sive Rege, ostendit illius veri Monachi felicitatem, esse quorumcumque Regum, Principum ac Magnatum felicitate longè majorem.

Contra vituperatores vitæ monasticæ libri tres.

7. *Adversus vituperatores vitæ monasticæ* libri 3. in quibus vehementer & magnificè summa argumentorum vi, & pari sententiarum ubertate invehitur in eos, qui præsentis vitæ commodis & voluptatibus rapti monasticæ vitæ instituta carpere non desinunt, eosque qui ad ea sectanda hortari pergunt, undique exagitant, expellunt, exterminant; eisque sub ingentibus minis interdicit, ne quid omninò tale aut loqui aut docere præsumant.

Contra Gentiles liber unus.

8. *Contra Gentiles, seu in Babylam* liber unus, in quo ut Gentiles arguat & Christianismi, Christique servorum virtutem ostendat, Babylæ Antiochensis Episcopi & Martyris vitæ & passionis historiam describit mirabilem, quæ constanter egerit vivens, & quæ post obitum miracula narrans, ubi plura de Sanctorum reliquiis ait.

Sermones de variis argumentis varii.

9. *Sermones* de variis argumentis varii; quales sunt de sacris Feriis 32. qui reperiuntur in tertio tomo, quales & alii qui reperiuntur in quinto, ut sermo contra *Anomæos*, sermo contra hæreticos, & sermo de anathemate, in quo dicunt aliqui, sed falsò, ut infrà dicetur, Chrysostomum negare Ecclesiæ Prælatis jus excommunicandi, dum ibi contendit neque vivos neque mortuos anathemate plectendos esse, dicens post multa alia, *Dogmata enim impia & quæ ab hæreticis profecta arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.*

Epistolæ variæ, sed præsertim ad Innocentium primum duæ.

10. *Epistolæ* Joan. Chrysost. haud dubiè fuere quamplurimæ, sed ex his solæ reperiuntur septem istæ, videlicet,

Primò. *Ad Innocentium* Rom. Pont. hujus nominis primum una, in qua instruit eum de nefario & iniquo procedendi modo, quo Theophili Alexandrini factione fuerit perperam & injustè accusatus, judicatus, & expulsus, vique in navem conjectus per noctem, in exilium navigare coactus, lamen-

lamentantibus interim & lacrymantibus undique ob tam inaudita flagitia fidelibus.

Secundò. Est & ad eumdem altera, in qua gratias agit eidem summo Pontifici de vigilantia pastorali & benevolentia sincera, qua sibi condolere dignatur & solatium dare.

Tertiò. *Ad Cyriacum Episcopum* exulem una, qua exulem exul ipse consolatur Chrysost. hortans illum ad patientiam & ad deponendum mœrorem, quo angebatur de periculoso rerum Ecclesiæ statu. Ad Cyriacū Episcopum exulem una.

Quartò. *Ad Episcopos & Presbyteros* in carcere ob pietatem inclusos una, qua eos laudibus extollit magnificis ob præclara & heroica gesta, sed ob fortitudinem præsertim & constantiam. Ad Episcopos & Presbyteros una.

Quintò. *Ad Theodorum lapsum* una, qua suum ei de lapsu ejus, vivis coloribus depingit dolorem, vehementer & fusè hortatur illum, ut resipiscat & redeat; hunc Theodorum Ecclesiæ Mopsuestensis Episcopum, & Chrysostomi sub Libanio condiscipulum fuisse, censet Baronius. Ad Theodorum lapsum una.

Sextò. *Ad Eutropium epistolaris homilia* una. Erat autem Eutropius Eunuchus præpositus Imperatoris, Consulis dignitatem habens, sed ita crudelis & sævus, ut in quosdam qui ad Ecclesiam confugerant, animadvertere volens, operam dederit, ut Imperatoria lex poneretur jubens, ut nullus ad Ecclesiam confugeret, & qui jam confugerant extraherentur: sed in illum Dei sequutum est repentè judicium; nam post paucos dies cùm Eutropius ipse Imperatorem offendisset, inter refugas in Ecclesiam venit; Chrysostomus verò Episcopus Eutropio sub altari jacente, nimioque percusso timore, hanc in ipsum increpatoriam & epistolarem fecit homiliam, non ut ei insultaret afflicto, sed ut eos moneret, qui secundis navigant velis, ne fortè si non caveant, submergantur & ipsi; ipse verò interim sapiat, mitescat, & de præteritis doleat. Ad Eutropium una.

Septimò. *Ad Olympiam* illustrem fœminam, virginem simul ac viduam vitæ sanctimonia claram, *Nebridii* quondam sponsam, sed illibatam & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconissam, cui de ipsa patris communis absentia mœrenti vehementer & afflictæ, hanc prolixam, sed elegantem scribit exul Chrysost. epistolam, ut mœrorem ejus dissolvat & tollat, & narrans ei suas ex itinere molestias hortatur eam, ut omni deposito mœrore Deum glorificet & laudet, eique pro tot angoribus & molestiis gratias agat. Ad Olympiam illustrem virginem & viduam una.

11. *Liturgia* denique, seu sacra incruenti Christi sacrificii celebrandi formula, sive Missa, genuinum S. Joan. Chrysost. censetur opus, quo Constantinopolitana utitur Ecclesia, in qua fateor in usu erat olim, & est interdum adhuc hodie certis diebus *S. Basilii* Liturgia; sed quia hæc, deficiente in populis pietatis fervore, nimis prolixa dicebatur, novam istam multò breviorem Chrysostomus texuit, teste *S. Proclo* in opusculo *de traditione divinæ Missæ* sic expresè dicente: *Pater ille noster aurea præditus lingua Joannes, de ovium salute ut pastorem decet, strenua cura solicitus, naturæ humanæ socordiam ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices satanici prætextus hujus prorsus voluit evellere, & idcircò multa præcidit & concisiori pressiorique oratione sacrum conficiendum constituit, ne sensim homines qui libertatem quamdam & inertiam quàm maximè amplectuntur, fallacibus adversarii rationibus decepti, ab hujusmodi Apostolica hac & divina absterriti traditione, eam omitterent*; & ista Chrysostomica Liturgia per annum utitur hodie Constantinopolitana Eccle- Liturgia denique una.

sia, licèt in certis quibusdam diebus, ut in Dominicis Quadragesimalibus, & in festo S. Basilii utatur adhuc Basiliana.

Dubia & supposititia Chrysostomi scripta.

Sex ex homiliis in Genesim dubiæ.

1. *Homiliæ nonnullæ*, præsertim sex ex homiliis in Genesim Chrysostomo adscriptis, quales sunt primò, homilia 1. in caput 2. Genes. quæ incipit, *Dignitas humanæ originis*. Secundò: Homilia 2. in idem caput 2. Genes. quæ incipit, *Deus institutor mundi*. Tertiò: Homilia 3. in idem caput quæ incipit, *Jubetur Adam*. Quartò: Tres homiliæ aliæ in caput 3. ejusdem Genes. quarum prima incipit, *Deus sine initio*, 2. *Quoties mecum*, & 3. *Christiano cum hoste*. Hæ inquam sex & aliæ nonnullæ à Sixto Senensi notatæ lib. 4. Bibl. sanctæ censentur ab eo, à Bellarm. & aliis non esse Chrysostomi, tum quia non sapiunt Chrysostomi stylum & phrasim, tum quia in his, præsertim in secunda in caput 2. Genes. referuntur duo integra capita ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cujus auctor est Gennadius Massiliensis Chrysostomo recentior.

Homiliæ 14. in Marcum.

2. *Homiliæ* 14. *in Marcum*, quæ reperiuntur in 2. Chrysostomi tomo, censentur pariter non esse S. Joan. Chrysostomi, sed pii & ignoti cujusdam Monachi ad fratres suo in Cœnobio sacrum Euangelium explicantis; idque colligunt Sixtus Senensis in sua Bibl. sancta, Bellarminus in catal. Script. Eccl. & alii eruditi cum ipsis, ex variis homiliis illis, præsertim ex 3. quam sic concludens ad suos Monachos ait: *Quia solent aliquanti fratres dicere, si in Cœnobio mansero, solus orare non possum, numquid Dominus noster dimittebat discipulos? utique erat cum discipulis, sed quando volebat orare intensiùs, solus secedebat: & nos ergo si volumus orare plusquam in publico habemus cellulam, habemus agros, habemus deserta, possumus & virtutes habere de fratribus, &c.*

Opus imperfectum in Matthæum.

3. *Celebre opus in Matthæum*, opus imperfectum vulgò dictum, quia non ad finem usque, sed solùm ad vigesimumquintum Matthæi caput usque perductum, sub nomine Chrysostomi laudatum, ac ejus inter opera tomo 2. relatum, & in homilias 54. divisum; quamvis sit eruditum, & demptis erroribus, non spernendum opus sed laudabile, non esse tamen S. Chrysostomi sed auctoris cujusdam hæretici, vel ab hæretico corruptum esse censent eruditi communiter omnes, & colligunt primò ex eo quòd hæretica dogmata contineant plura; nam inter alia, primò homilia 3. auctor animam aquæ baptismo sanctificari & Spiritum Sanctum recipere negat. Secundò: Homilia 4. Spiritum Sanctum Filii ministrum vocat. Tertiò: Homilia 7. baptisma hæreticorum irritum esse docet. Quartò: Homilia 25. solam animam & non corpus esse de substantia hominis asserit. Quintò: Homilia 48. homousianos Filium Patri consubstantialem docentes, hæreticos dicit, & alia similia plura, quæ non sapiunt Catholicam fidem, nec consequenter S. Joan. Chrysostomi doctrinam: & secundò ex eo colligi potest Chrysostomi non esse opus istud, quia nulla erat ratio Chrysostomo, cur de eodem argumento, hoc est in Matthæum scriberet, qui jam in Matthæum tot scripserat homilias, sive sermones.

Anathematizandi potestatem non impugnat, sed defendit

Objicies 1. S. Joan. Chrysost. sermone, sive homilia *de anathemate*, ubi docet, neque vivos, neque mortuos esse anathemate plectendos, videtur negare Ecclesiæ Prælatis excommunicandi seu anathematizandi potestatem, dum ait: *Quid ergo illud quod anathema tu dicis eum qui oblatus*

est

est diabolo, nec ultra regionem salutis inhabitat, sed alienus est à Christo? heus tu! qui tantæ auctoritatis, qui tantam tibi usurpas potentiam: & infrà circa finem, *Dogmata enim impia & quæ ab hæreticis profecta arguere & anathematizare oportet; hominibus autem parcendum & pro salute ipsorum orandum*. Ergo vel non est Chrysostomi sermo ille, vel in eo erravit Chrysostomus. Resp. neg. ant. &c. quia ibi Prælatos Ecclesiæ non alloquitur Chrysostomus, sed è suis Antiochenis aliquos nulla in Ecclesia auctoritate insignitos, & sibi mutuò anathema dicentes. Illud constat ex tempore & loco quibus hunc sermonem habuit Chrysostomus; habuit autem illum Antiochiæ, & eo tempore, quo post *S. Meletii* obitum, Flaviani & Paulini schisma durabat, & Antiochenos duas in partes scindebat, quorum alii Flaviano, alii Paulino adhærebant; sicque scissi, & inter se calore partium exasperati sibi mutuò anathema dicebant, hoc est, hi qui Flaviani partis erant, Paulini sectariis anathema dicebant, & vicissim; ignorantes quid dicebant, ut patet ex eodem S. Chrysost. ibidem circa initium sic dicente: *En specto viros qui nullum ex sacris literis germanum, imò nihil omninò sacrarum literarum tenent, & ut pleraque transeam, nam erubesco dicere, furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc uno tantùm audaces, quòd dogmata statuunt, & anathema declarant ea quæ maximè ignorant*. Ex quibus manifestum est S. Chrysostomum non intendisse negare Ecclesiæ Prælatis excommunicandi, aliasque censuras ferendi potestatem, quam illis adstruit homilia 17. in Matth. & homilia 7. ad eosdem Antiochenos habita, in qua eò unicè tendit, ut pro defunctis non esse lugendum, sed orandum, ostendat, juxta monitum Pauli dicentis ad Thess. 1. cap. 4. vers. 12. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent*, hoc est, Gentilium more, quod cùm multi facerent, eos alloquens Chrysostomus ait: *Quicumque voluerit irascatur, eos ab Ecclesia multum temporis arcebo*: & infrà; *Si quis autem arrogans contemnit, audiat Christum nunc quoque dicentem: Si quis in te peccaverit, vade, corripe eum inter te & ipsum solum: si verò non audierit, assume tecum unum vel duos; si autem & ita contradicat, dic Ecclesiæ; si verò nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus* .... & iterùm infrà; *Si quis autem nostra contemnit vincula, rursum eum Christus corrigat, dicens: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*: & adhuc infrà; *Ignoscite mihi, nec ullus Ecclesiastica despiciat vincula; non enim qui ligat est homo, sed Christus, qui nobis hanc contulit potestatem*. Quo nil clarius ad excommunicandi, aliasve censuras ferendi potestatem Ecclesiæ Prælatis adstruendam. Vide *Palladium, Leonem Imp. Cassiodorum, Metaphrast. Suidam, & alios qui vitam Joan. Chrysostomi descripsere*. Vide *Hieron. in cat. de Script. Eccl. Photium cod. 25. Sigibert. Trith. Sixtum Sen. Baron. Bellarm. &c.*

Chrysostomus.

Objicies 2. S. Chrysostomus, homil. 4. in 1. cap. Gen. contra communem DD. mentem, tenet unicum esse Cœlum, dum ait: *Et nemo ea lingua dicit cælum, sed cæli, & idcircò dictum est quod à beato David dictum, Cæli cælorum, non quòd multi sunt cæli; non enim hoc nos docuit beatus Moyses; sed quia mos est linguæ Hebraicæ unam rem nominare plurali numero; quia si multi essent, non omisisset Spiritus Sanctus per linguam Prophetæ, quin & illorum formationem nos doceret*; ergo in hoc erravit, vel hoc opus non scripsit Chrysost. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia, ut ait

Nec unum tantùm, sed plures admittit cœlos.

S. Thom. 1. quæst. 68. art. 4. in corp. *S. Chrysostomus unum cælum nominat totum corpus, quod est supra terram & aquam; nam etiam aves quæ volant in aere, dicuntur propter hoc volucres cæli; sed quia in isto corpore sunt multæ distinctiones, propter hoc Basilius posuit plures cælos*, & cum Basilio DD. cæteri.

Nec Dei visionem intuitivam possibilem esse negat, sed affirmat.

Objicies 3. S. Chrysost. videtur negare, possibilem esse visionem Dei intuitivam, dum homil. 14. in Joan. super illud Joan. cap. 1. vers. 18. *Deum nemo vidit unquam*, ait: *Nam id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli .... Deum videre est impossibile, quia nemo eum novit, nisi Filius*: ergo & in hoc erravit, vel hanc non scripsit homiliam Chrysost. Resp. neg. ant. quia de Dei visione comprehensiva loquitur ibi S. Chrysost. non de intuitiva, quam possibilem esse tenet, non semel, sed passim, & præsertim dum in parænesi ad Theodorum lapsum, cap. 7. exponens illud Petri, *Bonum est nos hìc esse*, ait: *Quid dicemus, quando regiis cubilibus adapertis, intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, nec per ænigma, sed facie ad faciem, non ampliùs, inquam, per fidem, sed per speciem?*

Nec confessionis auricularis necessitatem rejicit, sed admittit.

Objicies 4. Cum hæreticis S. Chrysost. necessitatem confessionis auricularis apertè negare videtur, dum homilia 2. in Psalmum 5. ait: *Non dico ut confitearis conservo tuo qui exprobret, dicito Deo*; ergo & in hoc graviter erravit, vel hoc non scripsit. Resp. neg. ant. quia non de sacramentali, sive secreta, sive publica confessione loquitur ibi S. Chrysost. sed solùm de ritu illo externo publica peccata publicè confitendi; hoc est de confessione illa publica de publicis peccatis, ex præscripto Pœnitentiarii facienda, quæque sacramentalis non erat confessio, sed solùm pars satisfactionis, à Pœnitentiario imposita in sacramentali confessione prævia: qui ritus externus sic publicè confitendi, ex præscripto Pœnitentiarii *Exomologesis* dici solebat. Quòd autem de illa, & non de auriculari loquatur, patet ex eo quòd dicat, *Non dico ut confitearis conservo tuo qui exprobret*: sciebat enim Chrysost. Sacerdotem, cui sacramentalis & secreta fit confessio, secretum violare non posse, & peccata extra confessionem pœnitentibus exprobrare. 2. Dici potest quòd licèt hæc dicat Chrysost. tamen per hoc non excludit confessionem sacramentalem Sacerdoti secretò faciendam, cùm confiteri Sacerdoti secretò & sacramentaliter, non sit confiteri homini ut homini, sed homini Dei locum tenenti, & Christi Vicario, ac proinde non conservo, sed Domino Deo facta censeri debet secreta & sacramentalis confessio.

Et si vanam gloriã in B. V. ponit, in hoc excessit, ait S. Thom.

Objicies 5. S. Chrysost. homilia 45. in Matthæum exponens illud, cap. 12. vers. 47. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*, ait: Beatam Virginem id dixisse ex vana gloria. Et iterùm homilia 20. in Joannem exponens illud, *Vinum non habent*, Joan. cap. 2. vers. 3. ait: Id dixisse ut seipsam clariorem faceret per Filium; quod de beata Virgine cogitare nefas; ergo in hoc lapsus est Chrysostomus. Resp. 1. cum S. Thoma, 3. quæst. 27. art. 4. ad 3. dicendo, *quòd in verbis illis Chrysostomus excessit*; possunt tamen sic exponi, ut intelligatur dixisse, non quòd reipsa fuerit in beata Virgine ullius inanis gloriæ motus, sed solùm quia reverà esse æstimare potuissent alii, ideò ei sic respondit Christus paulò severiùs, dicens: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Non ut matrem contemneret Christus, quod absit; sed ut eam admoneret, ne id ampliùs tentaret, &

mira-

miracula similia peteret his in circumstantiis, sicque occasionem tolleret aliis. Vide *S. Hieron.* in cat. *Photium* in Bibl. *Sigib. Socr. Sozom. Theod. Trith. Sixt. Senen. Baron. Bellarm. &c.*

ARTICULUS XXV.

De sancto Hieronymo. 420.

S. Hieronymi patria, parentes, studia, peregrinationes, secessus, obitus, & scripta qualia sunt.

HIeronymus Ecclesiæ Pater & Doctor sanctissimus, anno Christi circiter 329. *Stridone*, sito in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus oppido, à Gothis quondam everso, è Christianis & honestis parentibus ortus, statim à primis annis, pia parentum cura, primis & ætati congruis literis, sanctisque moribus imbutus, Romam velut ad urbem tam eruditione, quàm Religione primam ulteriùs erudiendus missus est, ubi sub Donato Grammatico Magistro literas Græcas didicit simul & Latinas; nec liberalibus solùm studiis Romæ, sed & Religioni ita vacare solebat, ut quod supererat studiis tempus Religioni, & quod Religioni residuum erat liberalibus studiis impenderet. Romæ sæcularibus disciplinis ad plenum eruditus, & Christo in fide renatus, ad Theologiam altioraque studia alia adjiciens animum, antiquorum exemplo Philosophorum Pythagoræ, Platonis, & aliorum, qui discendi gratia varias invisere mundi regiones, in Gallias primùm tendit, Galliarum lustravit oras, vicinasque provincias alias; inde moribus non minùs locuples quàm literis in Syriam secessit, in sanctis Jerosolymæ locis aliquandiu mansit; inde in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam Ciliciamque transiit, Tharsi aliquandiu mansit amore Pauli, sicut & nonnihil temporis Antiochiæ, gratia Petri; utque tutiùs Christo serviret, & securiùs ac expeditiùs ad cœlorum regna volaret, Monachi vitam ducere selegit, & Eremi deserta petiit, quam in vastam Syriæ solitudinem (in qua degebat nemo, præter sparsos hinc inde Monachorum greges & latitantes undique feras, serpentes & scorpiones, aspides, lacertos atque bufones,) secum detulit insignem illam Bibliothecam, quam sibi summo studio, impendioque magno Romæ paraverat, & Roma Jerosolymam transferri curaverat; idque ne orationi lectio, & lectioni deficeret oratio. Hac in Eremo corpus jejuniis & spiritum studiis excrucians, Hebraicam cœpit discere linguam, ipsi si credamus dicenti: *Dum essem juvenis & solitudinis me deserta vallarent, cuidam fratri qui ex Hebræis crediderat, me in discipulum dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, quæ passus sum, quàm eorum qui mecum duxerunt vitam; & gratias ago Domino quòd de amaro semine literarum dulces fructus carpo*. Hac in solitudine, teste Mariano; permansit quadriennio, è qua Arianorum persecutione dejectus Antiochiam Jerosolymamque rediit, ibique Antiochiæ degens & trigesimum jam percurrens ætatis annum, à Paulino Antiocheno Præsule Presbyter est ordinatus, & exinde post relictam Eremum, ordinem presbyteratus susceptum, & auditum aliquandiu, tunc Constantinopoli degentem, *Gregorium* Nazianzenum fama celebrem præceptorem suum, Romam ad Damasum accessit.

Ex Ep. ad Dam. 57. & 58.

Ep. 4. ad Rusticum.

Ro-

Romæ quàm charus fuerit *Damaso* Romano Pontifici, quàm charus omnibus, vix dici posset! Ad eum ex Urbe concurritur undique: aliis in eo sanctitas, aliis doctrina, aliis comitas, aliis placet urbanitas, omnibus humilitas. Illum sibi adjutorem, ut Petro Paulum, à Deo venisse putat Damasus, illi emergentia Fidei Religionisque dubia discutienda tradit, & discutit, resolvit & exponit: ille enim instante Damaso vetus Testamentum, & omnium primus ex Hebræo Latinum fecit, & novum ex Græco græcæ fidei reddidit ac emendavit; & præter Commentaria quæ diversis temporibus & locis edidit varia, in omnes ferè divinæ Scripturæ libros Romæ degens, & eodem urgente *Damaso*, Origenis interpretationem in Cantica canticorum è Græca Latinam effecit. Quid esset *Hosanna*, quid prodigi filii parabola significaret, aperuit. *Blæsillæ* Paulæ filiæ Salomonis Ecclesiasten legit, ut eam ad mundi contemptum provocaret, & omnia quæ sunt in mundo, ei pro nihilo reputanda suaderet. *Marcellæ* Hebraica Dei nomina decem exposuit; insuper quid esset *Alleluja*, quid *Amen*, quid *Maranatha*, quid *Diapsalma*, quidve Psalmus centesimus vigesimus sextus significaret, explicuit. *Paulæ* inter alia Hebraicum alphabetum exhibuit & exposuit: sicque vir sanctus has & alias quamplurimas & insignes ad sanctioris vitæ propositum duxit fœminas, inter quas celebres fuere *Marcella*, *Melania*, *Asella*, *Albina*, *Lea*, *Blæsilla*, *Marcellina*, *Eustochium*, & aliæ; sed præ cæteris præstantior *Eustochii* & *Blæsillæ* mater *Paula*.

Contingente *Damasi* Romani Pontificis obitu, anno Christi 383. Roma discedens Hieronymus in Syriam rediit, Jerusalem tendit & ad sancta selectaque sibi Bethlehemitica loca feliciter ductus est; ubi dum severioris Monachi vitam agit, solo victu contentus & vestitu in cella perseverans, in duro non in mollibus cubans, corpus sola maceratione, & spiritum oratione, aut lectione recreans, & studiis indefessè vacans, nunc vertendo, nunc commentando, nunc in hæreticos scriptionis ense pugnando; dum, inqnam, sic solitarius suo in Bethlehemitico fixus solo, quasi suo sol in cœlo radiat, ejus sanctitatis eruditionisque fama ita totum per orbem diffusa volat, ut ad illum quasi ad oraculum quisque undequaque, vel festinando, vel scribendo recurrat.

Illum ex Africa, Africæ sol illuminans alios *Augustinus* consulit & interrogat *de origine animæ*, mittens *Orosium* & *Alipium*. Ad illum à Gallia properat, & cum eo sex mensibus habitat, ut quod nescit ab eo discat *Severus Sulpicius*. Ad illum pro multarum quæstionum solutione petenda, Apodemium cum literis misere *Hedibia* & *Algasia* nobiles ex ultimis Galliæ finibus ortæ fœminæ; miserunt pariter ad illum ex Getarum & Germaniæ finibus duæ non minùs insignes aliæ, *Suria* videlicet & *Fretela*, quærentes ex Hebræo textu breviter erudiri, circa discordantia nonnulla latina græcaque Psalmorum exemplaria. Ad illum non semel ex Urbe miserunt *Pammachius* & *Oceanus*, rogantes vel ut Hæreticos refelleret, vel ut dubia proposita solveret. Ad illum undique scripserunt & alii, tantusque ad illum erat quæstionum ac litterarum in scribendo vel rescribendo concursus, ut ipse scribens Paulino dicat: *Uno ad Occidentem navigandi tempore tantæ à me epistolæ flagitantur, ut si cuncta ad singulos velim scribere, occurrere nequeam.* (*Ep. ad Paulinum 153.*)

Sed tandem in loco sancto vir sanctus meritis plenus, senio gravis & penè decrepitus, post tot lustratas regiones atque provincias, post tot pro Ecclesia vigi-

vigilias, labores atque ſudores, poſt tot reſoluta dubia, ſolutas quæſtiones, reſponſa data, volumina conſcripta, poſt hæreticos varios, præſertim *Vigilantium*, *Helvidium*, *Jovinianum*, *Luciferianos*, *Pelagianos*, *Origeniſtas*, & alios feliciter confutatos, poſt tot & tam ſanctè eruditas, & in ſanctioris vitæ propoſito firmatas, inſignes virgines atque matronas, feliciter tandem anno Chriſti 420. & ætatis ſuæ anno 91. ſanctam emiſit animam vir ille ſanctiſſimus, & ob linguarum, Hebraicæ videlicet, Chaldaicæ, Græcæ, & Latinæ peritiam & uſum, jure meritò à S.Proſpero metricè dictus:

Hebræo ſimul & Graio Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique Magiſter.

Qui tot erudita, utilia & ſancta reliquit Eccleſiæ ſcripta novem in tomos editionis Pariſienſis anni 1604. à Mariano Victorio Reatino Epiſcopo Amerino diſtributa, è quibus quæ genuina ſint & indubitata, quæve ſuppoſititia vel dubia, meliùs neque certiùs cognoſci poteſt, quàm ex ipſomet ea recenſente Hieronymo, in ſuo ad *Dextrum* de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro.

Sunt autem omnia S.Hieronymi ſcripta, vel laudatoria, aut hortatoria; vel polemica, ſeu contra hæreticos; vel exegetica, ſeu ſacrarum Scripturarum expoſitoria; & hæc omnia in novem tomos à *Mariano* Victorio ita reperiuntur diſtributa, ut in 1. tomo reperiantur laudatoria, in 2. tomo polemica, & in 3. 4. 5. & 6. exegetica, & in 7. 8. & 9. colligantur dubia vel ſuppoſititia. Hìc non juvat diſcutere ſingula, licèt utilia & erudita omnia, ſed ſelectiora dumtaxat, & apud Theologos vel contra hæreticos celebriora nonnulla, qualia ſunt ſubſequentes epiſtolæ variæ.

Laudatoria S.Hieronymi ſcripta, ſeu epiſtolæ hortatoriæ, vel laudatoriæ ſive funebres.

Laudatoria. Ut

1. *Ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ* exhortatoria epiſtola, qua Heliodorum amicum ſuum & intimum ad vitam ſolitariam multis hortatur & peramanter; cùm enim in Syriæ ſolitudinem cum Hieronymo acceſſiſſet *Heliodorus*, conatus eſt eum ut propoſiti ſocium retinere Hieronymus, ſed fruſtrà; unde quem præſentem retinere non valuit, abſentem hac epiſtola quærit, ſic incipiens: *Grandes materias ingenia parva non ſuſtinent, & in ipſo conatu ultra vires auſa ſuccumbunt, &c.*

Ad Heliodorum de laude ſolitudinis epiſtola.

2. *Ad Nepotianum de vita Clericorum*, qua Nepotianum Heliodori ex ſorore nepotem inſtruit, ut rogaverat, de vita Clericorum & Sacerdotum, *Petis à me, Nepotiane chariſſime, literis tranſmarinis, & crebrò petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi, & qua ratione is, qui ſæculi militia derelicta presbyter, vel Monachus cœperit eſſe, vel Clericus, rectum Chriſti tramitem teneat, ne ad diverſa vitiorum diverticula rapiatur.*

Ad Nepotianum de vita Clericali.

3. *Ad Ruſticum* profeſſione Monachum de vivendi forma, ſeu cui vivendi formam Monacho dignam præſcribit.

Ad Ruſticum de vita Monachali.

4. *Ad Lætam* de inſtitutione filiæ, ſeu ad Lætam *Texotii* Paulæ vetulæ filii viduam, cui præſcribit modum inſtituendæ filiæ Paulæ, ſibi ex Texotio marito, & Paulæ aviæ filio relictæ.

Ad Lætam de inſtitutione filiæ.

5. *Ad*

Ad Demetriadem de virginitate.

5. ***Ad Demetriadem*** nobilem & divitiis insignem virginem Romanam de virginitate, seu cui modum vivendi & virginitatis servandæ tradit Hieronymus, à Juliana matre & Proba Demetriadis avia rogatus.

Ad Salvinam de obitu mariti.

6. ***Ad Salvinam*** nobilissimam mulierem *Gildonis*, qui Africam tenuit, filiam, & *Nebridii* ex sorore Augusta nati viduam, qua consolatur eam de mariti obitu, & instruit de modo regendi parvulos ex eo relictos, & viduitatis ad mortem usque servandæ.

Ad Furiam de viduitate.

7. ***Ad Furiam*** ex *Læto* Consulari & Patricio Camillorum generis patre & *Titiana* matre natam, quam marito viduatam valdè juvenem adhuc hortatur, & eleganter instruit ad viduitatem cum pudicitia & fama servandam.

Ad Ageruchiam de monogamia.

8. ***Ad Ageruchiam*** de monogamia, seu in qua Ageruchiam viduam *Celerini* filiam à secundis dehortatur nuptiis, omnia quæ in contrarium opponi possent, refellens argumenta.

Ad Gaudentium de educanda Pacatula.

9. ***Ad Gaudentium***, ut doceat eum, quomodo sit educanda infantula *Pacatula* virginitati jam destinata, licèt rudis adhuc & tenera.

Ad Celantiam de institutione matrisfamiliæ.

10. ***Ad Celantiam*** de ratione piè vivendi, hoc est, rogatus Hieronymus, aut potiùs *Paulinus*, cujus hæc creditur epistola, instruit *Celantiam* nobilem matronam de modo inter honores, divitias, & matrimonii curas, piè sanctèque vivendi.

Ad Marcellam de laudibus Asellæ.

11. ***Ad Marcellam de laudibus Asellæ***, hoc est, Asellam Albinæ filiam & Marcellæ sororem in utero matris benedictam, & post duodecimum ætatis annum, vitam monasticam Romæ professam laudat hac in epistola, quam ad Marcellam scribit Hieronymus, ut ejus exemplo cæteras adolescentulas ad hujusmodi vitæ normam invitet.

Ad Principiam Marcellæ epitaphium.

12. ***Ad Principiam*** virginem Marcellæ viduæ epitaphium. Defunctam laudat hac in epistola Marcellam nobilem Romanam Albinæ filiam, quæ septimo à nuptiis mense marito viduata alioque rejecto, ab Athanasio Petroque Alexandrinis Episcopis edocta, omnium prima monasticam vitam professa est Romæ, ubi à S. Hieronymo instructa cum Principia sanctissimè vixit, & hoc unum inter alia memorandum præstitit, quòd Origenistarum hæresim ex Urbe depulerit, & Jerusalem pietatis ac Religionis causa convolaverit.

Ad Marcellam ut commigret Bethlehem.

13. ***Ad Marcellam eamdem*** altera, qua Paula & Eustochium, quæ jam in monasterio Bethlehemitico degebant, Marcellam nobilissimam fœminam iterùm hortantur & invitant, ut relicta Roma veniat, dicentes, inter alia: *Tu quæ prima scintillam nostro fomiti subjecisti, quæ ad hoc studium nos & sermone hortata es & exemplo, & quasi gallina congregasti sub alas pullos tuos, nunc nos liberè absque matre volitare pateris, & accipitris pavere formidinem, & ad omnem umbram prætervolantium avium formidare.*

Ad Eustochium de acceptis munusculis.

14. ***Ad Eustochium*** de acceptis munusculis una, qua respondet Hieronymus epistolæ sibi in die S. Petri Apostoli ab Eustochio missæ, cum munusculis nonnullis, inter quæ erant cerasa, ut indicant ipsa Hieronymi ad illam verba: *Accepimus & canistrum cerasis refertum talibus, & tam virginali verecundia rubentibus, ut ea nunc à Lucullo delata existimarim; siquidem hoc genus pomi, Ponto & Armenia subjugatis, de Cerasunte primus Romam pertulit, unde & de patria arbor nomen accepit.*

Ad Marcellam de acceptis munusculis.

15. ***Ad Marcellam*** de acceptis munusculis; miserat quippe Marcella Hieronymo, Paulæ, Eustochio, virginibusque in Paulæ monasterio degentibus, sellas, saccos, cereos, culices & muscaria, quibus abiguntur mu-

muscæ, cui respondet Hieronymus, hæc omnia in animæ documentum sanctè explicans ac festivè.

16. *Ad Eustochium de custodia virginitatis*, seu modum virginitatis custodiendæ docet Eustochium; sola enim Eustochium ex omnibus Paulæ nobilis apud Romanos matronæ liberis virginitatem professa, matrem usque ad Bethlehem secuta est, & eam nunc docet Hieronymus, quomodo sit virginitas servanda. Ad Eustochium de custodia virginitatis.

17. *Ad Marcellam de ægrotatione Blæsillæ*. Blæsillam Paulæ filiam, & Eustochii sororem laudat, quòd amisso viro validaque monita febre, se totam ad Christum convertens monasticam cœperit inire vitam. Ad Marcellam de ægrotatione Blæsillæ.

18. *Ad Marcellam* de exitu *Leæ* religiosissimæ fœminæ & monasterii Præfectæ, cujus mortem laudat, comparatque cum morte Consulis Designati infidelis hominis eodem tempore defuncti, assignatque quantum sit discrimen inter Sanctorum & Ethnicorum exitum, sive mortem. Ad Marcellam de exitu Leæ.

19. *Ad Paulam super obitu Blæsillæ filiæ*, hoc est, consolatur Paulam de amissa Blæsilla primogenita filia, & filiæ vitam laudat & obitum, sic incipiens: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo? non ut Jeremias vir vulneratos populi mei, nec ut Jesus miseram Jerusalem, sed plorabo sanctitatem, misericordiam, innocentiam, castitatem, plorabo omnes pariter in unius morte defecisse virtutes, non quòd lugenda sit illa, quæ abiit; sed quòd nobis impatientibus sit dolendum, qui talem videre desivimus, &c.* Ad Paulam super obitu Blæsillæ.

20. *Ad Pammachium* consolatio super obitu Paulinæ uxoris. Pammachium nobilem juvenem *Paulinæ* Paulæ & Texotii filiæ maritum alloquens, amissam uxorem laudat, & ipsum, quòd amissa uxore, se totum divino cultui tradiderit, & opes suas pauperibus erogaverit, ut in tam sancto proposito perseveret, vehementer hortatur. Ad Pammachium de obitu Paulinæ.

21. *Ad Eustochium virginem*, epitaphium *Paulæ* matris. Laudat hìc Paulam nobilissimam Romanæ civitatis matronam, patre Rogato & Blæsilla matre, ex Corneliorum & Gracchorum familiis ortam, uxorem Texotii, ex quo quatuor peperit filias, videlicet *Blæsillam*, *Paulinam*, *Eustochium* cognomento *Juliam*, & *Ruffinam*, & præter has, Texotium filium; quæ mortuo marito, se totam Christo tradens, Monachæ vitam professa est Romæ per quinque annos, & inde Jerusalem profecta, sedensque Bethlehem per 20. annos, post condita tam pro viris quàm pro fœminis monasteria, sanctissimè obiit, & de ejus obitu Eustochium filiam relictam monasterii Præfectam consolatur, & matrem laudat, sic incipiens: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ at venerabilis Paulæ virtutibus dicerem, &c.* Ad Eustochium Paulæ matris Epitaphiū & laus.

22. *Ad Oceanum* epitaphium Fabiolæ. Hìc *Fabiolam* nobilem Romanam, quæ viro ob adulterium dimisso, alteri perperam nupsit, laudat S. Hieronymus, quòd post elutum publica pœnitentia delictum, ad Christum conversa sanctè vixerit, & facultatibus in pauperes distributis, post reditum è sanctis Jerosolymæ locis obierit. Ad Oceanum Epitaphium Fabiolæ.

23. *Ad Innocentium de muliere septies icta*. Narrat hìc historiam cujusdam mulieris, quæ Vercellis à viro adulterii falsò fuit accusata, & ad mortem à judice damnata, sed quæ à carnifice gladio septies icta mori non potuit. Ad Innocentium de muliere septies icta.

24. *Vita Pauli Eremitæ*, hoc est historia vitæ Pauli illius celebris, à quo primùm habitari cœpit Eremus, qui patria quondam Thebæus, annos Vita sancti Pauli.

natus

natus circiter quindecim, accusatus à sororis marito, quòd Christianus esset, sub Decio & Valeriano persecutoribus fugiens erenum petiit, ibique mira sanctitate vixit & obiit, cujus vitam describens Hieronymus, eam sic concludens, ait: *Obsecro quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris, cui si Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm Regum purpuras cum pœnis suis.*

Vita S. Hilarionis. 25. *Vita S. Hilarionis*, id est historia pariter S. Hilarionis Monachi & magni ac celebris Antonii discipuli, in qua quàm sanctè & austerè vixerit, quantisque etiam latitans claruerit miraculis ostendit; ejus panegyrim breviter scribit, dum sic incipiens, ait: *Scripturus vitam beati Hilarionis, habitatorem ejus invoco Spiritum Sanctum, ut qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat.*

Vita Malchi. 26. *Vita Malchi*, hoc est historia vitæ Malchi, ex Maronia Syriæ vico orti Monachi, qui dum à parentibus cogeretur ad nuptias, fugit in eremum, ut Monachus fieret, & in eremo ex Monacho à Saracenis captus fit captivus, sed ex captivo tandem ad Monachos reversus, ut ipse jam senex narravit S. Hieronymo adhuc juveni; sicut & Hieronymus narravit nobis dicens in fine: *Hæc mihi senex Malchus adolescentulo narravit, hæc ego vobis narravi senex, & castis historiam castitatis expono.*

Catalogus de Scriptoribus Ecclesiasticis. 27. *Liber de viris illustribus*, sive catalogus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad *Dextrum* prætorio præfectum & amicum, à quo rogatus hunc texuit Auctorum Ecclesiasticorum librum Hieronymus, & de quo ipse Desiderio scribens, ait: *Scripsi librum de illustribus viris ab Apostolis usque ad nostram ætatem, imitatus Tranquillum Græcumque Apollonium, & post Catalogum plurimorum me quoque in calce voluminis quasi abortivum & minimum omnium Christianorum posui, ubi mihi necesse fuit usque ad decimum quartum annum Theodosii Principis, quæ scripserim, breviter annotare.*

Polemica. Ut

Polemica S. Hieronymi scripta, seu Epistolæ, sive libri contra hæreticos, vel calumniatores editi.

Contra Helvidium de perpetua B. M. Virg. liber unus. 1. *Contra Helvidium* liber unus, de perpetua Virginis Deiparæ Virginitate. Librum conscripserat Helvidius Auxentii Ariani & Mediolanensis Episcopi discipulus, Hieronymoque coævus, in quo impiè docebat contra communem Ecclesiæ doctrinam, B. Mariam Christum peperisse Virginem, sed posteà cum Marito congressam alios peperisse filios, qui fratres Domini fuere dicti; huncque suum firmabat errorem ex iis perperam intellectis Scripturæ verbis apud Matth. cap. 1. dicentis, *Antequam convenirent, inventa est in utero habens; & iterùm, Non cognovit eam Joseph, donec peperit filium suum primogenitum.* Unde inferebat B. Mariam, post Christum genitum, fuisse à Joseph carnaliter cognitam, & alios ex eo peperisse filios, qui fratres Domini ideò vocantur à Judæis, dicentibus Matth. cap. 12. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Quem errorem hìc non minùs facundè quàm eruditè jugulat Hieronymus; quamvis jam sufficienter, sed propheticè jugulatum ab Ezechiele cap. 44. dicente, *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Contra Jovinianū libri duo. 2. *Adversus Jovinianum* libri duo. Jovinianus Romanæ urbis Monachus, sed Monachatu rejecto in varios errores lapsus, docebat inter alia, vir neque doctus neque disertus, 1. Virginitatem non præstare Matrimonio.

nio. 2. Eos, qui verè baptizati fuerant, in peccatum relabi non posse; quos errores hac in disputatione duos in libros divisa, summa ingenii vi & eruditione profunda confutat Hieronymus.

3. *Pro his adversus Jovinianum libris apologia ad Pammachium* epist. 5. Rogatus à Pammachio Paulæ genero & amico suo, olimque condiscipulo Hieronymus, ut nonnulla quæ quibusdam nimis durè in matrimonium videbantur dicta in libris adversus Jovinianum, explicaret, illud hac in epistola apologetica præstat. Epistola Apologetica pro his ad Pammachium.

4. *Ad Domnionem* apologeticon, seu epist. 51. qua in epistola, ad Domnionem amicum suum respondens Hieronymus, invehitur in Monachum quemdam, qui suos in Jovinianum arguebat libros, quasi in illis de matrimonio detraxisset vir sanctus; mirisque jocis illum sursum, deorsumque ferit. Ad Domnionem pariter una.

5. *Ad Pammachium* pro libris suis adversus Jovinianum epist. 52. in qua laudat Pammachium Hieronymus, quòd suorum, quibus multi offendebantur, librorum exemplaria occultaverit; sed quia id fieri non poterat ubique, mittit pro eis apologeticon illi. Ad Pammachium altera.

6. *Adversus Vigilantium ad Riparium Presbyterum* epist. 53. monitus à Ripario, quòd *Vigilantius* natione Gallus, Barcinonensis Ecclesiæ in Hispania Presbyter, Martyrum Reliquias nec venerandas esse, nec ad eorum sepulchra in Ecclesiis vigilandum esse diceret, respondet S. Hieronymus, hanc hæresim generatim & quasi præludendo perstringens, promittens se fusiùs responsurum, si hæretici præfati librum miserit. Contra Vigilantiũ ad Ripariũ epistola.

7. *Adversus Vigilantium* liber unus, in quo missum à *Ripario* & *Desiderio Vigilantii* librum acriter confutat Hieronymus. Vigilantius autem ille vir in divinis Scripturis imperitus, eloquens tamen & argutus, hoc in suo libro Cleri cœlibatum improbabat, Martyrum Reliquias venerandas esse negabat, & ad eorum sepulchra vigilare prorsus inutile docebat, & cereos in Ecclesiis accendi lucente sole ridebat, & Monachorum in solitudine fugam vituperabat, aliaque similia damnabat, quæ omnia hoc in libro fusè refellit & acriter vir sanctus. Contra Vigilantiũ liber unus.

8. *Ad Marcellam adversus Montanum* epist. 54. qua, rogatu Marcellæ eruditissimæ fœminæ, breviter explicat idem Hieronymus, qui fuerint errores Montani viri natione Phrygis dicentis: 1. Spiritum Sanctum à Christo promissum, in se, *Priscam*, & *Maximillam* insanas fœminas descendisse. 2. Unam tantùm in Trinitate personam admittentis. 3. Secundas nuptias immundas & ut adulteria reputantis. 4. Tres in anno, ex præscripto Quadragesimas observari volentis. 5. Confessionem peccatorum spernentis, nec lapsos ad pœnitentiam admittentis. Ad Marcellam contra Montanum epistola.

9. *Orthodoxi & Luciferani dialogus*, in quo adversus Luciferanos à *Lucifero* Calaritano in Sardinia Episcopo dictos, per dialogum disputans Hieronymus sub nomine *Orthodoxi*, asserit Episcopos, qui cum Ario senserant Episcopatu nequaquam dempto, recipiendos esse, contra ipsum Luciferum, cujus præcipuus error in hoc erat, quòd se à communione eorum separaverit, qui Episcopos Arimini lapsos etiam sub satisfactione receperant Antiochiæ, ubi exul erat; adeò enim infensus Arianis erat Lucifer vir Catholicus, ut ob tale in illos odium in hunc errorem sit lapsus, & ipse ut Episcopos lapsos & ab Ariano lapsu redeuntes sub nulla pœnitentia vel satisfactione, nisi deposito Episcopatu, suscipiendos esse doceret, & Arianorum baptisma ita improbabat, ut baptizatos ab eis rebaptizandos esse Adversus Luciferianos per dialogum disputatio.

esse teneret: & inter disputandum enarrat Hieronymus, quomodo pro sarcienda pace abolitum sit *Usiæ* nomen in Ariminensi Concilio, quando in cæteris se consentire cum Catholicis Ariani finxerunt; & quomodo tunc *Nicænæ fidei conclamata damnatio, & totus ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est.*

Ad Avitum quid cavendum in libris Periarchon. 10. *Ad Avitum* epist. 59. qua, *quæ sint in libris Origenis* περὶ ἀρχῶν à se versis, impiè dicta, & à legentibus cavenda ad Avitum scribens declarat, quia Ruffinus malè verterat Origenis libros illos, addens mutilansque aliqua, ut quæ in his erant hæretica, excusaret, & Origenem legendum cunctis ingereret, eosdem à Pammachio rogatus denuò vertit Hieronymus nihil immutans: verùm ut sine periculo legi possent, quæ in his sint impiè dicta, & cavenda, ad Avitum eruditè declarat.

Ad Joannem Jerosolymitanum de ordinato presbytero. 11. *Joanni Episcopo Jerosolymitano* Epiphanii epistola 60. ab Hieronymo versa, in qua excusat se Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus & S. Hieronymi amicus, Joanni, quòd Presbyterum ordinaverit ejus in diœcesi, ipso non consulto; deinde, ut ab Origenis erroribus, quos multos interea recenset, hortatur ut caveat: cur denique velum præ foribus Ecclesiæ pendens fregerit, in quo depicta erat cujusdam hominis imago, rationem reddit.

Ad Pammachium contra errores Joan. Jerosolym. 12. *Ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani* epist. 61. monitum ab Epiphanio Joannem Jerosolymorum Episcopum ne Origenis sequeretur errores, & nihilominus tamen ejus octo præcipuas foventem hæreses, hìc eum apertè reprehendit Hieronymus, & eorum, quos speciatim recenset, reum esse convincit, ejus præsertim, qui contra carnis resurrectionem erat.

Ad Theophilum côtra Joan. Jerosolym. 13. *Ad Theophilum adversus Joannem Jerosolymitanum* epist. 62. Literas miserat Theophilus Alexandrinus Episcopus ad Hieronymum, & cum eo degentes Monachos ad pacem cum Joanne Jerosolymitano exhortatorias, quibus nunc respondens vir sanctus asserit se ad fractam resarciendam amicitiam & pacem paratum esse, modò Christianè & amicè, non vi & comminationibus extorqueatur; defenditque suam latinam versionem, suique in Presbyterum ordinationem Monachi.

Ad Pammachium & Oceanū contra Ruffinum. 14. *Præfatio Ruffini in libros* περὶ ἀρχῶν *Origenis*. Hos libros verterat Ruffinus, & in suæ versionis præfatione ita concinnat Origenem, ut ab adscriptis erroribus purgatum, & tanquam Catholicum cunctisque legendum, & Hieronymum econtrà Origenistam obtrudat, & hæc fuit origo dissidii inter Hieronymum & Ruffinum. Videntes *Pammachius & Oceanus* duo amici, Hieronymum ex illa Ruffini præfatione & multorum rumore, ut Origenistam haberi, rogant ut se ab his purget suspicionibus, ne si dissimulaverit, consentire videatur. *Pammachio & Oceano* respondens, has calumnias & suspiciones diluit Hieronymus; utque se Origenem non sequi ostendat, ejus prodit errores, & Ruffini versionem, ejusque pro Origene defensionem arguit.

Ad Ruffinum. 15. *Ruffino epist.* 66. Ruffino respondens Hieronymus reconciliatam amicitiam à se non læsam, sed dilutum tantum sibi objectum crimen ait; cùmque obliquis & figuratis Ruffini laudibus in suspicionem hæresum Origenis traheretur, monet eum ne se simili posthac extollat præconio.

Ad Pammachium & Marcellinum contra Ruffinum. 16. *Ad Pammachium & Marcellinum* adversus Ruffinum epist. 67. apologia tres in libros divisa; in quorum primo crimina sibi rursus à Ruffino, recrudescente inimicitiæ vulnere objecta, de iis per amicos certior

factus

factus refellit & diluit Hieronymus. In 2. Ruffini invectivam sub nomine apologiæ Anastasio Papæ missam confutat; & in ultimo Ruffini literis ad se velut excusatoriis missis respondet.

17. *Ad Ctesiphontem adversus Pelagium* epist. 68. Rogatu Ctesiphontis, Pelagii dogmata refellere incipiens Hieronymus, promittit se fusiùs, cùm per otium licebit, præstiturum, ut re ipsa tribus sequentibus præstat libris. Ad Ctesiphontem contra Pelagium.

18. *Dialogorum adversus Pelagium* libri 3. cum procemio in eosdem adversus Pelagium dialogos, quibus ut promiserat Ctesiphonti, Pelagii refellit errores. Contra Pelagium libri tres.

Exegetica S. Hieronymi scripta, seu Epistolæ Exegeticæ, sive sacrarum Scripturarum Expositoriæ, vel Quæstionum Resolutoriæ. Exegetica, Ut,

1. *Ad Paulinum* Presbyterum epistola, de singulis divinæ Scripturæ libris. Ab illo siquidem per literas salutatus Hieronymus, & de vitæ sanctioris proposito certior redditus, sanctum propositum laudat, sacrarum literarum cognitionem suadet, utque rebus familiaribus citò dispositis, omnibusque pro Christo relictis ad Christum nudus evolet, vehementer hortatur, sic exordiens: *Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit simul & suavissimas literas, quæ à principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, & veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantùm corporum, non subdola & palpans adulatio; sed Dei timor, & Divinarum Scripturarum studia conciliant, &c.* Ad Paulinum de singulis divinę Scripturæ libris epistola.

2. *Ad Desiderium* in Pentateuchum Præfatio. Rogatus per literas à *Desiderio* ut Pentateuchum ex Hebræo in Latinum transferret sermonem, quàm post Septuaginta Interpretes id facere periculosum sit opus, aperit; verùm quia illud veluti necessarium præstitit, quorum exemplo ad faciendum opus sit animatus, & quàm manca Septuaginta Interpretum editio fuerit, ostendit. Ad Desiderium in Pentateuchum Præfatio.

3. *Ad Chromatium in librum Paralipomenon Præfatio*, sive epistola qua *Chromatio* respondens ait, non se ab illo frustrà rogari, ut post Septuaginta Interpretes sacros ex Hebræo vertat libros; quippe cùm nedum manca, sed etiam vitiata sit Septuaginta Interpretum editio, sic enim ait: *Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem, &c.* Ad Chromatium in Paralipomenon Præfatio.

4. *Ad Chromatium & Heliodorum Episcopos*, in Tobiam epistola 110. & altera ad eosdem quæ est 115. in Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum. In priori, quomodo rogatus ab eis, Tobiæ librum ex Chaldæo sermone transtulerit, exponit; in posteriori verò scribit eisdem, quomodo studiis aliis & corporis ægritudine detentus, non potuerit eis, ut poposcerant, Commentarios in Osee, Amos, Zachariam & Malachiam scribere, seque nomini eorum tridui opus consecrasse, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, quæ sunt Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum, incipitque sic: *Jungat epistola quos jungit sacerdotium; imò charta non dividat, quos Christi nectit amor, &c.* Ad Chromatium & Heliodorū in Tobiam, &c.

Ad Paulam & Eustochium epistolæ 3.

5. *Ad Paulam & Eustochium* epistolæ tres, quarum prima est 116. & Præfatio in Ecclesiasten, quem ex Hebræo transtulit, & translationem olim Romæ Blæsillæ promisisset, Paulæ & Eustochio, morte rapta Blæsilla, dicat, sic incipiens: *Memini me ante hoc fermè quinquennium cùm adhuc Romæ essem, & Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem, ut eam ad contemptum mundi hujus provocarem, & omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea ut in morem commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere quæ legebat; itaque quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, & ubi non meruimus, ò Paula & Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc percussus obmutui, & nunc in Bethlehem positus, angustiore videlicet civitate, & illius memoriæ, & vobis reddo quod debeo.*

Altera quæ est numero 117. & Præfatio in Isajæ translationem ex Hebraica veritate, & in qua quodnam sit Isajæ dicendi genus, & quantum in Prophetia is emicuerit, ubi & de quibus prophetaverit explicat, dicens inter alia: *Primùm de Isaja sciendum, quòd in sermone suo disertus sit: quippe ut vir nobilis & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admixtum. Unde accidit, ut præ cæteris, florem sermonis ejus, translatio non potuerit conservare. Deinde hoc etiam adjiciendum, quòd non tam Propheta dicendus sit, quàm Euangelista. Ita enim universa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere.*

3. Quæ est numero 121. & Præfatio in duodecim Prophetas, qua Paulam & Eustochium alloquens, monet eas non eumdem esse ordinem duodecim minorum Prophetarum apud Hebræos, ac apud nos, addens inter alia: *Quia longum est nunc de singulis dicere, hoc tantùm vos ò Paula & Eustochium admonitas volo, unum librum esse duodecim Prophetarum.*

Ad Damasum præfatio in Euangelia.

6. *Ad Damasum* epistola quæ est 123. & Præfatio in quatuor Euangelia, in qua, quomodo post tot in orbe dispersas veterum editiones, novum ad ejus preces è Græco verterit Testamentum, qua lingua Euangelistæ scripserint, & quis eorum ordo, *Damaso* narrat, blandè conquerens & dicens: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam: & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate, decernam. Pius labor, sed periculosa præsumptio, judicare de cæteris, ipsum ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum, &c.*

Ad Damasum de 5. quæstionibus ex Genesi.

7. *Ad Damasum* altera, quæ est numero 125. qua respondens *Damaso* per literas excitanti, ad respondendum de quinque quæstionibus ex Genesi motis, omissis duabus quæstionibus primis, velut à quibusdam Scriptoribus aliis ante se planè explicatis, ad tres posteriores per capita distinctas ordinatè satisfacit. Quæstiones autem illæ erant 1. quid sibi vult quod in Genesi scriptum est, Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet? 2. Si omnia Deus fecit bona valdè, quare Noe de mundis & immundis animalibus præcepit, cùm immundum nihil bonum esse possit? 3. Cur Deus loquitur ad Abraham Genes. 15. quòd quarta progenie filii Israel essent de Ægypto reversuri, & posteà Moyses scribit Exod. 12. quinta autem progenie filii Israel exierunt de terra Ægypti: quod utique nisi exponatur, videtur esse contrarium? 4. Cur Abraham fidei suæ signum in Circumcisione suscepit? 5. Cur Isaac vir justus & Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit deceptus errore, benedixit?

8. *Ad*

8. ***Ad Euagrium*** epistola numero 126. qua respondens Hieronymus Euagrio, Melchisedech non Spiritum Sanctum, aut Angelum, sed hominem fuisse, & ex Hebræorum sententia eundem cum *Sem* Noe filio, & *Salem*, cujus Rex fuit, non Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim esse narrat. Ad Euagrium.

9. ***Ad Fabiolam de 42. mansionibus*** epistola numero 127. in qua quadraginta duas percurrens mansiones, per quas mutatis castris ex Ægypto ad terram promissam populus pervenit Hebræus, & spiritualiter explicans eas, pro itinere quo ex hoc mundo festinandum ad Cœlum, opus dicat memoriæ Fabiolæ insignis Romanæ fœminæ, dudum illi jam viventi promissum. Ad Fabiolam de 42. mansionibus.

10. ***Ad Fabiolam eamdem de vestitu Sacerdotum*** epistola altera, quæ est numero 128. in qua post explicata varia de victimarum partibus sancita, vel summis Sacerdotibus in veteri Lege præscripta, singulas vestium species quibus tam majores quàm minores illius temporis uterentur Pontifices, mysticè, doctè simul & eleganter exponit. Ad eamdem de vestitu sacerdotum.

11. ***Ad Dardanum de Terra promissa*** Præfatio, sive epist. 129. in qua *Dardano* respondens, inter alia, terram Hebræis promissam spiritualiter pro Cœlesti patria, non pro terrestri Judæa Regione accipiendam esse multis ostendit, sic incipiens: *Quæris Dardane Christianorum nobilissime, & nobilium Christianissime, quæ sit Terra repromissionis, quam Judæi redeuntes ex Ægypto possederunt, cùm à Majoribus jam fuerit possessa, ac proinde non sit promissa, sed reddita; his enim verbis uteris in calce epistolæ tuæ, quòd interrogans videris illud sentire, quod plurimis nostrorum placet, aliam repromissionis Terram esse quærendam, de qua & David loquitur in Psalm. 26. vers. 13. Credo videre bona Domini in terra viventium: & Dominus in Euangelio Matth. cap. 5. vers. 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c.* Ad Dardanum de Terra promissa.

12. ***Ad Marcellam*** epistola quæ est 130. qua per literas à *Marcella*, nobili apud Romanos fœmina, rogatus Hieronymus, quid sit *Ephod*, *Bat*, & quid *Theraphim* apud Hebræos, breviter explicat. Ad Marcellam quid sit Ephod explicans.

13. ***Ad Ruffinum*** epistola 131. in qua provocatus à Ruffino Hieronymus, historiam de jurgio duarum mulierum meretricum, Salomonis judicio sapienter extricato, per allegoriam interpretatur de Ecclesia ex Gentibus congregata, & Judæorum Synagoga. Ad Ruffinum de Salomonis judicio.

14. ***Ad Vitalem*** epistola 132. qua ad secundam Vitalis respondens epistolam, docet pro vero credendum esse Salomonem & Achaz, quod Scriptura commemorat, undecimo ætatis anno filios genuisse, cùm similia quædam & majora etiam monstra, unum intereà ex proposito referens, fuisse credantur, & hujusmodi fuerit horum Regum vita, ut alia eis evenisse credendum sit. *Multa & alia*, inquit, *dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, & tamen vera sunt*; posse tamen alia ratione Scripturæ id asserenti responderi, ut neque id verum fuerit, nec ipsa mentiatur, ex aliis annis, qui sibi dum regnarent, non adscriberentur, viventibus patribus. Ad Vitalem.

15. ***Ad Sophronium*** epistola numero 134. ad Sophronii preces, Psalmos ex Hebræo vertens Hieronymus, Sophronium instruit de Psalterii distinctione, de Psalmorum Auctoribus & titulis, dicitque se eos fideliter & ad genuinum sensum post interpretes alios vertisse. Ad Sophronium de Psalmis à se versis.

16. ***Ad Suniam & Fretelam*** epistola 135. quia *Sunia* & *Fretela* ex Geta- Ad Suniam & Fretelam

interrogantes de variis Scripturæ locis.

rum & Germaniæ finibus scripserant Hieronymo, notantes ex Psalterio loca multa, in quibus tam Græca quàm Latina discordant exemplaria, obsecrantes, ut ipse ex Hebræo quænam illorum esset veritas declaret; quibus Hieronymus respondens ut satisfaciat, ipsa loca notata sigillatim discutienda percurrit, explicans minutim omnia non minùs accuratè quàm doctè, sic interim exordiens : *Verè in vobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est, In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormientibus, imò contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur in veritate? cognovi quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi, &c.*

Ad Marcellam, Dei nomina decem explicans.

17. *Ad Marcellam* epistolæ tres aliæ, quarum 1. est 136. altera 137. & tertia 138. in prima Marcellæ explicat Hieronymus decem nomina, quibus apud Hebræos præcipuè designatur Deus; in altera quid significent apud Hebræos *Alleluja*, *Amen* & *Maran Atha*, quæ sunt nomina etiam apud Latinos usu recepta; & in tertia denique quid *Diapsalma* significet, breviter exponit.

Decem autem nomina illa Dei Hebraica, quæ explicat in prima illa ad Marcellam epistola, numero 136. sunt ista ; *El*, *Eloha*, *Elohim*, *Sabaoth*, *Elion*, *Heje*, *Adonai*, *Jah*, *Saddai*, *Jehova*. *El* idem est ac Fortis; *Eloha*, Deus singulariter ; *Elohim*, Deus pluraliter, seu est plurale nominis *Eloha*, & quo utuntur Hebræi majoris honoris causa ; *Sabaoth*, idest Exercituum, & hoc non est nomen, sed cognomen, unde semper jungitur cum alio nomine, nempe cum *Adonai*, & dicitur *Adonai Sabaoth*, id est Dominus Exercituum ; *Elion*, Excelsus ; *Heje*, Qui est ; *Adonai*, Dominus; *Jah* nomen Deo proprium & abbreviatum *Jehova* ; *Saddai*, id est Sufficiens, munificus, omnipotens ; *Jehova* est nomen Dei primarium constans quatuor litteris, nempe *Jod*, *He*, *Vau*, & *He*, unde Tetragrammaton dicitur, & significat ipsam ineffabilem Dei essentiam, unde & ineffabile vocatur, nec profertur ab Hebræis nisi sacerdotibus reverentiæ causa.

Ad Cyprianum.

18. *Ad Cyprianum* epistola 139. in qua Psalmum octogesimum nonum cujus initium est, *Domine refugium factus es nobis*, Cypriano presbytero ad fidem Hebraicæ veritatis piè, breviter & eleganter exponit.

Ad Principiam explicans Psalm. 44. qui est, *Eructavit cor meum, &c.*

19. *Ad Principiam Virginem* epistola, quæ est numero 140. in qua Psalmum quadragesimum quartum, qui incipit, *Eructavit cor meum verbum bonum*, & in quo canitur epithalamium Christi sponsi Ecclesiæque sponsæ, doctè exponit & eloquenter Principiæ Romanæ virgini, se interim, ac muliebrem sexum priùs à calumniis defendens, & incipiendo dicens : *Scio me, Principia in Christo filia, à plerisque reprehendi, quòd interdum scribam ad mulieres, ac fragiliorem sexum maribus præferam ; & idcircò debeo primùm obtrectatoribus meis respondere, & sic venire ad disputatiunculam quam rogasti : si viri de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer; si Barac ire ad prælium voluisset, Debbora devictis hostibus non triumphasset, &c.*

Ad Damasum epist. 3. de trisagio & filio prodigo.

20. *Ad Damasum Papam* epistolæ tres aliæ, quarum una est 142. altera 143. & tertia 146. in quibus duabus primis visionem de Seraphim, & trisagio cæterisque, quæ in sexto Isajæ narrantur capite, doctè ac piè docto ac pio viro *Damaso* scribens exponit, post explicatam prius Oziæ

regis

regis historiam. In tertia denique parabolam Euangelicam de filio prodigo, & filio frugi, de Gentili & Hebræo populo ab eodem Damaso rogatus explicat.

21. *Ad Amandum Presbyterum* epistola 147. in qua piè ac eruditè respondet Hieronymus de quibusdam quæstionibus sibi ab Amando Presbytero propositis, nimirum 1. quid significet illud Euangelicum, *Nolite soliciti esse de crastino; sufficit enim diei malitia sua*. 2. Illud, *Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. 3. Illud, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*. Et 4. *An uxor Sodomitam virum relinquere, & alteri nubere possit?* Ad Amandum varia explicans proposita.

22. *Ad Hebidiam* epist. 150. in qua 12. quæstiones de Scripturis sibi ab *Hebidia* nobili apud extremos Gallos exorta fœmina propositas, misso in Bethlehem Apodemio, non minùs piè quàm eruditè post laudatam fœminam sigillatim enucleat & explicat, sic incipiens: *Ignota vultu, fidei mihi ardore notissima, de extremis Galliæ finibus in Bethlehemitico rure latitantem ad respondendum provocas de sanctarum quæstiunculis Scripturarum per hominem Dei, filium meum Apodemium, commentariolum dirigens*. Ad Hebidiam propositaresolvens dubia.

23. *Ad Algasiam* epistola una numero 151. qua non minùs eruditè resolvit & explicat undecim quæstiones sibi ex novo Testamento propositas ab *Algasia*, nobili alia ex ultimis Galliarum finibus orta fœmina: miserat quippe *Algasia* simul cum *Hebidia* Apodemium in Bethlehem usque ad Hieronymum; *Hebidia* ut duodecim, *Algasia* ut undecim alias proponeret quæstiones. Hebidiæ satisfecit Hieronymus in præcedenti epistola; jam Algasiæ satisfacit & respondet in ista. Ad Algasiam 11. resolvens quæsita.

Suppositia vel dubia quæ Hieronymo tribuuntur scripta.

1. *Traditiones, seu quæstiones Hebraicæ in libros Regum & Paralipomenon*, quæ habentur in tertio tomo, non videntur esse S. Hieronymi, cùm ipsemet Hieronymus in catalogo de Scriptoribus Eccles. sua omnia recenseat scripta, etiam quæstiones Hebraicas in Genesim, de illis tamen profundè sileat. Quæstiones Hebraicæ.

2. *Commentaria in Threnos, sive Lamentationes Jeremiæ ad Eusebium*, quæ in quarto tomo reperiuntur, non Hieronymi, sed Rabani esse creduntur, cùm inter opera Rabani inveniantur, & legantur in illis sententiæ nonnullæ ex Gregorio Magno, Hieronymo longè posteriore, collectæ. Commentaria in Threnos.

3. *Commentaria in Psalmos omnes* tomo 7. inserta, S. Hieronymi esse putat Bellarminus, & solùm ab aliquo auctore, Hieronymo posteriore, adaucta & interpolata; sed Hieronymi esse absolutè negant alii, 1. quia in illis plura docet auctor S. Hieronymo contraria; nam in iis v. g. dicit auctor Psalmum 89. Moysis non esse, & tamen Moysis esse contendit S. Hieronymus. 2. In illis auctor in Psalm. 16. citat Eucherium, S. Hieronymo longè posteriorem. 3. Quia stylus eorum non sapit Hieronymum. Commentaria in Psalmos.

4. *Commentaria in Job ad Vecterium*, quæ in octavo inseruntur tomo, non S. Hieronymi, sed *Bedæ* esse contendit Bellarminus, ex eo quòd *Vecterius* ille longè post S. Hieronymum, & tempore *Bedæ* Anglicani, Anglicanæ Episcopus esset Ecclesiæ. Commentaria in Job.

Commentaria in Pauli epistolas. 5. ***Commentaria in omnes Pauli epistolas*** ejusdem tomi, non S. Hieronymi, sed Pelagii vel Pelagiani hominis esse colligunt eruditi, ex eo quòd Pelagiana dogmata contineant plura, & dicat S. August. lib. 3. de peccatorum meritis & remiss. se legisse brevia Pelagii commentaria in omnes Pauli epistolas.

Et alia in tomo nono inserta. 6. *Plurima* quæ in tomo reperiuntur nono, non S. Hieronymi, sed aliorum esse indicant tituli, nimirum *Eusebii Cæsariensis*, *Ruffini*, *Augustini*, *Gennadii & aliorum*.

7. Plurimas etiam epistolas in eodem tomo insertas, quales sunt ad *Demetriadem*, *ad Geruntii filias*, *ad Amicum*, *ad Desiderium*, imò & *Symbolum ad Damasum*, quod incipit *Credimus*, non Hieronymi, sed Pelagii esse cum Bellarmino opinantur eruditi.

Defenditur ab objectis Hieronymus. Objicies 1. Inter alia S. Hieronymus Doctor sanctissimus, fuit Origenis laudator, & sectator, teste *Ruffino*, in sua in libros περὶ ἀρχῶν præfatione; ergo & errasse cum Origene censendus Hieron. Resp. Accusatum quidem fuisse à *Ruffino* de Origenismo Hieronymum, sed accusationi fuisse responsum ab Hieronymo epist. 65. ad *Pammachium & Oceanum* sic expressè dicente: *Objiciunt mihi quare Origenem aliquando laudaverim: ni fallor, duo loca sunt in quibus eum laudavi, præfatiuncula ad Damasum in Homilias Cantici Canticorum, & prologus in librum Hebraicorum nominum ..... laudavi interpretem, non dogmatistem, ingenium, non fidem, Philosophum, non Apostolum; quòd si volunt super Origenem meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios, replicent in epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent me semper ejus dogmatibus contraiisse.*

Epist. 65. ad Pammach. & Oceanum. Instabis. Accusatur ab iisdem Hieronymus quòd Origenis libros supra cunctos homines congregaverit, ut legeret; ergo & quòd illius sectator fuerit. Resp. Accusatum quidem fuisse, sed ad hoc, ipsum pariter ibidem respondisse & abundè satisfecisse dicendo: *Quod autem opponunt, congregasse me libros illius super cunctos homines: utinam omnium tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii, lectionis diligentia compensarem: congregavi libros ejus, fateor; & ideò errores non sequor; quia scio universa quæ scripsit. Credite experto: quasi Christianus Christianis loquor, venenata sunt illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia.*

Objicies 2. Arguitur Hieronymus à S. Augustino, quòd loquens de illa Petri & Pauli discordia, de qua ad Galatas, cap. 2. dicat, non veram, sed simulatam, fictamque fuisse discordiam, conventumque fuisse inter illos, ut Petrus se judaizare simularet, Paulus verò Petrum judaizantem se reprehendere fingeret, sicque Apostolos mendacio usos fuisse aliquo, videtur Hieronymus docere. Resp. 1. Hanc fuisse quidem S. Hieronymi sententiam, post Origenem, Didymum, Apollinarem, Chrysostomum, & alios eruditos Ecclesiæ Græcæ viros, ideò illam amplexos, ut faciliùs Porphyrio blasphemanti responderent, & Paulum excusarent, quem procacitatis arguebat, quòd in Petro Apostolorum Principe reprehendisset idipsum, cujus ipse reus erat; dicentes nimirùm Pauli reprehensionem, non veram, sed simulatam fuisse, & ex composito factam: contrarium tamen teneri à S. Augustino, cæterisque Latinæ Ecclesiæ Patribus, omnibusque communiter Theologis. Resp. 2. perm. ant. neg. conseq. quia licèt dicat eos simulatione usos aliqua, non sequitur eum dixisse, eos mendacio usos aliquo; quia non omnis simulatio, sive fictio, mendacium est, ut su-

ut suprà visum est; unde Augustino respondens Hieronymus ait, epist. 89. *Neque me putes magistrum esse mendacii, qui sequor Christum dicentem: Ego sum via, veritas, & vita; nec potest fieri, ut veritatis cultor mendacio colla submittam.*

Objicies 3. S. Hieronymus Commentario in Sophoniam cap. 3. videtur docere, Ministri sanctitatem requiri ad Sacramentorum confectionem, dum ait: *Sacerdotes quoque qui Eucharistiæ serviunt, & Sanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam, & necessariam esse tantùm solemnem orationem, & non Sacerdotum merita.* Ergo vel hoc opus Hieronymi non est, vel in hoc lapsus est Hieron. Resp. neg. ant. ibi enim indicat solùm in Ministris Sacramentorum requiri quidem vitæ sanctitatem, non ad Sacramenti confectionem & valorem, sed ad Sacramenti fructum & effectum assequendum; seu necessariam esse necessitate præcepti, non necessitate Sacramenti. Vide *Bedam, Bellarm. de Script. Eccles. Baron. in Annal. Possev. Petav. Biblioth. universalem, & novam operum S. Hieron. Monach. Benedict. editionem.*

ARTICULUS XXVI.

De Sulpicio triplici, Presbytero Aginnensi uno, & Biturigum Episcopo utroque altero.

CErtum est tres fuisse celebres Sulpicii nomine viros, Presbyterum Aquitanum & Nitiobrigem sive Aginnensem unum, & duos diversis temporibus Biturigum Episcopos alios; ideò ne confundatur unus cum utroque altero, neve citetur antiquior pro recentiore, & Presbyter pro Episcopo, ut non raro fieri contingit, hìc paucis delineandi & distinguendi singuli; & primò *Sulpicius* Presbyter, quia antiquior & suis scriptis in orbe celebrior.

De Sulpicio Presbytero. 420.

Sulpicius iste qui Presbyter tantùm fuit, & Scriptor historiæ sacræ percelebris, is est qui à Gennadio *Severus Sulpicius* dicitur, ab aliis *Sulpicius Severus*, sed à *S. Hieronymo, Paulino Nolano, Gregorio Turonico* & aliis *Severus* simpliciter vulgo vocatur, vir genere nobilis & literis, *S. Martini* Turonici, & *Paulini* Nolensis discipulus, *S. Hieronymi* Doctoris Ecclesiæ, ac *Ruffini* coævus, à Nitiobrigibus sive Aginnensibus Aquitaniæ provinciæ parentibus, ut creditur, ortus, & colligitur ex ejus hist. sacra lib. 2. ubi se Gallum, seu Aquitanum non semel dicit, & *Phœbadium* & *Fœgatium* Aginni Nitiobrigum urbis Episcopum, suum Episcopum vocat; idque manifestè confirmat Josephus Scaliger in prolegomenis ad libros de emend. temporum, dicens: *Sulpicium Severum nemo hactenus Aquitanum fuisse dubitavit; sed patria ignoratur, cùm tamen ipse Nitiobrigem se se manifestè prodat, cùm Servatium Tungrorum, Phœbadium autem suum Episcopum fuisse scribit; Phœbadius autem erat Nitiobrigum Episcopus; iste Sulpicius Ecclesiasticorum purissimus scriptor, post transitum S. Martini recepit se se Elusonem, quo tempore ad eum scribebat Paulinus;* & infrà .... ut

Sulpicius Presbyter Aginnensis S. Hieronymi coætaneus.

ostendat eos errare, qui illum cum Sulpicio Biturigum Episcopo confundunt, sic prosequitur, *Mei Nitiobriges pro Sulpicio Suplicium dicunt, quomodo & Bituriges suum illum vocant, quem eumdem cum hoc faciunt perperam, cùm inter transitum Martini, cujus noster Sulpicius discipulus fuit, & ordinationem Sulpicii Episcopi Bituricensis sub Guntchramno Rege, intercedant plus minùs anni centum nonaginta*; imò cùm Severus iste Presbyter, cognomento Sulpicius, obiisse credatur à Bellarmino & aliis anno Christi 420. & Sulpicius Biturigum Episcopus fuerit sexti cadentis sæculi vir, & interfuisse dicatur Matisconensi Concilio, anno 585.

Fallitur ergo *Sigonius*, falluntur & alii, qui *Severum Sulpicium* istum Biturigum Episcopum credunt; iste enim non Episcopus, sed *Presbyter* tantùm, & vir *paupertatis & humilitatis amore conspicuus*, dictus à Gennadio; *doctrina & sapientia pollens* à S. August. epist. 205. Scriptor Ecclesiasticus dictione utens tersa & eleganti, *Salustii*que ita æmulus, ut *Salustius Christianus* à nonnullis fuerit cognomine dictus; ad quem varias & elegantes scripsit epistolas *Paulinus*, & qui, juxta *Gennadium* de Script. Eccl. varia non contemnenda scripsit opuscula, & obiisse creditur circa annum 420. Sunt autem

Scripta Severi Sulpicii.

Duo de historia sacra libri.

1. *Duo libri de historia sacra*, quam exordiens à mundi cunis, perduxit usque ad Stiliconis & Aureliani Consulatum, hoc est ad Christi annum quadringentesimum.

Vitæ sancti Martini liber unus.

2. *De vita S. Martini* Turonensis Episcopi liber unus, ad preces Desiderii fratris Christiani, in quo narrat ea quæ beatus Martinus ante Episcopatum, & quæ in Episcopatu gessit, non tamen omnia, quia multa gessit, in quibus ipse solus sibi conscius esse voluit.

Dialogi tres.

3. *Dialogi tres*, quorum primus est de conversatione, virtutibus & miraculis Monachorum Orientalium in Ægypto degentium, & in quo inducitur loquens *Gallus* cum *Posthumiano* amico, paucis abhinc ex Ægypto reverso: in duobus aliis posterioribus dialogis exponit virtutes & miracula B. Martini, de quibus nihil dixerat in ejusdem vitæ libro.

Epistolæ variæ.

4. *Epistolæ variæ* ad varios, ut vult *Gennadius*; sed ex iis tres solùm istæ leguntur in Bibl. PP. tom. 6. edit. Lugd.

1. Est *ad Eusebium Presbyterum*, contra æmulos virtutum beati Martini.

2. Est *ad Aurelium* Diaconum, de obitu & apparitione B. Martini.

3. *Ad Bassulam* socrum suam, ad quam Treviris constitutam, Tolosæ positus scripsit Sulpicius, quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit.

Dices. *Gennadius libro de viris illust.* dicit *Severum Sulpicium* in senectute à Pelagianis deceptum; ergo in Severi Sulpicii libris timenda Pelagii doctrina. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia id de Severo Sulpicio, in solo Gennadio legitur, & nescio an hoc alicubi & ipse legerit, an ex sola fama, quæ facta infectaque loquitur, didicerit: hoc unum interim credo, hunc Sulpicii errorem non multum nocuisse ejus doctrinæ & sanctitatis famæ, cùm dicat idem Gennadius eum citò errorem agnovisse suum, & silentium usque ad mortem deinceps tenuisse; ut peccatum quod loquendo patraverat, tacendo penitùs deleret.

Insta-

Instabis. *Bellarminus* lib. de Script. Eccles. monet *Severi Sulpicii* libros de historia sacra, & dialogos de conversatione Orientalium, esse cautè legendos; ergo timet Pelagianismum in illis. Resp. perm. ant. neg. conseq. ideò enim cautè legendos asserit hos *Severi Sulpicii* libros, non quòd Pelagianismum, sed quia plura alia non tenenda teneat Severus Sulpicius in illis.

Sed cautè legendi hi Sulpicii Severi libri.

Dicit enim 1. in libro 1. hist. sacræ Angelos speciosarum forma virginum captos, naturæ suæ originisque degeneres, se illis miscuisse, humanam corrupisse progeniem, & ex eorum coitu prodiisse Gigantes; quod admittet Catholicus nemo, & expresse rejicit S. Chrysost. in cap. 6. Gen. & S. Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. & alii.

2. Dicit ibidem lib. 1. hist. sacr. Sacerdotes qui possessiones habent, immemores esse præcepti Levitis olim impositi, dum eis nulla portio data, quò liberiùs servirent Deo; quod refellens Bellarm. lib. de Script. Eccles. ait, Levitas possessiones habuisse, imò oppida & suburbana eorum, ut patet Levitici cap. 25. unde & Jerem. cap. 32. *Jeremiam* ex genere sacerdotum agrum emisse legitur, imò & Act. cap. 4. vers. 37. *Barnabam* Levitem, agrum quem possidebat, similiter vendidisse constat.

3. In dialogis plura profert alia; nam in primo dial. dicit 1. Ecclesiam auro non strui, sed destrui. 2. Reprehendit Episcopos qui libros Origenis damnaverunt. 3. In fine dialogi secundi ait ex sententia B. Martini Neronem simul cum Antichristo venturum, Neronem scilicet in Occidentali plaga, Antichristum in Orientali persecutionem exercendo regnaturum. 4. Denique aliis omissis, monet S. Hieron. in Ezech. cap. 36. Severum Sulpicium in dialogis, quibus Posthumianus & Gallus loquuntur, Millenariorum errorem secutum; unde est quòd à Gelasio in Conc. Rom. 70. Episc. hæc opuscula Galli & Posthumiani declarantur apocrypha. Vide *Gennad. de vir. illust. Joseph Scalig. in Prolog. de emen. temp. Bellarm. de Script. Eccles. Miræum, &c.* Vide *Bollandum* 24. Januarii ubi à S. Sulpicio Pio Bituricensi eum distinguit, & sanctitatem ejus in dubio relinquit.

De Sulpicio utroque altero Biturigum Episcopo.

Sanctus Sulpicius Biturigum Episcopus, hujus nominis primus, & Biturigum Episcoporum vigesimus septimus, præfato *Severo Sulpicio* Presbytero & historico longè recentior, is est qui successit *Remigio* sive Remedio in Archiepiscopali Biturigum cathedra, & cujus meminit Martyr. Romanum die Januarii 29. & Greg. Turonicus lib. 6. hist. Fr. cap. 39. & lib. 1. cap. 26. vocans eum virum ingenio & artis Poeticæ fama clarum, cuique, si credamus Auberto Miræo in Bibl. Eccles. suam ipse de septem dormientibus Greg. Turonicus dicavit historiam, & qui Matisconensi secundo interfuit Concilio an. 585. ac nonnullis aliis suo tempore coactis; sed qui diversus tamen est à sequenti *Sulpicio*, altero Biturigum pariter Episcopo.

Sulpicius alter Biturigum Episcopus vigesimus septimus interfuit Matisconensi Conc. anno 585.

S. Sulpicius alter Biturigum pariter Episcopus, sed hujus nominis secundus, & Biturigensium Episcoporum trigesimus primus, cognomento *Pius*, oriundus è *Vastino* Biturigum oppido, *Vatan* Gallicè dicto, ab utroque jam præfato Sulpicio longè diversus & posterior; is enim est qui successit in eadem sede *S. Austregisillo*, beati *Aregii* Nivernensis Episcopi fratri, quique

Sulpicius verò è Vastino ortus & cognomento Pius, & Biturigum Episcopus

XXXI. interfuit Remensi Concil. an. 630.

quique interfuit Concilio *Remensi* anno 630. & obiit anno circiter 640. Cujusque meminit Baronius in Martyrologio, die 17. Januarii, & cujus duæ reperiuntur *epistolæ* ad *Desiderium* Cadurcensem Episcopum scriptæ, & tertia ad *Verum* Ruthenensem Episcopum, & ad quem dum scribit *Desiderius* Cadurcensis Episcopus, vocat eum Papam & Patriarcham epist. 12. sic incipiente: *Condecet primæ sedis provinciæ videlicet antistitem, ut solers circa eum Consacerdotum adhibeatur solicitudo, &c. apud Henricum Canisium tom. 1. Concil.* Vide *Gall. Christ. de Archiep. Biturig. & Scalig. &c.*

ARTICULUS XXVII.

De sancto Augustino. 430.

S. August. patria, parentes, secta, professio, conversio, dotes, gesta, obitus, & scripta. *Ex Possid. in vit. S. Aug.*

SAnctus *Aurelius Augustinus* Hipponensis in Africa Episcopus, & Ecclesiæ Doctor sanctissimus fuit, vir natione Afer, patria Tagastensis in Numidia ex *Patricio* & *Monica* honestis & Christianis parentibus ortus, anno 354. eorumque diligentia & cura ita statim liberalibus disciplinis imbutus, ut Grammaticam priùs Tagaste, & Rhetoricam posteà Carthagine summa cum laude docuerit; sed ibi adolescens adhuc Manichæorum seductus errore, & voluptatum allectus illecebris, cæteris aliquandiu suspensior hæsit, relictaque Africa in Europam venit, ubi in Italia Romæ primùm, & Mediolani posteà Rhetoricam iterùm edocuit, donec operante Dei miserantis auxilio, & S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi mediante cura & zelo, ad Christi fidem est conversus, & baptizatus jam trigesimo major, anno Christi 387. & exinde melioris vitæ desiderio & Deo serviendi ductus proposito, vale ultimum suis discipulis dedit, hisque alium Rhetoricæ Magistrum sibi quærere jussis, in Africam ad patrios agros rediit, ubi cum amicis Deo pariter servientibus, vitæ à curis sæcularibus procul semotæ peracto triennio, charitatis motivo ductus aliquo, Hipponem se transtulit, ubi urgente Ecclesiæ necessitate, & flagitante populo, à *Valerio* tunc Hipponensium Episcopò Presbyter est ordinatus anno 391. & paucis abhinc annis, hoc est anno 396. licèt reluctans & adhuc vivente *Valerio*, Hipponensis consecratus Episcopus; quo in munere, quave in Ecclesia talem se gessit, tot tantaque peregit, ut eum *virum sanctum & eloquentem Episcopum* vocet S. Hieronymus; *Sal terræ & lucernam super candelabrum Ecclesiæ dignè positam*, Paulinus; *Validissimum hæreticorum malleum*, Bernardus; *Ecclesiæ Latinæ Doctorem Maximum*, quisque sive Latinus sive Græcus; & *Doctorum aquilam*, orbis universus.

Hier. lib. 3. dialog. cont. Pelag. Paul. epist. 3. Bern. ser. 8. supr. Cant.

Nec immeritò; quis enim Doctorum alius in docendo aut scribendò sublimior? Quis alius, quo non sit Augustinus in suis de Trinitate libris subtilior, in suis de Civitate Dei scriptis universalior, in suis polemicis aliis contra hæreticos fortior & acutior, in suis Soliloquiis devotior, in suis Confessionibus humilior, in suis Retractationibus prudentior? Quis denique *Augustino*, in cæteris suis operibus aliis, aut ingenio vel cruditione major? De quo mirè dixit olim S. Prosper Aquitanicus lib. 2. de vit. contempl. cap. 31. *S. Augustinus Episcopus acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei*

nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis Canonicis cautus : Qui post varia in varios fidei & Religionis hostes certamina, post impugnatos, præsertim *Manichæos*, *Donatistas*, *Pelagianos*, *Paganos* & alios, post scripta pro Ecclesia volumina ferè innumera, quibus hæreticos debellavit, dubios in fide firmavit, fideles excitavit, impios terruit, laicos erudivit, clericos instituit, monachos docuit, cunctos monuit, omnibus profuit, ubique gentium claruit, cœlo tandem maturus, ut in æternum cum justis fulgeret, ex hac mortali vita feliciter migravit anno Christi 430. ætatis verò 76.

Indubitata ac genuina S. Augustini scripta præcipua.

Ut scripta S. Augustini eruditè legat & intelligat quisque, sive Theologiæ Candidatus, sive Theologus, tempora, quibus ea S. Doctor scripsit, distinguat & advertat necesse est : alia enim scripsit Catechumenus, sæcularium literarum inflatus consuetudine; alia scripsit baptizatus, in sacris literis rudis adhuc & tyro; alia Presbyter factus exaravit erudita magis & docta; alia demum ad Episcopatum assumptus scripsit omnium eruditissima.

Ea omnia septem in tomos distributa, recenset editio nova, ab eruditis S. Benedicti è Cong. S. Mauri monachis, Parisiis luci publicæ data anno 1670.

Lovaniensis verò sicut & Parisiensis antiquior editio, ea in 10. *tomos distributa recenset omnia, tam supposititia & dubia, quàm genuina & indubitata.*.

Nobis non est in animo hìc ea recensere singula, sed solùm è genuinis & indubitatis designare præcipua, eoque ordine, ut designentur primò quæ scripsit dum adhuc Catechumenus esset, deinde quæ dum baptizatus, posteà quæ Presbyter, & ultimò quæ scripsit Episcopus. Sunt autem

Scripta S. Augustini adhuc Catechumeni.

1. *Contra Academicos* libri 3. qui habentur in primo tomo antiq. editionis, vel potiùs liber unus tres in alios divisus, contra Philosophos illos ab *Academia* Platonis villa Academicos vulgò dictos, quique nihil ab homine certò sciri posse contendebant; de quibus libris ipsemet S. Doctor lib. 15. de Trin. cap. 12. ait: *Contra Academicos ..... qui nihil ab homine sciri posse contendunt, sunt libri tres nostri, primo nostræ conversionis tempore conscripti*, & de quibus iterùm lib. Retract. cap. 1. ait : *Cùm ergo reliquissem vel quæ adeptus fueram in cupiditatibus hujus mundi, vel quæ adipisci volebam, & me ad Christianæ vitæ otium contulissem, nondum baptizatus contra Academicos vel de Academicis primùm scripsi, &c.* (Contra Academicos libri 3.)

2. *De beata vita* liber unus, qui pariter est in primo tomo edit. antiq. & qui *Malio Theodoro*, viro docto & Christiano dicatus, triduanas complectens disputationes, ostendit beatam esse vitam in sola & perfecta Dei cogitatione sitam, de quo libro sic 1. Retr. cap. 2. meminit, dum ait : *Librum de beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos, ut scriberem contigit.* (De beata vita liber unus.)

3. De

De ordine libri 2.

3. *De ordine* libri 2. qui sunt in eodem primo tomo edit. ant. & quorum meminit, & argumentum indicat S. Doctor 1. Retr. cap. 3. dum ait: *Per idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros De ordine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, utrùm omnia bona & mala divinæ providentiæ ordo contineat: sed cùm rem viderem ad intelligendum difficilem, satis ægrè ad eorum perceptionem cum quibus agebam disputando posse perduci, De ordine studendi loqui malui, &c.*

Soliloquiorum libri 2.

4. *Soliloquiorum* libri 2. qui sunt in eodem primo tomo edit. ant. de quibus ibid. 1. Retr. cap. 4. sic ait: *Inter hæc scripsi etiam duo volumina secundùm studium meum & amorem ratione indagandæ veritatis, de his rebus quas maximè scire cupiebam, me interrogans, mihique respondens, tanquam duo essemus ratio & ego, cùm solus essem: unde hoc opus Soliloquia nominavi, sed imperfectum remansit; ita tamen ut in primo libro quæreretur & utcumque appareret qualis esse debeat, qui vult percipere sapientiam, quæ utique non sensu corporis, sed mente percipitur, & quadam ratiocinatione in libri fine colligitur ea quæ verè sunt immortalia esse; in secundo autem de immortalitate animæ diu res agitur, & non peragitur.*

Est liber alter Soliloquiorum animæ ad Deum in tomo 9. ejusdem edit. qui sic incipit: *Agnoscam te Domine cognitor meus*; sed hic non Augustini, sed auctoris Augustino recentioris est, ut colligitur ex eo quòd in cap. 32. referat caput primum Concilii Lateranensis IV. in quo exprimitur confessio fidei de sancta Trinitate.

De Immortalitate animæ liber unus.

5. *De Immortalitate animæ* liber unus, in primo pariter tomo edit. ant. relatus, & de quo 1. Retr. cap. 7. S. Doctor sic ait: *Post libros Soliloquiorum jam de agro Mediolanum reversus scripsi librum de Immortalitate animæ, quem mihi quasi Commonitorium esse volueram, propter Soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanserant; sed nescio quomodo me invito exiit in manus hominum, & inter mea opuscula nominatur, qui primò ratiocinationum contorsione atque brevitate sic obscurus est, ut fatiget cùm legitur etiam intentionem meam, vixque intelligatur à me ipso.*

De libris Disciplinarum,

6. *De libris Disciplinarum*, de quibus 1. Retr. cap. 6. sic ait: *Per idem tempus quo Mediolani fui baptismum percepturus, etiam disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab hujusmodi studiis non abhorrebant, per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere: sed earum de Grammatica librum absolvere potui, quem posteà de armario nostro perdidi, & de musica sex volumina, quantum attinet ad eam partem quæ Rhythmus vocatur; sed eosdem sex libros jam baptizatus, jamque regressus ex Italia in Africam scripsi, inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam; de aliis verò quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia sola principia remanserunt, quæ tamen ipsa perdidimus, sed haberi ab aliquibus existimo.*

Scripta S. Augustini jam baptizati.

De moribus Ecclesiæ, &c.

1. *De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum* libri 2. qui habentur in primo tomo edit. ant. & de quibus S. Doctor 1. Retr. cap. 7. sic ait: *Jam baptizatus autem cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa & fallaci continentia vel abstinentia,*

tia, qua se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferant, scripsi duos libros, unum de moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterum de moribus Manichæorum. In primo statuit summum bonum ad quod mores nostros referri oportet, non aliud esse præter Deum; in altero Manichæorum refellit errorem de origine & natura mali.

2. *De quantitate animæ* liber unus, sive dialogus cum Euodio de quantitate animæ, qui habetur pariter in primo tomo edit. ant. & cujus argumentum indicat S. ipse Doctor, dum 1. Retr. cap. 8. sic ait: *In eadem urbe scripsi dialogum, in quo de anima multa quæruntur, ac disseruntur, id est unde sit, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, cùm ad corpus venerit, qualis efficiatur, qualis cùm abscesserit; sed quoniam quanta sit, diligentissimè ac subtilissimè disputatum est, ut eam si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse, & tamen magnum aliquid esse, ex hac inquisitione totus liber nomen accepit, ut appellaretur De animæ quantitate.* De quantitate animæ lib. 1.

3. *De libero arbitrio* libri 3. qui habentur in eodem primo tomo edit. ant. relati, & Romæ scripti contra Manichæos, immutabilem quamdam & Deo coæternam mali naturam introducere volentes, de quibus 1. Retr. cap. 9. sic ait: *Cùm adhuc Romæ demoraremur, voluimus disputando quærere unde sit malum, & eo modo disputavimus, ut si possemus, id quod de hac re divinæ auctoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram, quantum disserendo opitulante Deo agere possemus, ratio considerata & tractata perduceret; & quoniam constitit inter nos diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio, tres libri quos eadem disputatio peperit, appellati sunt de libero arbitrio, quorum secundum & tertium in Africa jam etiam Hippone Regio presbyter ordinatus terminavi.* De libero arbitrio lib. 3.

4. *De Genesi adversus Manichæos* libri 2. in eodem primo tomo edit. ant. relati, quorum meminit S. Doctor 1. Retr. cap. 10. dicens: *Jam verò in Africa constitutus scripsi duos libros de Genesi contra Manichæos; quamvis enim in superioribus libris quidquid disputavi, ut ostenderem Deum summè bonum & immutabilem creatorem esse omnium mutabilium naturarum, nec ullam esse naturam malam sive substantiam, in quantum natura est atque substantia, adversus Manichæos nostra vigilaret intentio; isti tamen duo libri apertissimè adversus eos editi sunt in defensionem veritatis legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnabant.* De Genesi adversus Manichæos lib. 2.

5. *De Magistro* liber unus, qui reperitur in primo tomo edit. ant. & de quo S. Doctor 1. Retr. cap. 12. sic ait: *Per idem tempus scripsi librum, cujus est titulus, de Magistro, in quo disputatur & quæritur & invenitur, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundùm illud etiam quod in Euangelio scriptum est, Unus est Magister vester Christus.* De Magistro lib. 1.

6. *De vera Religione* liber unus, in primo tomo edit. ant. positus, de quo S. Doctor 1. Retr. cap. 13. sic meminit: *Tunc etiam de vera Religione librum scripsi, in quo multipliciter & copiosissimè disputatur unum verum Deum, id est Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum religione vera colendum, & quanta misericordia ejus per temporalem dispensationem concessa sit hominibus Christiana Religio, quæ vera Religio est, & ad eumdem cultum Dei, quemadmodum sit homo quadam vita sua coaptandus, maximè contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur.* De vera Religione liber unus.

Scripta S. Augustini jam Presbyteri.

De utilitate credendi liber unus.

1. *De utilitate credendi ad Honoratum* liber unus, in sexto tomo edit. ant. relatus, & de quo 1. Retr. cap. 14. sic loquitur S. Augustinus: *Jam verò apud Hipponem Regium Presbyter scripsi librum de utilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum à Manichæis adhuc eo tempore noveram detineri, & irridere in Catholicæ fidei disciplina, quòd juberentur homines credere, non autem quid esset verum, certissima ratione docerentur, &c.*

De duabus animabus.

2. *De duabus animabus* contra Manichæos liber, in sexto tomo edit. ant. pariter positus, & cujus meminit S. Doctor 1. Retr. cap. 15. dum ait: *Post hunc librum scripsi adhuc Presbyter contra Manichæos de duabus naturis, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coæterna; & has ambas animas, unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant ..... & omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ; omnia verò mala illi malæ animæ tribuunt, &c.*

Contra Fortunatum Manichæum.

3. *Contra Fortunatum Manichæum* liber unus, in eodem sexto tomo edit. ant. positus, & de quo 1. Retr. cap. 16. sic ait: *Eodem tempore Presbyterii mei contra Fortunatum quemdam Manichæorum Presbyterum disputavi, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxeratque tam multos, ut propter illos ibi eum delectaret habitare; quæ disputatio nobis altercantibus excepta est à Notariis, veluti gesta conficerentur, nam & diem habet & Consulem; hanc in librum memoriæ mandandam conferre curavimus: versatur ibi quæstio unde sit malum, me asserente exortum fuisse hominis ex libero voluntatis arbitrio, illo autem naturam mali Deo coæternam persuadere moliente; sed sequenti die tandem confessus est, nihil se adversus nos invenire quod diceret: nec sanè Catholicus factus, sed tamen ab Hippone discessit, &c.*

De fide & Symbolo liber unus.

4. *De fide & Symbolo* liber unus, in tertio tomo edit. ant. locatus, & cujus S. Doctor meminit 1. Retr. cap. 17. dicens: *Per idem tempus coram Episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone Regio agebant, de fide & Symbolo Presbyter disputavi. Quam disputationem, nonnullis eorum qui nos familiariùs diligebant, studiosissimè instantibus, in librum contuli.*

De Genesi ad litteram.

5. *De Genesi ad litteram imperfectus*, qui habetur in tertio tomo edit. ant. & de quo loquitur S. Doctor 1. Retr. cap. 18. dicens: *Cùm de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secundùm allegoricam expositionem Scripturæ verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est quemadmodum possent secundùm historicam proprietatem quæ ibi dicta sunt, accipi; volui experiri in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem; sed in Scripturis exponendis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit, & nondum perfecto uno libro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquievi: sed in hoc opere, cùm mea opuscula retractarem, iste ipse ut erat imperfectus venit in manus, quem neque edideram & abolere decreveram, quoniam scripsi posteà 12. libros, quorum titulus est de Genesi ad litteram, in quibus quamvis multa quæsita potiùs quàm inventa videantur, tamen eis iste nullo modo est comparandus; verùm & hunc posteà quem retractavi manere volui, ut esset index, quantum existimo, non inutilis rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis, ejusque titulum esse volui de Genesi ad litteram imperfectus.*

6. De

6. *De Sermone Domini in monte* libri 2. qui habentur in quarto tomo edit. ant. & de quibus 1. Retr. cap. 19. ſic loquitur S. Doctor : *Per idem tempus de Sermone Domini in monte ſecundùm Matthæum duo volumina ſcripſi.* De Sermone Domini lib. 2.

7. *Pſalmus contra partem Donati*, qui habetur in ſeptimo tomo edit. ant. & de quo S. Doctor ſic 1. Retr. cap. 20. *Volens etiam cauſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi & omninò imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, & eorum, quantum fieri poſſet per nos, inhærere memoriæ, Pſalmum qui eis cantaretur per Latinas litteras feci ..... cujus initium & hypopſalma quod reſponderetur, eſt, Omnes qui gaudetis de pace, modò verum judicate.* Pſalmus contra partem Donati.

8. *Contra epiſtolam Donati hæretici* liber unus, qui non habetur, & de quo 1. Retr. cap. 21. ſic loquitur S. Doctor : *Librum etiam contra epiſtolam Donati qui partis Donati ſecundus poſt Majorinum Epiſcopus apud Carthaginem fuit, eodem Presbyterii mei tempore ſcripſi; in qua epiſtola ille agit, ut non niſi in ejus communione baptiſma Chriſti eſſe credatur, cui nos contradicimus.* Contra epiſtolam Donati.

9. *Contra Adimantum Manichæi diſcipulum* liber unus, qui habetur in ſexto tomo edit. ant. & cujus mentionem & argumentum inſinuat 1. Retr. cap. 22. S. Doctor, dum ait : *Eodem tempore venerunt in manus meas quædam diſputationes Adimanti qui fuerat Manichæi diſcipulus, quas conſcripſit adverſus Legem & Prophetas, velut contraria eis Euangelica & Apoſtolica ſcripta demonſtrare conatus; huic ego reſpondi, verba ejus ponens, eiſque reddens reſponſionem meam.* Contra Adimantum.

10. *Expoſitionis quarumdam propoſitionum ex epiſt. ad Rom.* liber unus, qui eſt in quarto tomo edit. ant. & de quo S. Doctor meminit 1. Retr. cap. 23. dum ait : *Cùm Presbyter adhuc eſſem, contigit ut apud Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Romanos Apoſtoli epiſtola legeretur, & quædam interrogabar à fratribus, quibus cùm ſicut poteram reſponderem, voluerunt ſcribi potiùs quæ dicebam, quàm ſine litteris fundi, ubi cùm eis obtemperarem, liber unus acceſſit ſuperioribus opuſculis meis.* Expoſitionis quarumdam propoſitionum liber.

11. *Expoſitionis epiſtolæ ad Galatas* liber unus, ibid. in quarto tomo edit. ant. relatus, & 1. Retr. cap. 24. memoratus à S. Auguſtino dicente : *Poſt hunc librum expoſui ejuſdem Apoſtoli epiſtolam ad Galatas non carptim, id eſt aliqua prætermittens, ſed continuanter & totam : hanc autem expoſitionem uno volumine comprehendi.* Expoſitionis epiſt. ad Galatas liber.

12. *Epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio*, quæ habetur ibid. in quarto tomo edit. ant. & memoratur à S. Doctore 1. Retr. cap. 21. dicente : *Epiſtolæ quoque ad Romanos ſicut ad Galatas expoſitionem ſuſceperam; ſed hujus operis ſi perficeretur, plures libri erant futuri, quorum unum in ſola diſputatione ipſius ſalutationis abſolvi, ab initio ſcilicet uſque ad illud ubi ait : Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto; factum eſt quippe ut immoraremur cùm vellemus ſolvere incidentem ſermoni noſtro difficillimam quæſtionem de peccato in Spiritum Sanctum, quod non remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro : ſed deinde alia volumina ceſſavi adjungere, exponendo Epiſtolam totam, ipſius operis magnitudine ac labore deterritus, & in alia faciliora deflexus ſum; ita factum eſt ut librum quem feceram primum, relinquerem ſolum, cujus eſſe titulum volui, Epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio.* Expoſitio inchoata epiſtolæ ad Romanos.

13. *De diverſis quæſtionibus octoginta tribus*, liber unus, in quarto tomo edit. De quæſtionibus 83. liber 1.

edit. ant. relatus & ab ipso S. August. memoratus 1. Retr. cap. 26. dicente: *Est etiam inter illa quæ scripsimus, quoddam prolixum opus, quod tamen unus deputatur liber, cujus est titulus, De diversis quæstionibus octoginta tribus.*

De Mendacio liber unus. 14. *De Mendacio* liber unus, in quarto tomo edit. ant. positus, & memoratus à S. August. 1. Retr. cap. 27. dicente: *De mendacio scripsi librum, qui, & si cum aliquo labore intelligitur, habet tamen non inutilem ingenii & mentis exercitationem, magisque moribus ad veriloquium diligendum proficit: hunc quoque auferre statueram de opusculis meis, quia obscurus & anfractuosus & omninò molestus mihi videbatur, propter quod eum nec edideram. Deinde cùm posteà scripsissem alterum, cujus titulus est, Contra mendacium, multò magis istum non esse decreveram & jusseram, sed non est factum, itaque in ista retractatione opusculorum meorum cùm eum incolumem reperiissem, etiam ipsum retractatum manere præcepi; maximè quia in eo nonnulla sunt necessaria, quæ in illo non sunt: propterea verò illius inscriptio est, Contra mendacium; istius autem De mendacio, quoniam per illum totum oppugnatio est aperta mendacii, istius autem magna pars in inquisitionis disputatione versatur, ad eumdem talem finem uterque dirigitur.*

Scripta S. Augustini jam Episcopi.

De diversis quæstionibus lib. 2. 1. *De diversis quæstionibus ad Simplicianum* libri 2. qui habentur in quarto tomo edit. ant. & quorum meminit S. August. 2. Retr. cap. 1. dicens: *Librorum quos Episcopus elaboravi, primi duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, De diversis quæstionibus.*

Contra epistolam fundamenti liber unus. 2. *Contra epistolam Manichæi*, quam vocant Fundamenti, liber unus qui est in sexto tomo edit. ant. & cujus meminit S. August. 2. Retr. cap. 2. dicens: *Liber contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, principia ejus sola redarguit, sed in cæteris illius partibus annotationes, ubi videbatur, affixæ sunt, quibus tota subvertitur, & quibus commonerer, si quando contra totam scribere vacavisset.*

De Agone Christiano lib. 1. 3. *De Agone Christiano* liber unus, qui est in tertio tomo edit. ant. & cujus meminit S. Doctor August. 2. Retr. cap. 3. dicens: *Liber de Agone Christiano, fratribus in eloquio latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens & præcepta vivendi.*

De doctrina Christiana lib. 4. 4. *De doctrina Christiana* libri 4. qui in eodem tertio tomo edit. ant. reperiuntur, & in quibus docet, qualis esse debeat sacrarum Scripturarum interpres & expositor, traditque præcepta intelligendi & interpretandi sacras literas, sicque sacrum informat oratorem, qui profanum informaverat olim. Eorum meminit 2. Retr. cap. 4. dum ait: *Libros de doctrina Christiana cùm imperfectos comperiissem, perficere malui quàm eis sic relictis ad alia retractanda transire; complevi ergo tertium ..... addidi etiam novissimum librum, & quatuor libris opus illud implevi, quorum primi tres adjuvant ut Scripturæ intelligantur, quartus autem quomodo quæ intelligimus, proferenda sint, &c.*

Confessionum lib. 13. 5. *Confessionum libri* 13. qui habentur in primo tomo edit. ant. & de quibus 2. Retr. cap. 6. sic ait: *Confessionum mearum libri 13. & de malis & de bonis, in eis Deum laudant justum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum.*

6. Con-

6. *Contra Faustum Manichæum* grande opus, quod in sexto tomo edit. ant. est, & de quo 2. Retr. cap. 7. sic ait: *Contra Faustum Manichæum blasphemantem Legem & Prophetas, & eorum Deum, & Incarnationem Christi, Scripturas autem novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse dicentem, scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas: triginta & tres disputationes sunt, quas etiam libros cur non dixerim? nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamen libri sunt.* Contra Faustũ Manichæum.

7. *Contra Felicem Manichæum* libri 2. qui in eodem sexto tomo edit. ant. habentur, quique 2. Retr. cap. 8. sic memorantur ab August. dicente: *Contra Manichæum quemdam nomine Felicem, præsente populo in Ecclesia biduo disputavi, Hipponem quippe venerat eumdem seminaturus errorem; unus enim erat ex Doctoribus eorum quamvis ineruditus liberalibus literis, sed tamen versutior Fortunato; gesta sunt Ecclesiastica, sed inter meos libros computantur: duo ergo libri sunt, in quorum 2. disputatum est de libero voluntatis arbitrio, sive ad malum operandum, sive ad bonum.* Contra Felicẽ Manichæum.

8. *De natura boni adversus Manichæos* liber unus, qui est in sexto tomo edit. ant. & cujus meminit & argumentum indicat S. August. 2. Retr. cap. 9. dicens: *Liber de natura boni adversus Manichæos est, ubi ostenditur naturam incommutabilem, Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse cæteras naturas, sive spiritales sive corporales, atque omnes, in quantum naturæ sunt, bonas esse.* De natura boni contra Manichæos liber unus.

9. *Contra Secundinum Manichæum* liber unus, ibid. in sexto tomo edit. ant. relatus, & de quo S. Doctor 2. Retr. cap. 10. sic ait: *Secundinus quidam non ex eis quos Manichæi Electos, sed ex eis quos Auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, scripsit ad me velut amicus honorificè objurgans quòd oppugnarem literis illam hæresim, & admonens ne facerem, atque eam potiùs sectandam cum ejus defensione, & Catholicæ fidei reprehensione: huic respondi, sed quia in ejusdem opusculi capite non posui quis cui scriberet, non in epistolis meis, sed in libris habetur, &c.* Contra Secundinum Manichæum liber unus.

10. *De catechizandis rudibus* liber unus, qui habetur in quarto tomo edit. ant. in quo artem catechizandi tractandam suscipit Augustinus, rogatus à Diacono quodam Carthaginensis Ecclesiæ, Deogratias nuncupato, incipitque dicendo: *Petiisti à me, frater Deogratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem; dixisti enim quòd sæpè apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te adducuntur qui fide Christiana primitùs imbuendi sunt, eò quòd existimeris habere catechizandi uberem facultatem, &c.* istiusque meminit 2. Retr. cap. 14. De catechizandis rudibus liber unus.

11. *De Trinitate* libri 15. qui habentur in tertio tomo edit. ant. & quorum meminit S. Doctor 2. Retr. cap. 15. dicens: *Libros de Trinitate quæ Deus est, 15. scripsi per aliquot annos..... adjungens eis à capite epistolam quam scripsi ad Venerabilem Aurelium Episcopum Carthaginensis Ecclesiæ, quo tanquam prologo exposui & quid accidisset & quid facere mea cogitatione voluissem, & quid fratrum charitate compellente fecissem, &c.* De Trinitate lib. 15.

12. *Contra epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi* libri 3. qui habentur in septimo tomo edit. ant. & memorantur à S. August. 2. Retr. cap. 17. dicente: *In tribus libris contra epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginensis Episcopi successorisque Donati, quæstio magna versatur & solvitur, utrùm in unitate & eorumdem communione Sacramentorum, mali contaminent bonos, & quemadmodum non contaminant disputatur, propter Ecclesiam toto orbe diffusam, cui calumniando schisma fecerunt.* Contra epistolam Parmeniani lib. 3.

De Baptismo contra Donatistas libri 7.

13. *De Baptismo contra Donatistas* libri 7. in eodem septimo tomo edit. ant. relati, & 2. Retr. cap. 18. memorati à S. August. dicente: *Contra Donatistas, auctoritate Beatissimi Episcopi & Martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de baptismo scripsi, in quibus docui, nihil sic valere ad refellendos Donatistas, & ad eorum prorsus ora claudenda, ne adversus Catholicam Ecclesiam suum schisma defendant, quomodo literas factumque Cypriani.*

De opere Monachorum liber unus.

14. *De opere Monachorum* liber unus, in tertio tomo edit. ant. relatus, quem rogatus ab Aurelio Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo scripsit S. August. contra otiosos nonnullos Carthaginis monachos, qui abstinebant à labore, dicentes se esse quasi volatilia cœli & lilia agri, & jactantes se illud implere Christi præceptum, Matth. cap. 6. vers. 26. dicentis: *Respicite volatilia cœli ..... & considerate lilia agri ... non laborant, neque nent, &c.* quos & auctoritate & exemplo Pauli ad laborem teneri probat S. Augustinus hoc in libro, cujus meminit 2. Retr. cap. 21.

De bono conjugali contra Jovinianum liber unus.

15. *De bono conjugali contra Jovinianum* liber unus, in sexto tomo edit. ant. positus, & memoratus 2. Retr. cap. 22. à S. August. dicente: *Joviniana hæresis, sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maximè argumento, cùm eas urgeret dicens, Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna sive Anna, & cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores vel etiam pares cogitare non possent ..... huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est fidelissima ac fortissima, restitit. Remanserant autem disputationes ejus in quorundam sermunculis ac susurris ..... venenis rumpentibus facultate quam donabat Dominus, occurrendum fuit: maximè quoniam jactabatur Jovinianus responderi non posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum, propter quod librum edidi, cujus inscriptio est, De bono conjugali.*

De S. Virginitate liber unus.

16. *De sancta Virginitate* liber unus, ibid. in sexto tomo relatus, & de quo idem S. Doctor 2. Retr. cap. 23. ait: *Posteaquam scripsi de bono conjugali, expectabat, ut scriberem de sancta virginitate, nec distuli: atque id Dei munus, & quàm magnum & quanta humilitate custodiendum esset, uno sicut potui volumine ostendi.*

De Genesi ad litteram lib. 12.

17. *De Genesi ad litteram* libri 12. qui habetur tertio tomo edit. ejusdem, & memorantur à S. August. 2. Retr. cap. 24. dicente: *Per idem tempus de Genesi libros 12. scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adam, & flammea rhomphæa posita est custodire viam ligni vitæ ..... Titulus horum librorum inscribitur De Genesi ad litteram, id est non secundùm allegoricas significationes, sed secundùm rerum gestarum proprietates*: & infrà; *hos sanè libros posteriùs cœpi, sed priùs terminavi quàm de Trinitate, &c.*

Contra litteras Petiliani lib. 3.

18. *Contra literas Petiliani* libri 3. ibid. in septimo tomo relati, de quibus 2. Retr. cap. 25. sic meminit dicens: *Antequam finirem libros de Trinitate, & libros de Genesi ad litteram, irruit causa respondendi litteris Petiliani Donatistæ, quas adversus Catholicam scripsit, quam differre non potui, & scripsi in hanc rem tria volumina.*

Contra Cresconium lib. 4.

19. *Contra Cresconium Grammaticum & Donatistam* libri 4. in eodem septimo tomo relati, & 2. Retr. cap. 26. memorati à S. August. dicente; *Grammaticus etiam quidam Donatista Cresconius, cùm invenisset epistolam*

meam,

meam, qua primas partes qua in manus nostras tunc venerant epistolæ Petiliani redargui, putavit mihi esse respondendum, & hoc ipsum scripsit ad me, cui operi ejus libris quatuor respondi.

20. *De divinatione dæmonum* libellus, qui habetur in tertio tomo edit. ant. in quo ostendit S. Auguft. divinationes dæmonum, & quæ ad eorum cultum pertinent, non ideò rectè fieri, quia non nisi sinente Deo fiunt; unde veræ sint illæ divinationes, & cur interdum veræ sint, licèt plerumque falsæ; de quo libello meminit 2. Retr. cap. 30. dicens: *Per idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas, ut de divinatione dæmonum libellum scriberem, &c.*

De divinatione dæmonum libellus.

21. *De unico Baptismo contra Petilianum*, ad Constantinum Donatistam liber unus, in septimo tomo edit. ant. relatus, & memoratus 2. Retr. cap. 34. à S. Auguft. dicente: *Eodem tempore, librum de unico baptismo amicus quidam meus à nescio quo Donatista Presbytero accepit, indicante quòd Petilianus Episcopus eorum Constantinensis eum scripserit, hunc ad me ille attulit, ac vehementer ut ei responderem, rogavit; & factum est.*

De unico Baptismo contra Petilianum.

22. *De peccatorum meritis & remissione* libri 3. relati in septimo tomo edit. ant. quorum mentionem facit & argumentum indicat S. Auguft. 2. Retr. cap. 33. dicens: *Venit etiam necessitas, quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresim scribere, contra quam priùs, cùm opus erat, non scriptis sed sermonibus & collocutionibus agebamus, ut quisque nostrùm poterat aut debebat; missis ergo mihi à Carthagine quæstionibus, quas rescribendo dissolveram, scripsi primùm libros tres, quorum titulus est, De peccatorum meritis & remissione, ubi maximè de baptismate disputatur parvulorum propter originale peccatum, & de gratia Dei qua justificamur, hoc est justi efficimur, &c.*

De peccatorum meritis & remissione lib. 3.

23. *De spiritu & littera ad Marcellinum* liber unus, qui habetur in tertio tomo edit. ant. & memoratur 2. Retr. cap. 37. à S. Auguft. dicente: *Ad quem scripseram tres libros, quorum titulus est, De peccatorum meritis & remissione, ubi diligenter disputatur etiam de baptismo parvulorum, rescripsit mihi se fuisse permotum, quòd dixerim fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit ope adjuvante divina, quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit: quæsivit enim quomodo dixerim poße fieri, cujus rei desit exemplum; propter hanc ejus inquisitionem scripsi librum, cujus est titulus, De spiritu & littera, pertractans Apostolicam sententiam, ubi ait: Littera occidit, spiritus autem vivificat: in quo libro quantum Deus adjuvit, acriter disputavi contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius.*

De spiritu & littera liber unus.

24. *De fide & operibus* liber unus, in quarto tomo edit. ant. positus, & 2. Retr. cap. 38. memoratus à S. Auguft. dicente: *Intereà missa sunt mihi à quibusdam fratribus, Laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non poße, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam; quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est, De fide & operibus; in quo disputavi non solùm quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati, verùm etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti.*

De fide & operibus liber unus.

25. *De natura & gratia ad Timasium & Jacobum contra Pelagianos* liber, qui habetur in tomo septimo edit. ant. & cujus meminit S. Auguft. 2. Retr. cap. 42. dicens: *Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, qua justificatur impius, & qua Christiani*

De natura & gratia contra Pelagianos liber.

 sumus,

sumus, quanta potuit argumentatione defendit: librum ergo, quo huic respondi defendens gratiam, non contra naturam, sed per quam natura liberatur & regitur, De natura & gratia nuncupavi, &c.

De gestis Pelagii liber unus. 26. *De gestis Pelagii* liber unus, qui in eodem tomo reperitur, & memoratur à S. August. 2. Retr. cap. 47. dicente: *Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syria Palæstina Pelagius à quibusdam Catholicis fratribus ad Episcopalia gesta perductus, eisque absentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis quatuordecim auditus est, ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversus eum de libello legebantur, Catholicum pronuntiarunt; sed cùm in manus nostras eadem gesta venißent, scripsi de his librum, ne illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse, quæ ille nisi damnaßet, nullo modo ab eis nisi damnatus exiisset.*

De gratia Christi & de peccato Originali libri 2. 27. *De Gratia Christi & de peccato Originali contra Pelagium & Cœlestium* libri 2. ad Albinam, Pinianum & Melaniam, qui habentur in tomo septimo ejusdem edit. & innuuntur à S. Aug. 2. Retr. cap. 50. dicente: *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum De gratia Christi, alterum De peccato Originali.*

De Nuptiis & Cōcupiscentia libri 2. 28. *De Nuptiis & Concupiscentia ad Valerium Comitem* libri 2. qui ibid. habentur in septimo tomo, & memorantur à S. August. 2. Retr. cap. 53. dicente: *Scripsi duos libros ad illustrem virum Comitem Valerium, cùm audiißem Pelagianos, ei nescio quid scripsisse de nobis, quòd scilicet nuptias damnaremus asserendo Originale peccatum, quorum librorum titulus est, De Nuptiis & Concupiscentia; bonitatem quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis benè utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis.*

De adulterinis conjugiis lib. 2. 29. *De adulterinis conjugiis ad Pollentium* libri 2. qui habentur in sexto tomo edit. ant. & memorantur 2. Retr. cap. 5. à S. August. dicente: *Scripsi duos libros de conjugiis adulterinis, quantum potui secundùm Scripturas, cupiens solvere difficillimam quæstionem.*

Contra duas epist. Pelagianorum libri 4. 30. *Contra duas epistolas Pelagianorum* libri 4. qui habentur in septimo tomo edit. ant. & quorum meminit S. August. 2. Retr. cap. 61. dicens: *Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi: quia cùm in manus ejus venissent, ipse mihi eas miserat, inveniens in illis calumniosè interpositum nomen meum.*

Contra Julianum lib. 6. 31. *Contra Julianum* libri 6. qui sunt in tomo septimo edit. ant. & memorantur 2. Retr. cap. 62. à S. August. dicente: *Intereà libri 4. Juliani Pelagiani quos suprà commemoravi, venerunt etiam in manus nostras, in quibus comperi illa, quæ ex eis decerpserat, qui ea Comiti Valerio miserat, non omnia eo modo, quo à Juliano dicta sunt, ad eumdem comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantum fuiße mutata; scripsi ergo sex libros adversus illos quatuor, sed in eorum duobus primis, testimoniis Sanctorum qui fidem Catholicam post Apostolos defenderunt, Juliani impudentia redarguitur, qui tanquam Manichæorum dogma nobis objiciendum putavit, quia ex Adam trahi dicimus Originale peccatum, quod per lavacrum regenerationis non solùm in majoribus, verùm etiam in parvulis solvitur. Quantum autem ipse Julianus quibusdam sententiis*

suis

ſuis adjuvet Manichæos, in primi libri mei parte poſteriore monſtravi. Cæteri autem noſtri quatuor redduntur illis libris, ſingulis ſinguli.

32. *De Prædeſtinatione Sanctorum & de bono perſeverantiæ* libri 2. qui habentur in tomo ſeptimo; quique licèt non memorentur in Retractationum libris, cenſentur tamen Auguſtini fœtus genuini, quia ſi non memorentur ab eo in Retractationibus, ideò non memorantur, quia jam conſcriptos præ manibus habebat Retractationum libros, dum iſtos ſcriberet Auguſtinus, ut ipſe teſtatur in hoc ſecundo libro.

De Prædeſtinatione SS. & de bono perſeverantiæ lib. 2.

33. *De anima & ejus origine* libri 4. in tomo ſeptimo relati, & 2. Retr. cap. 56. à S. Auguſt. dicente: *Eodem tempore quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæſarienſi invenit apud Hiſpanum quemdam Presbyterum Petrum, nonnullum opuſculum meum, ubi quodam loco de origine animæ hominum ſingulorum, utrùm ex illa una primi hominis ac deinde ex parentibus propagentur, an ſicut illi uni ſine ulla propagatione ſingulæ ſingulis dentur, me neſcire confeſſus ſum, verumtamen ſcire animam non corpus eſſe, ſed ſpiritum, & contra iſta mea ad eumdem Petrum ſcripſit ille duos libros, quos mihi de Cæſarea Renatus monachus miſit, quibus ego lectis, reſponſione mea quatuor libros reddidi, unum ad Renatum monachum, alterum ad Presbyterum Petrum, & duos ad eumdem Victorem, &c.*

De anima & ejus origine lib. 4.

34. *De origine animæ & de ſententia Jacobi* libri 2. ſeu epiſtolæ ad Hieronymum ſcriptæ, quæ tomo ſecundo edit. ant. ſunt 28. & 29. de quibus ſic S. Auguſt. 2. Retr. cap. 45. *Scripſi duôs libros ad Hieronymum ſedentem in Bethlehem, unum de origine animæ hominis, alterum de ſententia Jacobi Apoſtoli, ubi ait, Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus; de utroque conſulens eum: ſed in illo priore quæſtionem quam propoſui ipſe non ſolvi; in poſteriore autem quod mihi de illa ſolvenda videretur, ipſe non tacui, &c.*

De origine animæ lib. 2.

35. *Contra adverſarium Legis & Prophetarum* libri 2. qui habentur in ſexto tomo edit. ant. & 2. Retr. cap. 58. memorantur à S. Auguſt. dicente: *Intereà liber cujuſdam hæretici ſive Marcioniſtæ, ſive cujuſlibet eorum quorum error opinatur quòd iſtum mundum Deus non fecerit, nec Deus Legis quæ data eſt per Moyſen, & Prophetarum ad eamdem Legem pertinentium verus ſit Deus, ſed peſſimus dæmon: cùm apud Carthaginem multis confluentibus & attentiſſimè audientibus in platea maritima legeretur, pervenerunt fratres ad eum ſtudioſiſſimè Chriſtiani, eumque mihi redarguendum ſine ulla dilatione miſerunt, multùm rogantes, ut nec ego reſpondere differrem; refelli eum libris duobus, quos ideò prænotavi, Contra adverſarium Legis & Prophetarum; quia codex ipſe, qui miſſus eſt, nomen Auctoris non habebat.*

Contra adverſariũ Legis & Prophetarum lib. 2.

36. *De videndo Deo* liber unus, cujus meminit S. Doctor 2. Retr. cap. 41. dicens: *De videndo Deo ſcripſi librum, ubi de ſpiritali corpore, quod erit in reſurrectione Sanctorum, inquiſitionem diligentiorem diſtuli; utrùm vel quomodo Deus, qui ſpiritus eſt, etiam per corpus tale videatur; ſed eam poſteà quæſtionem ſanè difficillimam in noviſſimo, id eſt in vigeſimo ſecundo libro de Civitate Dei ſatis, quantum arbitror, explicavi, &c.*

De videndo Deo liber unus.

37. *De conſenſu Euangeliſtarum* libri 4. in tomo quarto edit. ant. relati, in quibus Chriſti Euangelium defendit S. Auguſtinus à calumniis Paganorum perperam dicentium & Chriſtianis opponentium ipſum Euangeliſtarum inter ſe diſſenſum, & de quibus libris loquitur S. Auguſt. 2. Retr. cap. 16. dum ait: *Per eoſdem annos quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, ſcripſi & alios labore continuo, interponens eos illorum* tem-

De conſenſu Euangeliſtarum lib. 4.

temporibus in quibus sunt libri quatuor De consensu Euangelistarum, propter eos qui tanquam dissentientibus calumniantur.

De Civitate Dei libri 22.

38. *De Civitate Dei* libri 22. quos continet tomus quintus edit. ant. & quorum meminit 2. Retr. cap. 43. S. August. dicens: *Hoc autem de Civitate Dei grande opus tandem viginti duobus libris est terminatum.* Hoc est grande illud & insigne opus in viginti duos libros divisum, de Civitate Dei vulgò nuncupatum, & contra Paganos ab Augustino conscriptum, occasione Romæ ab *Alarico* Gothorum Rege, sæva Gothorum irruptione vastatæ; cùm enim falsorum Deorum cultores, dicti vulgari nomine Pagani, Christi nomen & fidem blasphemantes, perperam ac falsò tunc dicerent, ideò captam, ferro flammisque vastatam à Gothis Romam, quia abolitus suorum Deorum cultus, & inducta Religio Christiana, id ægrè admodum ferens Augustinus, zelo Dei & Religionis exardescens, ut eorum ora tam iniqua loquentia obturaret, & errores refelleret, hoc contra eos scribendum suscepit opus in 22. libros ita & hoc ordine divisum, ut in prioribus decem libris Christianæ Religionis impugnet hostes, eorumque refellat errores & blasphemias; in posterioribus verò duodecim Christianam Religionem & cætera ad illam spectantia propugnet, stabiliat & astruat; eoque ordine, ut in prioribus quatuor ex iis duodecim libris exordia, in quatuor intermediis aliis decursum, & in quatuor ultimis debitos duarum Civitatum, *Dei* scilicet & *mundi* fines exponat: unde etsi de utraque illa Civitate, terrena videlicet & cœlesti, mundi & Dei differat, opus tamen totum à nobiliori parte meritò nuncupatur, & *de Civitate Dei* dicitur; harum duarum Civitatum originem indicat S. Doctor dum lib. 14. cap. 22. ait: *Fecerunt Civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cæleste verò amor Dei usque ad contemptum sui.*

De sex quæstionibus contra Paganos.

39. *De sex quæstionibus contra Paganos expositis* liber unus, per modum epistolæ ad *Deogratias*, quæ est 49. directus, qui habetur in tomo secundo edit. ant. & memoratur in 2. Retr. cap. 31. à S. August. dicente: *Inter hæc missæ sunt mihi à Carthagine quæstiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Christianum, ut contra Paganos solverentur, præsertim quia nonnullas earum à Porphyrio Philosopho propositas dixit, sed non eum esse arbitror Porphyrium Siculum illum, cujus celeberrima est fama; harum quæstionum disputationes in unum librum contuli non prolixum, cujus titulus est, Sex quæstiones contra Paganos expositæ. Earum autem prima est de resurrectione; secunda de tempore Christianæ Religionis; tertia de sacrificiorum distinctione; quarta de eo quod scriptum est, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; quinta de Filio Dei secundùm Salomonem; sexta de Jona Propheta, &c.*

Locutionum Scripturæ sacræ libri 7.

40. *Locutionum Scripturæ sacræ* libri 7. qui habentur in tertio tomo edit. ant. & memorantur à S. Aug. 2. Retr. cap. 54. dicente: *Septem libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est Moysi quinque, & uno Jesu Nave, & alterum Judicum feci, notatis locutionibus singulorum, quæ minùs usitatæ sunt linguæ nostræ, quas, parum advertendo, sensum quærunt, qui legunt, divinorum eloquiorum cùm sit locutionis genus, & nonnumquam exculpunt aliquid, quod à veritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse auctor à quo hoc scriptum est, invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet: multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt, propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum,*

nium, ubi sententiæ patent, ut etiam ubi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus operis titulus est, Locutiones de Genesi, atque ita de singulis libris.

41. *Ad Orosium contra Priscillianistas* liber unus, qui est in sexto tomo edit. ant. & memoratur à S. August. 2. Retr. cap. 44. dicente: *Inter hæc Orosii cuiusdam Hispani Presbyteri consultationi de Priscillianistis, & de quibusdam Origenis sensibus, quos Catholica fides improbat, quanta potui brevitate ac perspicuitate respondi, cujus opusculi titulus est, Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas.* Ad Orosium contra Priscillianistas liber.

42. *Contra mendacium* liber unus, qui habetur in quarto tomo edit. ant. & cujus meminit S. August. 2. Retr. cap. 60. dicens: *Tunc & contra mendacium scripsi librum, cujus operis ea causa extitit, quòd ad Priscillianistas hæreticos investigandos, qui hæresim suam non solùm negando atque mentiendo, verùm etiam pejerando existimant occultandam, visum est quibusdam Catholicis, Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent, quod ego fieri prohibens, hunc librum condidi.* Contra mendaciũ liber.

43. *Breviculus collationum cum Donatistis* libri 3. qui habentur in tomo septimo, & quorum meminit S. August. 2. Retr. cap. 39. dicens: *Posteaquam facta est cum Donatistis nostra collatio, breviter commemoravi quæ gesta sunt, litterisque comprehendi secundùm tres dies, quibus cum eis contulimus, idque opus utile existimavi, quo quisque commonitus vel sciat sine labore, quid actum sit, vel consultis numeris quos rebus singulis adnotavi, legat in eisdem gestis ad locum quodcumque voluerit, quoniam fatigant illa nimia prolixitate lectorem: hujus autem operis titulus est, Breviculus collationum.* Collationum cum Donatistis libri 3.

44. *De gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo* liber unus, in eodem tomo septimo relatus, & memoratus 2. Retr. cap. 51. à S. Aug. dicente: *Aliquanto post collationem, quam cum hæreticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem: ibi apud ipsam Cæsaream Emeritum Donatistarum Episcopum vidimus, unum scilicet eorum septem, quos pro suæ causæ defensione delegerant, & qui in eadem causa maximè laboraverat; quæ cum illo egerimus præsentibus Episcopis ejusdem provinciæ, & plebe Cæsariensis Ecclesiæ, in qua civitate & civis, & memoratorum hæreticorum Episcopus fuit, Ecclesiastica gesta testantur, quæ in meis habentur opusculis, ubi non inveniens quid responderet, totum sermonem meum quem de solis Maximianistis in auribus ejus & omnium qui aderant, explicavi, tanquam mutus audivit.* De gestis cum Emerito liber.

45. *Enchiridion ad Laurentium* liber unus, in tertio tomo edit. ant. relatus, & 2. Retr. cap. 63. memoratus à S. August. dicente: *Scripsi etiam librum de fide, spe & charitate, cùm à me, ad quem scriptus est, postulasset, ut aliquod opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum, quod genus Græci Enchiridion vocant, ubi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodo sit colendus Deus.* Enchiridion ad Laurentiũ liber.

46. *De cura pro mortuis ad Paulinum Nolanum Episcopum* liber unus, qui reperitur in quarto tomo edit. ant. & 2. Retr. cap. 64. memoratur à S. August. dicente: *Librum de cura pro mortuis gerenda scripsi, cùm interrogatus literis fuissem utrùm prosit cuique post mortem, quòd corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur*; hoc est, interrogatus Augustinus à Paulino Nolano Episcopo, utrùm cura sepulturæ quæ fit in memoriis Martyrum, spiritibus mortuorum prosit aliquid; respondet nihil mortuis De cura pro mortuis ad Paulinũ liber unus.

ipsis obesse, etiam si eorum corporibus negetur omnino sepultura; locum autem sepulturæ non per se prodesse quidquam, sed per occasionem tantùm, dum ex illius recordatione movetur & crescit affectus precantium pro defunctis; curam verò sepulturæ ex humani cordis ad carnem suam affectu venire, eamque meritò à sanctis Martyribus, cùm ad felicitatem aut miseriam non prosit, fuisse contemptam ostendit, differens insuper de mortuis, qui narrantur viventibus apparuisse, ut sepulturam suorum corporum curarent.

De gratia & libero arbitrio ad Valentinum.

47. *De gratia & libero arbitrio ad Valentinum & Monachos Adrumetinos* liber unus, qui habetur in tomo septimo edit. ant. & cujus mentionem & argumentum insinuat S. Doctor 2. Retr. cap. 66. dicens: *Propter eos qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundùm merita nostra dari, scripsi librum cujus titulus est, De gratia & libero arbitrio: ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita ut me consulere eorum aliqui cogerentur.*

De correptione & gratia ad Adrumetinos.

48. *De correptione & gratia ad eosdem* liber unus, eodem in tomo septimo relatus, & 2. Retr. cap. 67. memoratus à S. August. dicente: *Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cùm mihi nuntiatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum si Dei præcepta non facit, sed pro illo ut faciat tantummodo orandum.*

De hæresibus ad Quodvultdeum libellus.

49. *De hæresibus ad Quodvultdeum* libellus unus, in sexto tomo edit. ant. relatus, cujus non meminit quidem S. August. in suis Retract. quia his absolutis conscripsit eum; meminit tamen ejus *Possidius* Calamensis Episcopus & Augustini discipulus in indiculo librorum Augustini, ipsumque vocat *de hæresibus ad Quodvultdeum imperfectum opus*; promiserat enim sanctus Augustinus in sua hujusce libelli præfatione se recensurum omnes à Christo ad sua usque tempora exortas hæreses, & insuper quid faciat hæreticum, dicturum; primum implevit, non verò secundum; ideò opus reliquit imperfectum.

50. *Epistolæ* insuper quamplurimæ quæ habentur in secundo tomo, & sermones numero multi qui reperiuntur, inter genuina S. Augustini scripta computari debent, cùm in fine suarum Retractationum expresè dicat Augustinus: *Hæc opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractavi; utrùm aliquos adhuc essem dictaturus ignorans, atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi urgentibus fratribus, antequam epistolas ac sermones ad populum, alios dictatos, alios à me dictos retractare cœpissem.*

51. Genuina pariter censeri debent Augustini scripta alia, juxta Bellarm. in lib. de Script. Eccles. quæcumque vel memorantur in præfatis Retractationum libris, vel in indiculo *Possidii* Calamensis Episcopi, & Augustini discipuli, ejusque vitæ ac gestorum historici, qui librorum omnium S. Augustini fidelissimum texuit indiculum sive catalogum: sic *Enarrationes* seu expositiones in omnes Davidis Psalmos, Augustini verè esse censentur, licèt de his nulla in Retractationibus mentio, quia memorantur in indiculo, & ab ipso Augustino in præfatione Psalmi 118.

Supposititia & dubia censeri debent cætera, quæ Augustino tribui solent

lent ſcripta, quæ nec in Retractationibus nec in præfato Poſſidii memorantur indiculo, nec de illis Auguſtinus meminit alibi, qualia ſunt hæc inter alia multa, iſta ſequentia

Suppoſitia vel dubia ſancti Auguſtini ſcripta

Sunt iſta hic breviter ſubnotata.

1. *De Grammatica, liber.* 3. *Categoriæ decem.* 1.
2. *Principia Dialecticæ.* 1. 4. *Principia Rhetoricæ.* 1.

4. Libri diſciplinarum.

Licèt in primo tomo ſub nomine Auguſtini referantur iſti diſciplinarum libri, Auguſtini tamen non eſſe cenſentur, quia longè diverſi ſunt ab iis quos à ſe conſcriptos teſtatur Auguſt. 1. Retr. cap.6. ait enim ibi Auguſt. eos per modum dialogi, atque eo conſilio, ut per corporalia ad incorporalia deduceret, à ſe fuiſſe conſcriptos, quales ſunt ſex de muſica libri, & ideò genuini, & quales non ſunt iſti, ideòque ſuppoſititii. Secundò, quia auctor libri decem Categoriarum admittit Antipodas, quos S. Aug. negat lib. 16. de Civitate Dei, cap.9.

Ad Demetriadem.

5. *Ad Demetriadem epiſtola*, quæ eſt in ſecundo tomo, non Auguſtini, ſed Pelagii eſt, ut ipſemet indicat Auguſtinus libro de gratia Chriſti cap. 20. & ſequentibus, eſtque liber ille ad Demetriadem; qui cùm in Auguſtini manus veniſſet olim ſine auctoris nomine, reſcripſit ille quàm primùm ad Julianam Demetriadis matrem, reſcire cupiens unde profectum eſſet iſtud opuſculum, quo Pelagianum tradi errorem animadvertebat, & cujus poſteà auctorem indicat Pelagium, in libro de gratia Chriſti, capite vigeſimo, & ſequentibus.

De mirabilibus Scripturæ ſacræ lib. 3.

6. *De mirabilibus ſacræ Scripturæ* libri 3. qui ſunt in tertio tomo, S. Aug. non eſſe meritò cenſentur; cùm nec in Retract. nec in indiculo memorentur, nec Auguſtini ſapiant ſtylum, & eos Auguſtino perperam & falsò adſcriptos aſſerat S. Th. 3. p. q.45. art.3.

De fide ad Petrum.

7. *De fide ad Petrum Diaconum* liber, qui in tertio tomo pariter eſt, *ſeu regula veræ fidei*, Auguſtini pariter non eſt, cùm illius in Retract. nulla fiat mentio, nec reperiatur in indiculo, & Fulgentii eſſe teneant multi, ſuadeatque ſtyli cum ſtylo Fulgentii conformitas, & mutua inter Fulgentium & Petrum Diaconum amicitia; & inſuper in Breviario Romano in feſto ſanctæ Trinitatis legantur ſecundi Nocturni lectiones *de fide ad Petrum*, ſub nomine Fulgentii.

De Spiritu & anima liber.

8. *De Spiritu & anima* liber, S. Auguſtini fœtus eſſe nequit, cùm citet Boethium, centum ferè annis Auguſtino poſteriorem.

Liber quæſtionum veteris & novi Teſtamenti.

9. *Liber quæſtionum veteris & novi Teſtamenti*, qui eſt in quarto tomo, non Auguſtini, ſed viri cujuſdam hæretici cenſendus; cùm quæſt. 2. mundum propter diaboli præſumptionem factum fuiſſe dicat; cùm quæſt. 21. mulierem non ad Dei imaginem creatam eſſe doceat, & quæſt. 80. homines non naſci filios diaboli, quæſt. 109. Melchiſedech eſſe Spiritum Sanctum, & alia ſimilia.

2. Libri de Incarnatione Verbi & ſequentes.

10. *De Incarnatione Verbi libri duo.*
11. *De Trinitate & unitate Dei liber.*
12. *De eſſentia divinitatis liber.*
13. *De ſubſtantia dilectionis liber.*
14. *De ſalutaribus documentis liber.*
15. *Liber de amicitia.*
16. *Liber de vera & falſa pænitentia.*

Non videntur Auguſtini eſſe libri iſti, cùm nec in Retractationibus,

nec

nec in indiculo reperiantur ; & aliunde auctor libri de vera & falsa pœnitentia S. Augustinum nominatim citet, & ab illo dissentiat.

17. *Concio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos & Arianos.*

18. *Oratio adversus Judæos.*

Sancti Augustini esse duo ista opuscula tenent cum Bellarmino nonnulli, quia reperiuntur in indiculo Possidii; sed dubitant alii, arbitrantes per hæc Possidii verba in indiculo posita *adversus Judæos tractatus duo*, intelligendos esse duos sermones de tempore, videlicet 234. & 235.

De altercatione Ecclesiæ & Synagogæ.

19. *Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ*, cùm nec in Retract. nec in indiculo memoretur, nec stylum Augustini sapiat, ut spurius Augustini fœtus reputatur ab omnibus.

De prædestinatione & gratia liber.

20. *De prædestinatione & gratia liber*, qui est in septimo tomo, & de quo idem esto judicium. 1. Quia nec in Retract. nec in indiculo reperitur. 2. Quia non sapit Augustini stylum. 3. Quia nulla fuit Augustino causa hunc scribendi librum, qui jam tam copiosè scripserat de prædestinatione Sanctorum. 4. Quia hujus libri auctor cap. 16. docet hominem potuisse justè à Deo in æternum interitum damnari, etiam si non peccasset, quod repugnat doctrinæ Augustini dicentis lib. 3. contra Julianum cap. 8. *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Hypognosticon libri 6.

21. *Libri qui inscribuntur hypognosticon 6.* qui sunt in septimo tomo, quamvis Catholici, utiles & eruditi auctorisque perantiqui sint, non tamen Augustini, cùm non sapiant Augustini stylum, nec memorentur in Retractationibus, nec in indiculo.

Liber de speculo.

22. *Liber de speculo*, sancti Augustini pariter non est, quia cap. 3. citat versus Boethii Augustino recentioris, & cap. 27. Spiritum Sanctum à Filio procedere negat, cujus oppositum passim Augustinus affirmat.

De conflictu Virtutum & Vitiorum.

23. *Liber de conflictu Virtutum & Vitiorum*, qui etiam S. Leoni tribui solet; sed nec S. Augustini, nec S. Leonis esse potest, cùm ab utriusque differat stylo, & in fine citet S. Benedicti regulam, qui fuit *S. Augustino* & *S. Leone* posterior.

De Antichristo liber.

24. *Liber de Antichristo*, Augustini pariter esse nequit, cùm mentionem faciat de Imperio à Græcis ad Gallos seu Germanos translato, quod evenisse constat longè post Augustinum, anno videlicet 800.

Liber expositionis in Apocalypsim.

25. *Liber expositionis in Apocalypsim*, Augustini non esse colligitur ex eo quòd cap. 21. de statu præsentis Ecclesiæ exponat, quòd S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 17. nimiæ impudentiæ esse dicit.

Soliloquiorum animæ ad Deum liber.

26. *Liber Soliloquiorum animæ ad Deum*, qui est in hoc nono tomo, & qui incipit sic : *Agnoscam te Domine cognitor meus*, non est Augustini, sed auctoris Augustino recentioris, cùm cap. 32. contineat caput primum Concilii Lateranensis quarti, in quo exprimitur *confessio fidei de summa Trinitate, &c.* unde est longè diversus ab illis Soliloquiis, de quibus in primo tomo, quorum meminit S. August. 1. Retr. cap. 4. quæque incipiunt : *Volventi mihi multa, ac varia mecum, &c.*

Dubia

Dubia sunt & incerta,

Cætera ista quæ in nono Tomo referuntur opuscula, quia nullibi in indiculo notata, qualia sunt

Dubia & 9. Tomi opusculi ista.

1. *Meditationum liber.*
2. *De diligendo Deo liber.*
3. *De Manuele.*
4. *De triplici habitaculo liber.*
5. *De scala paradisi.*
6. *De duodecim gradibus abusionum.*
7. *De contritione cordis.*
8. *De cognitione veræ vitæ.*
9. *De vita Christiana.*
10. *De assumptione B. Mariæ.*
11. *De Cantico novo.*
12. *De contemptu mundi.*
13. *De vanitate sæculi.*
14. *De obedientia & humilitate.*
15. *De bono disciplinæ.*
16. *De visitatione infirmorum.*
17. *De consolatione mortuorum.*
18. *De quarta feria.*
19. *De cataclysmo.*
20. *De tempore Barbarico.*
21. *De sobrietate.*
22. *Speculum peccatoris.*
23. *De laudibus Charitatis.*
24. *De honestate mulierum.*
25. *De Symbolo fidei.*
26. *De rectitudine Catholicæ conversationis.*
27. *De utilitate jejunii.*
28. *De creatione primi hominis.*
29. *De arbore scientiæ boni & mali.*
30. *De pugna animæ.*
31. *Psalterium matri suæ.*
32. *Expositio super Magnificat.*

De libris istis nihil certi nobis dicendum occurrit, cùm nullibi repeRiantur notati, nec in Retractationibus, nec in indiculo Possidii memorati: Augustini tamen non esse certò asserere non audemus, cùm pii sint & docti libri, & Augustini ingenio digni, inquit Bellarminus in lib. de Script. Eccles.

Resolvuntur varia in S. August. objecta.

Objicies 1. inter varia alia. S. Augustinus variis in locis, sed præsertim libro *de Genesi ad litteram*, cap. 33. & libro *de anima & ejus origine*, cap. 14. in eam propendisse videtur sententiam, quæ animas ex traduce, seu per propagationem fieri tenebat; ergo & errasse, vel hi non sunt Augustini libri. Resp. 1. perm. ant. neg. conseq. quia tunc nec error, nec hæresis erat id asserere, cùm variæ tunc essent hac de re Catholicorum sententiæ, S. Hieronymo teste, qui de hoc dubio interrogatus & consultus ab Augustino, respondit epist. 157. *Unusquisque in suo sensu abundet*. Resp. 2. S. Augustinum dubium quidem hac de re fuisse, & neutram partem amplexum, ut expressè testatur ipse in epist. ad *Optatum*, dicens: *De qua re antequam aliquid admoneam sinceritatem tuam, scire te volo in tam multis opusculis meis numquam me fuiße ausum, de hac quæstione definitam proferre sententiam.*

Objicies 2. S. Augustinus, lib. 1. contra Academicos, corpoream sensibusque præditam Angelis tribuit naturam; imò & lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. & lib. 21. cap. 10. dum dixit: *Sunt quædam sua etiam Dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est*; ergo & in hoc erravit. Resp. perm. ant. neg. conseq. & eadem de causa, nimirùm quia tunc variæ erant hac de re veterum PP. sententiæ, & liberum erat unicuique in suo sensu abundare; unde ibidem pergens S. Augustinus, ait: *Si autem quisquam nulla habere corpora Dæmones aßereret, non est de hac re operosa inquisitione certandum*; corporeos tamen esse Angelos vel Dæmones, temerarius esset, quisquis diceret hodie.

Obji-

Objicies 3. S. Augustinus tenuit parvulos sine Baptismo ex hac vita migrantes, nedum pœna damni, seu privatione visionis Dei puniendos, sed etiam pœna sensus, seu infernali igne cruciandos, dum sermone 14. de verbis Apostoli dixit: *Dominus judicaturus, duas partes facturus, dexteram & sinistram; sinistris dicturus est, Ite in ignem æternum; dextris, Venite benedicti..... nullus relictus est locus medius, ubi ponere queat infantes*; ergo in hoc errasse dicendus S. August. Resp. 1. non constare nec convenire inter doctos, an reipsa senserit S. August. parvulos non baptizatos, pœna sensus in æternum cruciandos; hoc enim illum ita sensisse negant cum S. Thoma non pauci, eò quòd lib. 1. contra Julianum, cap. 8. expresè dicat, parvulos illos in damnatione omnium levissima futuros, dum ait: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui nullum habent actuale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? quæ, qualis, quanta erit, quamvis definire non possim, non audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm, ut ibi essent, potiùs expediret.* Quod non dixisset sine dubio, si censuisset illos ignis æterni pœna cruciandos; qui enim ignis æterni pœna cruciantur, non sunt, ut patet, in pœna omnium levissima, & de illis dici potest, *Quòd eis, ut nulli essent, quàm, ut ibi essent, potiùs expediret*. Sicut de Juda dictum à Domino, Matth. 26. *Bonum erat ei*, id est, *melius, si natus non fuisset*. 2. Hanc non fuisse S. Augustini mentem, patet ex ejus ad Hieronymum epistola, quæ est 166. ubi sic ait: *Cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio*.

Instabis. S. August. loco laudato de verbis Apost. expresè dicit: *Nullus relictus est locus medius, ubi ponere queat infantes*. Ergo censuit illos futuros esse in gloria, vel in igne æterno; non 1. ergo 2. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia dum ibi dicit nullum relinqui locum medium, loquitur de medio illo loco, quem fingebant Pelagiani; dicebant enim Pelagiani, pueros illos non baptizatos felicitate potituros in loco aliquo alio extra regnum Cœlorum; nullum siquidem originale peccatum in parvulis esse dicebant Pelagiani; ac proinde parvulos illos, quia nullius peccati reos, non esse in æternum puniendos, sed beatitudine potituros asserebant; non quidem in Cœlo, quia non baptizati fuere, seu renati, & nullus nisi renatus ex aqua & Spiritu Sancto possit intrare in Regnum Dei; ergo in alio loco medio extra Regnum Dei, & ignem æternum, quem locum medium & fictitium rejicit ibi S. August. Resp. 2. quòd quamvis daretur, hanc fuisse S. Augustini mentem, non tamen eum errasse putandum; quando quidem hæc sententia in sacris Scripturis non leviter fundata videtur, estque ad doctrinam de originali peccato, contra Pelagianorum errorem propugnandam, idonea, & à nonnullis aliis SS. PP. Augustino recentioribus approbata, ut à SS. *Fulgentio*, *Gregorio*, *Anselmo*, & aliis.

Urgebis contra primam responsionem: Ex S. Augustini mente, illi parvuli cùm non futuri sint in Regno Dei, nec in medio alio loco; ergo erunt in igne. Resp. dist. conseq. erunt in igne metaphoricè & impropriè dicto; conc. propriè dicto; neg. conseq. Ratio est, quia erunt in pœna damni, & cùm juxta S. Scripturæ phrasim, nomine *ignis*, non pœna sensus determinatè intelligatur, sed quælibet pœna designetur, ut docet S. August. quæst. 9. in *Josue*, ubi ostendit lapidationem vocari ignem à Scri-

ptura

ptura dicente, Josue cap. 7. vers. 15. *Et quicumque ille in hoc facinore fuerit comprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua*; & ideò quia in pœna damni erunt, potest dici eos futuros esse in igne impropriè & metaphoricè sumpto.

Objicies 4. S. August. lib. 16. de Civitate Dei, cap. 9. Antipodas dari negavit, dicens: *Quòd verò Antipodas esse fabulantur, id est, homines à contraria parte terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum*; ergo & in hoc errasse censendus S. August. Resp. perm. ant. neg. conseq. quamvis enim hodie variis navigationibus, & relationibus pleniùs instructi asserant omnes, verè Antipodas esse, nullatenus tamen errasse dicendus Augustinus, Antipodas negando, quandoquidem dari, nullibi certò constet ex Scripturis, sive sacris, sive profanis, solisque conjecturis moti dari tenuerint antiqui. Vide *Possid. in vita S. August. Sigib. Gennad. Trith. Bellarm. & præsertim novam operum S. August. editionem, studio & labore eruditorum Congr. sancti Mauri Monachorum luci publicæ datam, anno* 1693.

ARTICULUS XXVIII.

De sancto Paulino. 431.

S. Paulini patria, parentes, dotes, spontanea captivitas, obitus, & scripta qualia sunt.

S*anctus Paulinus* in Campania Italiæ provincia Nolensis Episcopus, S. August. Hipponensis æqualis & discipulus, vir juxta Trithemium de Script. Eccles. in Scripturis sanctis eruditissimus, & in sæcularibus literis suo tempore nulli secundus, nec minùs sanctitate, quàm eruditione clarus; quem suis in scriptis meritò laudarunt olim & fusè *S. Hieronymus* in Asia, *Ambrosius* in Italia, *Augustinus* in Africa, *Martinus*, *Severus Sulpicius*, *Prosper*, *& Eucherius* in Gallia: vir cujus scripta commendat præsertim Hieronymus, dum scribens ad illum, ait: *Librum tuum quem pro Theodosio Principe prudenter ornatèque compositum transmisisti, libenter legi, & præcipuè mihi in eo subdivisio placuit; cùmque in primis partibus vincas alios, in penultimis te ipsum superas, sed & ipsum genus eloquii pressum est & nitidum, & cum Tulliana puritate crebrum est in sententiis .... Magnum habes ingenium & infinitam sermonis supellectilem, & facilè loqueris & purè, facilitasque & puritas mixta prudentiæ est, &c.* Commendat eundem & August. dum Paulino rescribens ait epist. 32. *Legi literas tuas fluentes lac & mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum, sentiens de illo in bonitate.* Vir denique natione Gallus, qui in Aquitania *Ebromagi* ad Garumnæ fluminis ripam non procul à Burdegala claris parentibus ortus, adolescens sub *Ausonio* suo Burdegalæ magistro ita profecit, ut tam in Oratoria quàm Poetica facultate docentis gloriam superaverit .... exinde matrimonio feliciter inito, *Therasia* locuples, sapiens & pia conjux *Paulino* data, qua comite dum Hispania peragrata, Complutum venisset, ei natus est post longa vota ex Therasia conjuge puer, qui octavo post ortum die ibidem morte raptus viam parentibus expedivit, ut non caducam meritorum posteritatem quærerent & invenirent; unde *Paulinus* ad pietatem sensim inspirante Deo conversus, baptizatur à *Delphino* Burdegalensium Episcopo; & ne generis vel honoris splendore à Christiana averteretur modestia, unà cum Therasia uxore san-

sanctissima, venditis prædiis omnibus, ut Deo liberiùs tutiùsque vacarent, deserta Pyrenæorum trajecit juga, Barcinonemque venit, ubi à *Lampio* Barcinonensium Episcopo sacris est initiatus Ordinibus, & presbyter ordinatus ea lege, eoque animo, ut nulli incardinaretur sive adligaretur Ecclesiæ; unde Hispania relicta tendens in Italiam, Mediolanum Romamque lustrans, Nolam venit, ubi paulò pòst licèt reluctans Nolensis creatur Episcopus, quam sanctè rexit Ecclesiam ad felicem usque obitum suum, videlicet usque ad annum salutis reparatæ 431. cujus tantus fuit erga egenos, captivos redimendos charitatis ardor, ut cùm jam censum in redimendis Christianis consumpsisset omnem, nec haberet aliunde quo lamentantis & afflictæ cujusdam viduæ captivum filium redimeret, se ipsum spontè loco captivi matris afflictæ filii captivum dederit, memorandum reliquens posteris charitatis & propriæ abnegationis exemplum, sicut & scripta tam metro quàm prosa reliquit Ecclesiæ volumina varia; scripsit enim in primis epistolas varias elegantes & pias, quales sunt

Scripta sancti Paulini soluta.

Epistolæ ad varios, variæ elegantes & piæ.

1. *Epistolæ ad Severum* 14. hoc est, ad Severum Sulpicium Presbyterum familiarem suum, & à teneris annis amicum.

2. *Ad Delphinum* Burdigalensem Episcopum, à quo fuerat per baptismum in Christo genitus, epistolæ 5.

3. *Ad Amandum* Delphini posteà successorem, & Burdigalensium pariter Episcopum, epistolæ 6.

4. *Ad Victricium* Rothomagensem Episcopum octavum, epistolæ 2.

5. *Ad Aprum* Tullensem in Lotharingia Præsulem, seu Tulli Leucorum Civitatis Episcopum septimum, epistolæ 3.

6. *Ad Florentium* Cadurcensem Episcopum tertium, de cujus amicitia lætatur Paulinus, & ejus preces exposcit, epistola 1.

7. *Ad Alithium* sive Alethium, post *Florentium* Cadurcensem pariter Episcopum, epistola 1.

8. *Ad Desiderium* quem vocat sanctum & venerabilem fratrem & desideratissimum desideriorum suorum Desiderium, quem puto fuisse S.Desiderium Lingonensem Episcopum, virum quarto cadente sæculo vitæ sanctitate mirabilem, epistola 1.

9. *Ad Macarium*, illum haud dubiè solitarium, cui Ruffinus Pauli coævus suam pro Origene direxit olim apologiam, epistola 1.

10. *Ad Pammachium* virum proconsularem, ut consoletur eum de obitu conjugis suæ Paulinæ, sanctæ Paulæ filiæ post *Blæsillam* natu maximæ, epistola 1.

11. *Ad Jovium* virum eloquentem & eruditum, sed de providentia Dei Philosophicè & non Christianè sentientem, epistola 1. qua docet eum divinæ providentiæ subjacere omnia, & hortatur ut postpositis Philosophorum libris, se ad divinæ Scripturæ lectionem transferat.

12. *Ad Militem* quendam epistola 1. qua hortatur eum ut à Cæsaris ad sacram Christi militiam transeat.

13. *Ad Sebastianum Eremitam* epistola, qua laudat eum ob vitæ institutum, & rogat ut pro se & pro Therasia conjuge ad Dominum intercedat.

14. *Ad*

14. ***Ad Augustinum*** epistolæ 4. in quarum 1. significat Augustino se accepisse ab Alipio quinque libros ejus contra Manichæos. In 2. non accepto ad priorem responso, eadem rursus per aliam scribit, quantoperè Augustinum diligat, quantique faciat nuntians. In 3. Augustino proponit quæstiones novem ex diversis Scripturæ locis; & in 4. denique acceptis Augustini literis in quibus ille constantiam *Melaniæ* in obitu unici filii laudaverat, & quæsiverat quæ futura sit actio Beatorum post resurrectionem respondet, laudans Augustini sapientiam, Melaniæ filium & *Melaniam* commendans, rectaque responsione ad propositam quæstionem modestè declinata, rogat ipsum Augustinum ut doceat se potiùs Euangelicam obire mortem.

15. ***Ad Alipium*** epistola una, qua gratias agit ei de Augustini libris, & quæ postulaverat Eusebii chronica mittit.

16. ***Ad Romanianum*** epistola una, qua Romaniano gratulatur Paulinus, nuntians Valerio Hipponensi Episcopo Augustinum datum esse collegam.

17. ***Ad Licentium*** Romaniani filium & Augustini quondam discipulum, quem hìc & prosa & carmine hortatur Paulinus, ut postposito sæculo se totum Christo tradat.

18. ***Ad Ruffinum*** epistolæ duæ, in quarum 1. petit in Græcis doceri à Ruffino; in 2. Cereolem Ruffino commendat, & postulat reliquas benedictiones Patriarcharum explicari.

19. ***Ad Marcellam*** epistola una, in qua agit de bono tribulationis, per quam ad studia pietatis magnoperè profecisse gratulatur *Marcellæ*.

20. ***Ad Celantiam*** nobilem Matronam epistola una, qua rogatus instruit eam, quomodo inter honores, divitias & matrimonii curas, vitam suam Sanctè & religiosè ducat.

21. ***Ad Eucherium*** & ***Gallam*** uxorem ejus epistola una familiaris, qua cœlestem eis precatur benedictionem, qua benedicitur homo qui timet Dominum.

Scripta sancti Paulini metrica, seu Poemata varia.

1. ***Ad Jovium***, cui scripsit prosa epistolam unam, addidit & alteram metro descriptam, qua hortatur eum ad Christiana sacra legenda & condenda, fatum & fortunam nihil esse docens. Poetica opuscula ad varios & de variis varia.

2. ***Ad Ausonium*** metricè descriptæ epistolæ 4. quas scripsit Paulinus cùm adhuc esset in Hispania positus, & crebris literis provocatus ut in patriam rediret.

3. ***Ad Citherium*** de naufragio Martiniani, & de filii ipsius Citherii eruditione carmen.

4. ***De obitu Celsi*** pueri ad Pneumatium patrem & Fidelem matrem parentes carmen panegyricum.

5. ***Natales S. Felicis***, hoc est, Natalitia carmina varia, quibus S. Paulinus Natalem S. Felicis diem excoluit; solebat enim quotannis Natalem S. Felicis diem primo Natalitio, carmine novo quasi Deo tributum pendens honorare: ex iis 15. reperiuntur in Bibl. PP. tom. 6. edit. Lugd. 1677. & fragmenta aliorum quæ non extant varia, sicut & varia opuscula alia, inter quæ sunt Psalmi nonnulli metricè decantati.

6. ***Panegyricus Theodosii*** super victoria tyrannorum, in quo eò maximè

ximè Theodosium commendat, quòd fide & oratione plusquam armis vicerit: laudat in eo non tam Imperatorem, quàm Christi servum; opus est Paulino dignum, de quo S. Hieronym. meminit scribens ad illum; sed illud periisse dolendum.

Supposititia nonnulla alia.

Extant insuper in Bibl. PP. opera nonnulla alia quæ S. Paulino Nolano tribui solent, ut v. g. 1. *Sex libri de vita S. Martini* Turonensis Episc. carmine conscripti. 2. *Vita S. Ambrosii*; & 3. *Carmen Eucharisticum de vita sua*; sed re meliùs pensata, hæc *S. Paulini* Nolani non esse constat.

Nam primò. Sex libri de vita S. Martini Turonensis, B. Paulini Nolani esse nequeunt;

1. Auctor horum librorum meminit S. Paulini Nolani, & se ejusdem nominis esse dicit. 2. Quia dicat hoc suum opus *Perpetuo* Turonensi Episcopo, qui sedit anno circiter 470. & præfuit Concilio Turonensi, anno 480. ac proinde longè post obitum Paulini Nolani; unde non Nolani, sed *Paulini* Petricordii Nolano recentioris 30. circiter annis esse creduntur libri illi.

2. *Vita S. Ambrosii* pariter Nolani Paulini nequit esse, sed alterius; nedùm quia Nolani Paulini stylum non sapit, sed quia auctor hujus vitæ indicat, se ut ministrum & amanuensem adstitisse S. Ambrosio; Paulinus autem Nolanus numquam ut minister adstitit Ambrosio, & multò ante mortem ejus presbyter erat, ut ipse testatur Paulinus in epist. ad Alipium.

3. Denique quòd carmen Eucharisticum de vita sua non sit Paulini Nolani patet, ex eo quòd auctor illius scribat gesta sua usque ad annum octogesimum tertium; at *Paulinus* Nolanus non excessit annum septuagesimum octavum, ut ex Baronio constat.

Advertendum est, præter Paulinum Nolanum, plures fuisse *Paulinos* alios illustres, scriptisque celebres viros, quales fuere

1. *Paulinus Biterrensis*, cujus epistolam sub annum Christi 420. Idacius commemorat, inquit *Gennad. de Script. Eccl.*

2. *Paulinus* auctor Carminis Eucharistici, quem *Ausonii* ex filio Hesperio nepotem ex ejus versibus deprehendisse videtur idem.

3. *Paulinus Petricordius*, qui vitam S. Martini Turonensis sex libris metricè conscripsit, & *Perpetuo* Turonensium Episcopo dicavit, in quo mirum est, errasse *Gregorium* Turonicum, dum hoc opus *S. Paulini* Nolani fœtum esse dixit.

4. *Paulinus Aquilejensis* Patriarcha tempore Carolomagni, circa annum 774. qui claruit variis in Conciliis contra Elipandum Toletanum & Felicem Urgelitanum Episcopos, & contra quos libellum edidit, cui titulus est, *Libellus de SS. Trinitate adversus Elipandum Toletanum & Felicem Urgelitanum Antistites, dictus sacrosyllabus.* Vide *Sulpic. Sev. lib. 2. hist. Gennad. de Script. Eccl. cap. 48. Sigiber. cap. 14. Trith. Bellarm. de Script. Eccl. Baronium, Miræum in Bibl. Eccl. &c.*

A R-

ARTICULUS XXIX.

De sancto Nilo. 440.

S*Anctus Nilus*, non ille quidem Ægyptius Episcopus & Martyr, cujus sub Diocletiano meminit Eusebius, sed admirandus ille *Nilus*, qui teste Nicephoro, fuit patria Constantinopolitanus, & propter egregiam generis nobilitatem, urbis Constantinopolitanæ Præfectus, potentia, & opibus affluens, quibus Asceticam prætulit vitam, factus cum filio suo Theodulo in monte Sinai Monachus, & multorum in Oriente Monachorum Abbas, S. Joannis Chrysostomi discipulus, Theodoreti coætaneus, sub Theodosio juniore, sanctitate & eruditione celebris & clarus, circa annum 440. Qui cùm eloquentiæ vi polleret, divinæque gratiæ nervis validus esset, varia reliquit & eximia solidæ pietatis & sanctæ eruditionis opera, in septimo tomo partim, & partim in 27. edit. Lugd. à variis auctoribus in Bibl. PP. inserta è Græco in Latinum translata, qualia sunt ista

S. Nili patria, genus, professio, dotes, & scripta quæ sunt.

Scripta sancti Nili.

Opuscula varia, Ascetica vel moralia ferè omnia.

1. *Parænetica*, hoc est liber *Pareneticus*, sive admonitorius vel hortativus, varia *Parænetica* complectens capita brevia, sive hortationes, vel monita, in septimo tomo Bibl. PP.

2. *De oratione liber alter*, , sive de modo orandi Deum, varia pariter alia complectens utilia capita, ibid.

3. *Liber Asceticus*, seu de Christiana Philosophia, quo nomine Monasticam intelligit, ibid.

4. *De Monachorum institutione* liber unus, quo juniores instituit Monachos, ibid.

5. *De Monachorum præstantia* tractatus, eò tendens, ut ostendat multò præstantiores esse quiescentes & silentes in eremis Monachos, aliis quibuscumque urbium incolis, licèt multis inexpertis id falsum appareat, ibid.

6. *Peristeria*, seu Tractatus de virtutibus excolendis, vitiisque fugiendis exemplo *Peristeriæ* clarissimæ eo sæculo fœminæ, & mirandæ virtutis matronæ, ad Agathium monasticam vitam agentem, in Bibl. PP. tom. 27. edit. Lugd.

7. *De voluntaria paupertate*, seu de nihil possidendo tractatus ad *Magnam*, hoc est, ad illustrem & venerandam fœminam Ancyræ Diaconissam, nomine *Magnam*, ibid.

8. Tractatus de vitiis ad Eulogium Monachum sacris virtutibus initiatum, ibid. Quem sequitur tractatus *de diversis malignis cogitationibus* ad eumdem, ibid.

9. *Historia de Incursione Saracenorum*, & de martyrio occisorum in monte Sinai, in qua occisos Presbyteros, & filium suum *Theodulum*, aliosque plures sublatos asserit, *teste Niceph.* lib. 14. hist. cap. 54. Vide *Bolland. in vitis* SS. 14. Januar.

10. *Epistolæ* 657. de novo detectæ & Latinæ redditæ à Leone *Allatio* post jam editas 355. à Patre Possevino S. J. Presbytero, & erutas è vetusto

Bibl. Medicææ codice, quarum duæ ultimæ, una videlicet ad Olympiodorum præfectum, altera ad *Heliodorum* ſilentiarium, lectæ fuere in Act. 4. ſeptimi œcumenici Concilii, in cauſa ſacrarum Imaginum habiti; tantæ ſiquidem venerationis & auctoritatis erat *S. Nilus*, ut Concilii Patres controverſiam de ſacrarum Imaginum cultu diſcutientes, has duas de hoc argumento tractantes *S. Nili* epiſtolas citaverint; ut liquidò monſtrarent *S. Nilum* ſacrarum Imaginum uſum probare, & ut eorum retunderetur calumnia, qui eum contra ſacras Imagines ſcripſiſſe tenebant, quoſque ideò ejus ad *Olympiodorum* epiſtolam depravaſſe conqueſti ſunt Orthodoxi Concilii Patres, *in Supplem. ſeu 27. tom. Bibl. PP. edit. Lugd. an. 1677. Vide Phot. cod. 153. Sixt. Sen. Poſſevin. in App. Bellarm. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccl. &c. Martyr. Rom. & Græc. Menol. 12. Novembris.*

ARTICULUS XXX.

De S. Petro Chryſologo. 450.

Sancti Petri Chryſologi patria, parentes, dotes, obitus, & ſcripta quæ ſunt.

SAnctus Petrus Chryſologus* in Foro Cornelii, quod Imolam vocant hodie, honeſtis & claris parentibus natus, à *S. Cornelio* Ravennæ civitatis Epiſcopo nedum ſanctis moribus ac diſciplinis inſtitutus, ſed etiam ſacris altaribus oblatus ac conſecratus, tandemque monitu *S. Apollinaris* Ravennatum patroni à *Sixto III.* Rom. Pont. Ravennatibus Epiſcopus datus circa annum 433. Vir fuit omni laudis genere clarus, doctrina & ſanctitate celebris, in vita multis coruſcans miraculis, & in homiliis ad populum declamandis mirabilis; unde ob auream & mirabilem dicendi vim, *Chryſologus* ſingulari cognomine dictus, qui obiit anno Chriſti circiter 450. ac proinde non ſupervixit ad annum uſque Chriſti 502. ut falsò putarunt nonnulli; idque manifeſtè colligitur ex trigeſima ſeptima *S. Leonis* Magni epiſtola ad Leonem Ravennatum Archipræſulem, & S. Petri Chryſologi ſucceſſorem ſcripta anno Chriſti 451. quæque incipit: *Frequenter quidem in diverſarum ambiguo quæſtionum, titubantia fratrum corda ſpiritu Dei inſtruente ſolidavimus, &c.* Errant conſequenter hi, qui Petrum Chryſologum Romano Concilio ſub *Symmacho* interfuiſſe volunt: Petrus enim ille qui Romanæ ſubſcripſit Synodo, non Chryſologus, ſed Petrus Altinas erat, à Theodorico Gothorum Rege Romam miſſus. Vide Baron. ad annum 502. Scripſit Chryſologus *Homilias & Epiſtolas*, è quibus in Biblioth. Patrum, tomo ſeptimo, edit. Lugd. anno 1677. extant.

Scripta ſancti Petri Chryſologi.

Homiliæ 176. de feſtis anni ſolemnioribus.

1. *Homiliæ ſive Sermones 176.* in Euangelia de Dominicis & feſtis aliquot ſolemnioribus totius anni, breves quidem, ſed inſignes pietate, doctrina uberes, & eloquio diſerti.

Inſignis ad Eutychen epiſtola.

2. *Epiſtola inſignis ad Eutychen presbyterum* contra errores ejus, in qua illi apto reſpondit exemplo; ſcripſerat enim *Eutyches* ad Petrum Ravennatem, alioſque Occidentis Epiſcopos, ut eis ſuas in Flavianum Conſtantinop. conquerendi cauſas exponeret; ad illum iſtam brevem qui-

quidem, sed gravem & apostolicam rescripsit Petrus epistolam, cujus tenor hic est.

Dilectissimo & meritò honorabili filio Eutycheti Presbytero, Petrus Episcopus.

Tristis legi tristes literas tuas, & sic scripta mœsta mœrore debito percurri. Quia sicut nos pax Ecclesiarum, Sacerdotum concordia, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio cœlesti; ita nos affligit & dejicit fraterna dissensio, præsertim cùm talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis, post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit; quomodo Nestorius lapsus sit, disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Christum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur; & Sacerdotes, quis sit qui virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cùm vagitus Jesus daret in cunis, Gloria in Excelsis Deo, cœlestis clamabat exercitus: & modò quando in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos, frater charissime, unà cum Apostolo dicimus: Et si novimus Jesum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus; nec possumus curiosè perscrutari, qui jubemur honorem dare, & timorem reddere; & expectare, non discutere, quem Judicem confitemur.

Hæc breviter respondi, frater, literis tuis; plura rescripturus, si ad me frater & Coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset. Si enim tibi displicet quoniam scripsisti neglectum judicium; nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, & quid intellexerunt, eorum taciturnitate nescimus? Justus mediator non est, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus qui in propria sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur, charissime & honoratissime fili.

Alias fertur scripsisse epistolas, sed non extant. Vide *Baron. ad an. 502. Martyr. Rom. 2. Decemb. Bibl. PP. tom. 7. Trith. Bellarm. de Script. Eccles. Miræum, Bibl. de Script. Eccles. &c.*

ARTICULUS XXXI.

De Theodoreto. 460.

THeodoretus Cyri Episcopus, vir fuit Antiochiæ piis & nobilibus parentibus ortus, matrique sterili sanctorum Syriæ Monachorum precibus à Deo datus, eaque de causa etiam ante ortum Deo à gratis parentibus oblatus, & adolescens sine mora educandus monasterio creditus, ubi brevì tantam pietatis, eruditionisque famam consecutus, ut anno circiter 423. juvenis adhuc & invitus fuerit ordinatus Cyrensis Episcopus, hoc est, oppidi in Syria à *Cyro* Persarum Rege conditore *Cyri* nomine vo-

Theodoreti patria, genus, dotes, labores, certamina, obitus, & scripta qualia sunt.

cati: qua in ſede octingentarum Eccleſiarum curam ſortitus, (tot enim parochiales habet Cyrenſis Epiſcopatus Eccleſias,) qualem ſe geſſerit, quidve peregerit, intelliget & diſcet ab eo, quiſquis ejus ad Leonem Romanum Pontificem epiſtolam leget: intelliget enim quo zelo per 26. annorum ſpatium ſibi à Chriſto creditas rexerit oves, qua ſolicitudine in hæreticis & deviis ad Eccleſiam reducendis invigilaverit, quo labore pagos integros hæretico Marcionis morbo laborantes curaverit, qua diligentia multos alios Arii, Eunomiique contagione fœtentes mundaverit; qua cura, quo ſudore, quo vitæ periculo totam diœceſim ab omni zizanio & erroneæ doctrinæ lolio purgaverit; quot ingruentes & in ſe immiſſos hoſtium hæreticorum lapides patienter ſuſceperit; quot & quanta variis in Orientis oppidis certamina ſubierit contra gentes, Judæos & hæreticos, & quomodo poſt tot labores, ſudores & angores abſens, non vocatus & inauditus, fuerit ab hæreticis condemnatus, ſuaque à Sede perperam & injuſtè detruſus, in prædatoria Epheſina Synodo, præſide Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo, anno Chriſti 449. nec tamen hac iniqua depoſitione perterritus *Theodoretus*, non fractus animo, non mutatus, nec à tuenda veritate repulſus, in hoſtes Eccleſiæ lingua pugnavit & calamo vir ille magnus, ſtylo fluidus & eloquio facilis, copioſus & amœnus, Orientalis Eccleſiæ Pater & Doctor celeberrimus, S. Joannis Chryſoſtomi ſectator fideliſſimus, Cyrilli Alexandrini coætaneus, & tantiſper aliquando pro Neſtorio, ſed zelo Religionis adverſarius; qui tandem poſteà reſipiſcens, cum Cyrillo inita pace, Neſtorio lubens anathema dixit, & in celeberrimo ſexcentorum Patrum Chalcedonenſi Concilio, fauſtis & honorificis acclamationibus Catholicus & orthodoxus Eccleſiæ Pater & Doctor eſt appellatus; qui ſicut juvenis à ſuorum parentum obitu, diſtributis qui ſibi obvenerant redditibus omnibus, ſpontaneam amplexus paupertatem, toto ſui Epiſcopatus tempore vixit nihil poſſidens, nec domum, nec agrum, nec obolum, imò nec ſepulchrum: ita pauper, ſed meritis dives obiit, ſuumque poſt obitum in ſepulchro ſepultus alieno, hoc eſt in ſepulchro quod Jacobo Niſibeno, venerando ſeni familiarique ſuo parari curaverat ipſe, & in quo ſuperſtite adhuc illo priùs ſepultus ipſe, non longè poſt Chalcedonenſe Concilium, hoc eſt circa annum, ut creditur, 460. vel 470. Cujus ſcripta numero multa, variis fuere editionibus luci publicæ data, eaque ultimò græco-latina in 4. volumina diſtributa Lutetiæ Typis mandari curavit *Sirmundus*, anno 1642. quorum præcipua

Scripta Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi.

Liber de ſelectis Scripturæ quæſtionibus ambiguis.

1. *In vetus Teſtamentum* opera varia; & primò liber de ſelectis Scripturæ quæſtionibus ambiguis, hoc eſt, liber in quo difficiliores nonnullas reſolvit quæſtiones, præſertim circa Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, libros Regum & Paralipomenon. Secundò, Commentaria varia, ſive interpretationes lucidæ & eruditæ in omnes Davidis Pſalmos, in Cantica Canticorum Salomonis, in omnes Prophetas majores & minores, excepto Iſaja.

Commentarium in Pauli epiſtolas, in cujus prælu-dio notatur

2. *In Pauli epiſtolas omnes* numero 14. Commentarium, ſive interpretatio alia æquè lucida & docta, in cujus præludio, temporis ordinem explicat quo ſingulæ fuerint ſcriptæ illæ 14. Paulinæ epiſtolæ; oſtendens quòd omnium prima à Paulo ſcripta ſit 1. ad Theſſalonicenſes, Athenis ad illos quibus anteà prædicaverat miſſa, ut eos in fide firmaret, & à quibus inſi-

insidias declinans Athenas redierat, ut colligit ex eo quòd cap. 3. vers. 1. dicat, *Propter quod non sustinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis, solis*. 2. est ad Thessal. altera, Athenis pariter & non longè post priorem scripta. 3. est prima ad Corinthios à Paulo dum esset Ephesi scripta, ut colligitur ex eo quòd in fine illius dicat cap. 16. vers. 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*. 4. est secunda ad Corinthios missa per *Titum* & Lucam à Paulo, dum esset Philippis in Thessalia. 5. est prima ad Timotheum Laodiceæ quæ Phrygiæ Metropolis, scripta. 6. est ea quæ est ad *Titum* scripta Nicopoli Macedoniæ oppido, ut colligitur ex eo quòd cap. 3. vers. 12. invitet Titum ad se venire, dicens; *Festina ad me venire Nicopolim*. 7. est ea quæ est ad Romanos scripta Corinthi, seu Cenchris apud Corinthum. 8. est ea quæ est ad Galatas scripta Romæ. 9. est ea quæ est ad Philippenses, Romæ pariter scripta, per *Epaphroditum* ab illis ad se missum, ut hæc indicant cap. 4. vers. 18. verba: *Acceptis ab Epaphrodito quæ misistis*.... 10. est ea quæ est ad Ephesios; & 11. quæ ad Colossenses, utraque Romæ scripta, & per Tychicum eodem tempore missa. 12. est ea quæ est ad Philemonem Romæ scripta, & per *Onesimum* missa. 13. est ea quæ est ad Hebræos ex Italia per *Timotheum* missa, ut ex fine ejus colligitur, ubi sic ait cap. 13. vers. 24. *Salutant vos de Italia fratres*. Ultima denique est 2. ad Timotheum, ut colligitur ex iis Pauli verbis cap. 4. vers. 6. dicentis: *Ego jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*. Chronologicus Pauli epistolarum ordo.

3. *Historiæ Ecclesiasticæ* libri 5. quos scripsit, ut suppleret ea quæ deerant Eusebii Cæsariensis historiæ; Ecclesiasticam enim historiam describens Eusebius à sanctis Apostolis orsus, ea dumtaxat enarravit, quæ à primis Ecclesiæ temporibus ad regnum usque Constantini Magni fuere gesta; Cyrensis verò Theodoretus suæ historiæ ducit exordium à fine Eusebianæ, hoc est à Constantini Magni regno deducens eam ad Theodosii junioris usque tempora, quinque libris, in quibus nominatim secundæ Synodi Generalis gesta fusiùs enarrat quàm alii quilibet historici: addit Gennadius illum suam deduxisse historiam usque ad Leonis Imperat. tempora, quinque aliis adjectis libris; sed libri illi nondum prodiere, & disertè testatur ipse Theodoretus in fine libri quinti, se historiam suam claudere in obitu Theodori Mopsuesteni, & Theodoti Antiocheni, eamque complecti tantùm res quinque supra centum annorum spatio gestas, ac proinde non decem, sed quinque solos scripsisse hist. Eccles. libros. Historiæ Ecclesiasticæ libri 5. in Supplementum Eusebii Cæsariensis historiæ.

4. *Eranistes seu Polymorphus*, hoc est, liber tres in dialogos distributus, quorum interlocutores sunt *Orthodoxus* & *Eranistes*, seu mendicus, & in quibus veterum Patrum auctoritate pugnat contra Eutychianos, hoc ordine eaque methodo, ut primus dialogus dicatur *immutabilis*, quia Dei Filii seu Verbi divinitatem immutabilem ostendit. Secundus vocatur *inconfusus*, quia duarum in una Christi persona naturarum unionem inconfusam esse docet; & tertius inscribitur *impatibilis*, quia Verbum prorsus impatibile & nullis passionibus obnoxium esse demonstrat: totus autem liber inscribitur *Eranistes* seu *Polymorphus*, hoc est emendicator seu multiformis, quia ille contra quem *Orthodoxus* disputat, defendit Eutychis hæresim quæ erat ex multis aliis emendicata, & quasi consarcinata. Eranistes & orthodoxus contra Eutychianos.

5. *Hæreticarum fabularum* libri 4. seu hæreticarum fabularum compendium 4. in libros divisum, quibus additur & opponitur quintus, qui est doctrinæ divinorum decretorum Epitome, ut sic manifestè pateat mendacii Hæreticarum fabularum libri 4.

& veritatis discrimen, & ostendatur has hæreses omnes esse divinorum decretorum doctrinæ contrarias.

Primus itaque liber eas horrendas describit hæreses omnes, quarum auctores non unum tantùm rerum omnium principium, sed plura confingebant, & Dominum non reverà, sed apparenter & sola existimatione in terris apparuisse tenebant, quorum primus fuit *Simon Magus*, & ultimus *Manes* Persa.

Secundus verò liber eos depingit cum suis hæresibus hæreticos, qui licèt unum rerum omnium principium confiterentur, Dominum tamen purum hominem & non Deum esse dicebant, quales fuere *Ebion* & alii.

Tertius eos describit qui inter hos & illos germinarunt, & diversarum hæresum auctores extitere, quales fuere *Nicolaitæ*, *Montanistæ* & alii.

Quartus recentiores recenset hæreses alias, quales tunc erant, v. g. *Arii*, *Eunomii*, *Apollinaris*, *Macedonii*, *Donati*, *Nestorii* & aliorum usque ad *Eutychen* hæreses.

Quintus denique superadditus & his hæresibus oppositus liber, doctrinæ Euangelicæ decreta refert, ut eam cum præfatis conferat hæreticis fabulis, & quàm falsæ sint, turpes & improbabiles ostendat.

Historia Religiosa, de Sanctis qui in Oriente claruere viris.

6. *Historia Religiosa*, seu sanctorum Patrum historia, in qua eorum SS. Patrum describit historiam Theodoretus, qui sua ætate omne virtutis genus complexi, sanctè & solitariè vixerunt, non quidem omnium Sanctorum, qui ubique gentium insignes fuere, sed eorum dumtaxat qui in Oriente claruere, eaque quæ de illis enarrat, se vidisse, vel ab his qui viderant audivisse testatur.

De curandis Græcorum affectionibus libri 12.

7. *De curandis Græcorum affectionibus* libri 12. seu de Euangelicæ veritatis ex Græcorum atque Gentium Philosophia, cognitione, hoc est, opus eruditum & celebre 12. in libros divisum, in quibus contra Gentiles infidelesque Græcos Euangelicæ Christi Religionis veritatem defendit, argumentis ex Gentilium infideliumque Græcorum Philosophia depromptis: Cùm enim Theodoreti Cyrensis temporibus nonnulli homunciones essent, qui Gentium Græcorumque fabulas mirarentur, & Christi fidem nostram deriderent, comicèque pertractarent, dicentes nos nihil aliud quàm meram credulitatem iis insinuare, quos rebus divinis imbuendos suscipimus: Apostolos insuper primos Religionis nostræ præcones, rudes, inscios, & barbaros nuncuparent, quia nullo elocutionis ornatu præditos; ridiculumque præterea dicerent Martyres honore prosequi, insignisque stultitiæ esse putarent credere homines vita functos viventibus subsidium ferre posse; aliaque similiter impia evomerent multa: ut eos sic affectos, & tali impietatis infidelitatisque morbo laborantes curaret Theodoretus, hoc scribendum suscepit opus, quod ideò de curandis Græcorum affectionibus inscripsit, & quo sic procedit, ut in 1. libro nostram Christi defendat fidem. In 2. de principiis rerum dicat. In 3. de Angelis, deque Diis ac dæmonibus malis. In 4. de materia & mundo. In 5. de natura hominis. In 6. de providentia. In 7. de sacrificiis. In 8. de Martyribus. In 9. de legibus. In 10. de veris & falsis oraculis. In 11. de fine & judicio. In 12. denique de virtute activa.

De providentia Sermones 10. contra impios Dei

8. *De providentia* Sermones 10. quibus strenuè pugnat contra impiorum illorum hominum genus, qui Dei providentiam negantes perperam & impiè dicebant, Deum nullam eorum quæ hìc in rerum natura fiunt, curam gerere; & hoc ordine contra eos hac in pugna procedit, ut in 1. Sermone

Dei

Dei providentiam oſtendat ex cœlo, ſole, luna, ſtelliſque cæteris. In 2. eamdem providentiam ex aere, terra, mari, fluviis & fontibus inferat. In 3. eam ex humani corporis fabrica probet. In 4. eam ex manibus humanis ad varios uſus compoſitis variiſque ex artibus inventis oſtendat. In 5. illam ex imperio in bruta & belluas homini dato demonſtrat. In 6. ex divitiarum & paupertatis utilitate providentiam arguit contra eoſdem qui ex divitiis & paupertate vitæ inæqualitatem arguebant, ut Dei providentiam negarent. In 7. oſtendit quomodo ſervitutis & herilis poteſtatis diſtinctio ad humanam vitam à Deo auctore inſtituta non impugnat, ſed potiùs Dei providentiam probat. In 8. contra eoſdem ſervitutis jugum objicientes oſtendit, quòd ſervitus iis qui ſanæ mentis ſunt, nihil damni afferat, ſed potiùs iis qui volunt plurimùm proſit. In 9. juſtitiæ ſtudium infrugiferum non eſſe docet, etiamſi fructus ejus hac in vita nullus appareat. In 10. denique monſtrat quomodo Deus nedum Judæorum olim, ſed & omnium quoque hominum curam geſſerit, ubi de Salvatoris Incarnatione multa diſſerit.

providentia negantes.

9. *Epiſtolæ variæ*, è quibus ſe ſupra quingentas legiſſe teſtatur Nicephorus, ſed ex his 147. dumtaxat refert ſua in editione Sirmundus. Has inter omnes eſt una, eaque præcipua ad *Leonem* Magnum Romanum Pontificem, qua recurrit ad eum injuſtè damnatus & depoſitus, hortans, rogans, obſecrans & ſupplicans ejus ſanctitati, ut tempeſtate agitatis ſuccurrat Eccleſiis, ſibique perperam & injuſtè depoſito notum facere dignetur, an in hac quantumvis iniqua depoſitione quieſcere debeat, vel non; ſe paratum eſſe ad utrumque, ejus ſententiam expectare, ſeque nulli deinceps moleſtum fore promittens, ſed ſe ſolùm expectaturum, quod flecti non poteſt, Salvatoris noſtri judicium.

Epiſtolæ variæ inter quas ad Leonem Rom. Pont. una.

10. *Capitula duodecim in Cyrillum ſcripta*, hoc eſt duodecim Capitula pro Neſtorio, quæ Theodoretus oppoſuit Cyrillo Alexandrino, & quibus reprehendit totidem alia Cyrilli Capitula, ſeu 12. anathematiſmos à Cyrillo Alexandrino in Alexandrina totius Ægypti Præſulum Synodo contra Neſtorium editos, & ad eum Conſtantinopolim quibus ſubſcriberet miſſos, anno 430. ſed hæc Theodoreti Capitula, ſive reprehenſiones fuere in V. œcumenica Synodo reprehenſæ atque damnatæ, quia Neſtorii faventes hæreſi.

Capitula duodecim in Cyrillum ſcripta, & in V. œcumenico Conc. damnata.

Dices. Si damnata fuere hæc Theodoreti Capitula, quia Neſtorio faventia; ergo non Orthodoxus dicendus Eccleſiæ doctor & pater Theodoretus, ſed inter Neſtorianos numerandus. Reſp. neg. conſeq. licèt enim damnata fuerint hæc 12. Theodoreti Capitula, illudque ſit ejus capitale crimen quòd hæc pro Neſtorio contra Cyrillum ſcripſerit, non tamen ejus damnata perſona, nec ejus damnata ſcripta, nec poteſt Theodoretus de Neſtoriana, nec de alia quacumque hæreſi niſi per calumniam accuſari ab eo tempore, quo anathema Neſtorio dixit, & cum Cyrillo pacem inivit, ut manifeſtè teſtatur & honorificè S. Leo ſummus Pontifex in ſua ad Theodoretum ipſum epiſtola, anno 453. ſcripta, dum in ea circa fidem ſic ait: *Sed benedictus Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te ſecundum ſedis Apoſtolicæ judicia demonſtravit, &c.* Idem teſtati ſunt plures quàm ſexcenti Chalcedonenſis Concilii Patres, à quibus actione 8., & inter quos benevolè receptus eſt Theodoretus, & fauſtis ac honorificis acclamationibus Catholicus & Orthodoxus Eccleſiæ paſtor & doctor eſt appellatus: Vide *S. Leonem in epiſt. ad*

Theodoret. Phot. cap.31. Gennad. de Script. Eccles. Sigib. cap.9. Honor. August. Baron. Bellarm. de Script. Eccles. Possev. in appar. Miræum in Bibl. Eccles. &c.

ARTICULUS XXXII.

De S.Leone Magno. 461.

S.Leonis patria, parentes, gesta, dotes, obitus, & labores, sive scripta quæ sunt.

S*Anctus Leo* Pontifex Romanus hujus nominis primus, cognomento *Magnus*, natione Tuscus, ut volunt aliqui, vel Romanus, ut opinantur alii, origine *Quintiani* filius, S. R. E. Diaconus primò, virque in divinis Scripturis eruditè versatus, & in declamandis ad populum homiliis adeò celebris ac facundus, ut eo superiorem in dicendo Ecclesia Romana his temporibus haberet neminem: Trithemio teste de Script. Eccles. *Fuit dictionis Ecclesiasticæ Tullius, sacræ Theologiæ Plato, rationum fidei Aristoteles, auctoritatis Apostolicæ Petrus, & in Christiano pulpito Paulus*: Qui in Romana Petri sedens cathedra post *Sixtum III.* suæ eloquentiæ vi *Attilam* Hunnorum Regem, cognomento *Flagellum Dei*, armata manu Italiæ prædia vastantem, & Romam ipsam vastare paratum, cohibuit, & ab hostili proposito removit: paulò pòst eadem eloquentiæ vi & sanctitatis fama Genserico jam Romam ingresso, & omnia igne ferroque delere molienti, fortiter suaviterque suasit, ut ab incendio, ignominiis & cædibus abstineret: qui cùm à multis tunc grassantibus hæresibus, Nestoriana præsertim & Eutychianà Ecclesiam exagitari videret, totum se ad debellandos cum suis hæresibus hæreticos, & Ecclesiam in fide Catholica firmandam convertit; unde Martiano Imp. juvante, in *Eutychen* & *Dioscorum* Generale Chalcedonense Concilium indixit, eorum hæreses à sexcentis & triginta Patribus damnari curavit, & Concilii decreta sua auctoritate firmavit. Quibus ritè feliciterque peractis, se ad varias construendas vel reficiendas ædes sacras contulit. In via Apia sub nomine *S.Cornelii* ædificari curavit Ecclesiam; in via Latina sub nomine *S. Stephani* construendam suasit alteram *Demetriæ* piæ fœminæ; vicinum Basilicæ *S.Petri* Cœnobium erexit; in Basilicis Petri, Pauli & Constantiniana cameras addidit; sepulchris Apostolorum custodes adhibuit; Canonicos Regulares S. Joannis Lateranensis Ecclesiæ præfecit; ut in Missa adderetur, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, instituit; sanxitque ne monacha benedictum capitis velamen sumeret, nisi 40. annorum virginitatem probasset. Qui denique his & aliis præclarè pro Ecclesia gestis vel scriptis, sanctè obdormivit in Domino, tertio idus Aprilis an, 461. inchoato Pontificatus sui 22. Sedit enim annis 21. & mense uno cum 13. diebus.

Scripta S.Leonis Magni per Canonicos Regulares S. Martini Lovaniensis ex manuscriptis codicibus emendata.

Sermones de Sanctis, aliisque variis argumentis varii.

1. *Sermones varii* & eloquentissimi de præcipuis solemnitatibus Domini & Sanctorum, ac de feriis & piis nonnullis argumentis aliis ad fidelem populum diversis temporibus habiti.

2. *Epi-*

2. *Epiſtolæ decretales & familiares ad varios* variæ; è quibus reperiuntur 110. in Bibliotheca Patrum inſertæ, & à mendis variis diligentiùs repurgatæ per eoſdem Regulares S. Martini Lovanienſis Canonicos; inter quas invenitur numero decima, celebris illa *S. Leonis* ad Flavianum contra Eutychen epiſtola dogmatica de Incarnatione Verbi, quæ incipit, *Lectis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuiſſe tam ſeras*, quæque lecta & approbata cum magno ac reverenti 630. Patrum applauſu in Chalcedonenſi Concilio Act. 2. & quam *Gelaſius* Papa in decreto de libris D. D. ſub anathemate juſſit integram uſque ad minimum *Iota* recipi. Summa autem hujus epiſtolæ hæc eſt, 1. monet S. Leo *Flavianum* Conſtantinopolitanum Archipræſulem, quòd ſi *Eutyches*, quem in Eccleſia nova molientem audiverat, ſuum confiteatur errorem, & emendationem promittat, recipiatur; ſi econtrà in ſuo perſiſtat incœpto, cum ſua hæreſi damnetur. 2. docet, & divinis confirmat eloquiis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſicut Paternæ divinitatis verum Filium, ita verum humanæ carnis eſſe hominem credendum, id eſt, ex carne Virginis Mariæ carnem traxiſſe, & non de cœlo corpus ſibi exhibuiſſe, ſicut Eutyches aſſerebat.

Decretales epiſtolæ ad varios variæ, inter quas eminet celebris ad Flavianum contra Eutychen epiſtola.

3. *Tractatus unus* adverſus Eutychis & aliorum hæreticorum errores, ad inſtruendos Eccleſiæ filios de his quæ de myſterio SS. Trinitatis, & de Incarnatione Verbi Dei ſentire debent; in quo repetens quæ dixerat in epiſtola ad Flavianum contra Eutychen, ait: *Neſciens igitur Eutyches quid deberet de Verbi Dei Incarnatione ſentire, neque volens in Sanctarum Scripturarum latitudine laborare; illam ſaltem communem confeſſionem ſolicito recepiſſet auditu, qua fidelium univerſitas profitetur credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, quibus tribus Sententiis omnium ferè hæreticorum machinæ deſtruuntur, &c.*

Tractatus contra Eutychis & aliorum hæreticorum errores.

Libri duo de vocatione Gentium, & epiſtola ad Demetriadem virginem, quæ inter opera S. Proſperi reperiuntur, & quæ S. Proſperi verè eſſe putantur, à multis *S. Leoni* tribuuntur, ab erudito *Quenelio* Scriptorum omnium *S. Leonis* editore noviſſimo: ſed quia cum illo non conveniunt hac in opinione ſingulari, ſed diſputant aut dubitant adhuc eruditi alii de horum librorum auctore, nec aliter citandum putant quàm dicendo v. g. ita Auctor *librorum de vocatione Gentium*, ita Auctor epiſtolæ ad *Demetriadem*; ideò quamdiu ſub judice lis erit, libros illos *S. Proſperi* eſſe malo credere cum multis, quàm eos *S. Leonis* eſſe definire cum auctore ſingulari; præſertim quia ſi S. Leonis eſſent hi libri, eos ſine dubio laudaſſet Gelaſius Papa ſub nomine S. Leonis, non ſub nomine cujuſdam Eccleſiæ Miniſtri, & S. Leonis eſſe non ignoraſſet Gelaſius vir eruditiſſimus, Leonique ferè coætaneus.

Libri duo de vocatione gentium & epiſtola ad Demetriadē, dubii S. Leonis fœtus.

Epiſtola inter S. Leonis epiſtolas inſerta, quæ eſt de privilegio Chorepiſcoporum, ſive Presbyterorum ad univerſos Germaniæ atque Galliæ Eccleſiarum Epiſcopos, quæque eſt numero octuageſima octava, ſuppoſititia & non genuina S. Leonis epiſtola cenſetur à *Morino*, *Sirmundo* & *Quenelio*. 1. Quia apud antiquos nulla fit illius epiſtolæ mentio. 2. Quia S. Leonis non ſapit ſtylum.

Quæres utrùm & cur *S. Leo* ad Gallicanos Epiſcopos miſerit famoſam & inſignem dogmaticam epiſtolam, *Flaviano* Conſtantinopolitano Archiepiſcopo inſcriptam, quam in Orientem pro fidei defenſione direxerat?

Reſp.

Resp. misisse, ut constat ex ejusdem S. Leonis epistola centesima decima ad *Ravennium* Arelatensem Archiepiscopum scripta, & ideò illum eam ad Gallicanos misisse Episcopos, ut non solùm Orientalibus, sed etiam Occidentalibus innotescerent, quæ de Verbi Incarnatione teneret, hactenusque semper tenuisset sancta & catholica Dei Ecclesia; qua per illos accepta & benè intellecta epistola, ejusque in omnibus cum fide Catholica quam hactenus fideliter custodierant, consensione explorata atque probata, rescripserunt ad eumdem *S. Leonem* Synodicam epistolam in Narbonensi Concilio congregati, qua se ejus epistolam ut traditioni consonam suscepisse testantur, extatque hæc illorum epistola inter S. Leonis epistolas, sine die & Consule data, quæque sic incipit: *Perlata ad nos epistola Beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei assertione misistis, &c.*

ARTICULUS XXXIII.

De S. Prospero. 461.

S. Prosperi patria, professio, dotes & scripta qualia sunt.

SAnctus Prosper, Aquitanicus natione, & Rhegiensis post *Flaventium* Episcopus, ut opinantur inter alios, *Honorius Augustodunensis, Trithemius, Baronius, Bellarminus* & alii: eum econtrà Episcopum fuisse nusquam, asserentibus cum patre *Sirmundo*, recentioribus aliis; ea præsertim ratione fultis, quòd de eo loquentes *Gennadius, Gelasius, Fulgentius, Ado Viennensis, Hincmarus, Prudentius, Rabanus*, & alii, eum nullibi, nec semel Episcopum vocent; verùm ut ut sit, sive Episcopus fuerit, sive non, vir sanè fuit in divinis Scripturis eruditissimus, in sæcularibus nobiliter doctus, carminibus excellens & prosa, eloquio disertus, sensu profundus, ingenio subtilis, assertione nervosus, vita & conversatione sanctissimus, Hilarii Arelatensis coætaneus, Augustinianæ doctrinæ in Gallia, contra Pelagianos & Semipelagianos defensor insignis, sanctique *Leonis* magni ab epistolis, sive Notarius quondam eruditus & illustris, in cujus persona multas & celebres dictavit epistolas; scripsit & in persona propria opuscula varia, inter quæ recensentur ista,

Scripta sancti Prosperi.

De prædictionibus & promissionibus Dei tractatus.

1. *Opus de prædictionibus & promissionibus Dei*, 3. in partes sive libros divisum, in quo omnia vaticinia & promissiones de Christo & Ecclesia in sacris litteris expressæ elucidantur; cujus operis exordium est: *Omnis fidei ratio spe dilectioneque concluditur, &c.* Sed S. Prosperi non esse opus illud colligitur, tum ex styli dissimilitudine, tum ex silentio Gennadii & Trithemii, qui alia dum recensent sancti Prosperi opera, de isto silent omninò.

De vita contemplativa liber.

2. *De vita contemplativa* libri 3. sive de virtutibus & vitiis tractatus insignis, 3. in libros divisus, & *S. Prospero* per multos annos tributus, sed *Juliani Pomerii* Mauritaniæ ex Africa Presbyteri in Gallia ordinati, & in Gallia Arelate degentis opus esse credunt *Gennadius* & *Isidorus* Hispalensis Ep. cap. 12. de Eccl. Script. Honorius Augustod. cap. 14. & Gennadius S. Prosperi recensens opera, de libris istis profundè silet.

3. *Epi-*

3. ***Epistola de gratia & libero arbitrio ad Ruffinum***, in qua nequissimum illud & capitale Pelagianæ Sectæ dogma refellit, quo asseritur *gratiam Dei secundùm hominis merita dari*. Epistola ad Ruffinũ de gratia & libero arbitrio.

4. ***Responsiones ad capitula Gallorum***, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuensium.

5. ***Liber de gratia Dei*** contra Collatorem, videlicet *Cassianum* Collationum auctorem, in quo ejus ex 13. collatione decerptos refellit errores. Liber de gratia Dei contra Collatorem.

6. Ex Sententiis S. Augustini, epigrammatum liber unus, cujus initium est: Liber Epigrammatum.

Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestique animam pascere pane juvat.

7. ***Poema de providentia Dei***: sed patet illud non S. Prosperi esse; sed viri cujusdam Pelagiani, Christi gratiam non rectè explicantis, censet Bellarm. & alii; docet enim optimum quemque non plus gratiæ accipere à Deo, quàm pessimum, sanctos Patres ex lege naturæ bonos fuisse, præveniri auxilium Dei, & alia multa errori Pelagii consona, & doctrinæ S. Prosperi dissona. Poema de providentia Dei.

8. ***Carmen de ingratis***, seu versuum liber unus de ingratis contra Pelagianos, centenis decies versibus diffusus, cujus argumentum & præfatio hæc est: Carmen de ingratis.

Unde voluntatis sanctæ subsistat origo;
Unde animis pietas insit, & unde fides;
Adversùm ingratos, falsa & virtute superbos,
Centenis decies versibus excolui.
Quos si tranquilla studeas cognoscere cura,
Tutus ab adverso turbine lector eris;
Nec libertate arbitrii rapiere rebellis,
Ulla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

9. ***Expositio in Psalmum centesimum***, qui sic incipit, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, & in quinquaginta sequentes alios. Expositio in Psalmum centesimum.

10. ***Ad Augustinum*** epistola una, qua è Gallia monet eum de Pelagianorum reliquiis, sive de Massiliensium erroribus, & ejus in illos implorat auxilium; alteram ad eumdem scripsit *Hilarius Arelatensis*, quibus responsurus Augustinus duos scripsit libros, unum *de prædestinatione Sanctorum*, alterum *de bono perseverantiæ*. Epistola ad Augustinum.

11. ***Libri 2. de vocatione Gentium***, qui communiter S. Ambrosio tribuuntur à nonnullis, S. Prospero ab aliis, nec S. Ambrosii nec Prosperi esse contendunt critici, sed auctoris incerti stylum sapientis Africanum; Bellarminus tamen & Miræus & alii verè non *S. Ambrosii*, sed *Prosperi* esse tenent: non S. Ambrosii, ex eo quòd sint scripti post damnatam Pelagii hæresim, ut constat ex cap. 22. libri primi, & quòd è vivis raptus esset *Ambrosius* ante damnatam, imò & ante exortam Pelagii hæresim; sed verè S. Prosperi, tum ob styli similitudinem, ut contendunt, tum quia in variis & antiquis manuscriptis reperiuntur sub nomine *S. Prosperi*, De vocatione Gentium libri 2.

ut in

ut in manuſcriptis inventis in Biblioth. Regularium S. Martini Lovanii, in Biblioth. Abbatiæ Camb. nec non in Boneffienſi Abbatia apud Namurcum. Eos tribuit Quenelius S. Leoni, ſed ſi S. Leonis eſſent libri illi, eos ſine dubio laudaſſet *Gelaſius* Papa ſub nomine S. Leonis, non ſub nomine cujuſdam Eccleſiarum Miniſtri, ut ſuprà dixi; & *S. Leonis* eſſe non ignoraſſet *Gelaſius* vir doctiſſimus, & S. Leoni ferè coætaneus, quia ſi S. Leonis eſsent, ſub ejus nomine reperirentur in aliquo antiquo manuſcripto, vel ab aliquo invenirentur antiquo auctore laudati; atqui de iis nullus manuſcriptus codex, nulluſque invenitur ſcriptor, qui hos libros ſub S. Leonis nomine laudet; ergo S. Leonis eſse non eſt credibile.

Epiſtola ad Demetriadem.

12. *Epiſtola ad Demetriadem* virginem ultima pariter, non S. Ambroſii, & eadem de cauſa Chronicon, ſed S. Proſperi eſse creditur, & ei tribuitur in Bibl. PP. editionis Lugd. eſt enim ſcripta poſt damnatam Pelagii hæreſim, & contra priorem *Pelagii* epiſtolam ad eamdem Demetriadem virginem, acproinde non *S. Ambroſii*, ſed *S. Proſperi* fœtus creditur, qua magnis præconiis humilitatem extollit, & ſuperbiam ei adverſantem deprimit, & per hoc hortatur virginem illam ad cavendam elationem, & humilitatem ſectandam.

Chronicon.

13. *Chronicon, ſive Euſebii & S. Hieronymi Chronici continuatio*, ut ex ipſo conſtat operis exordio, quod ſic eſt: *Hucuſque Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digeſſit annorum; nos, quæ ſecuta, adjicere curavimus.* Quo Chronico peracto, anno 455. paulò pòſt obiiſse Proſperum cenſent multi, licèt illum obiiſse dicat Baronius anno dumtaxat 465.

Quæres quænam major dicendi ratio *S. Proſperum* fuiſse Regii ſeu Rhegii Epiſcopum in Gallia, quàm Regii in Æmilia Italiæ provincia? Reſp. ideò dici Rhegii Epiſcopum in Gallia. 1. Quia invenitur ſubſcripſiſse in Concilio provinciali Vaſionenſi, & Carpentoractenſi, quod indicat manifeſtè illum fuiſse Gallum Epiſcopum. 2. Quia *S. Proſpero* ſucceſſit *Fauſtus* in Epiſcopatu Rhegienſi; *Fauſtum* autem Gallum fuiſse Epiſcopum, non Italum, fatentur omnes, aſseruntque illum Aquenſi, non Ravennati ſubditum fuiſse Metropolitæ. Vide *Gennad. de Script. Eccl. Gelaſ. de lib. Apocryph. S. Fulg. lib. 1. ad Monimum cap. 30. Adon. Viennenſ. in chronico, Bellarm. de Script. Eccl. Baron. in Annal. & Sirmundum in notis ad Sidonium Apollin. lib. 8.*

ARTICULUS XXXIV.

De S. Cæſario Arelatenſi. 544.

S. Cæſarii patria, educatio, profeſſio, obitus, & ſcripta, qualia ſunt.

S*anctus Cæſarius* natione Gallus, & patria Cabillonenſis, ut creditur *S. Porcarii* Lirinenſis Abbatis in prima religionis & morum doctrina diſcipulus, à *S. Æonio* Arelatenſis Eccleſiæ Præſule Diaconus, & è Diacono Presbyter ordinatus; qui tandem poſt *Æonium* Arelatenſis Epiſcopus, & Epiſcoporum ſui ſæculi nulli ſanctitate, eloquentia vel eruditione ſecundus, & à *S. Cæſario* Gregorii Nazianzeni fratre longè diverſus, floruit nedum Symmachi Papæ, & *Theodorici* Regis Italiæ temporibus; ſed & ultrà ad annum uſque Chriſti 544. nimirùm ſub *Symmachi* ſucceſsoribus Pontificibus, Hormiſda, Joanne I. Felice V. Bonifacio II. Joanne II. Agapeto I. Silverio & Vigilio, ut ad eum ſcriptæ teſtantur literæ, præ-

præſertim *Symmachi* & *Agapeti*; teſtatur & ipſe *Cyprianus* Tolonenſis Epiſcopus, S. Cæſarii vitæ hiſtoricus & diſcipulus, referens eum veniſſe Romam & accepiſſe à Symmacho Pontifice *Pallium*, reverſumque ad propriam ſedem pluribus in Gallia præfuiſſe Conciliis, videlicet *Agathenſi* anno 506. *Carpentoractenſi* anno 527. *Vaſionenſi* & *Arauſicano* alteri, anno 529. & provinciali uni contra *Contumelioſum* Rhegienſis Eccleſiæ Præſulem habito anno 534. in quo ob varia crimina accuſatus eſt, & Sede privatus ille *Contumelioſus*, ejuſque approbata depoſitio à Joanne II. tunc Rom. Pont. ut conſtat ex ejus ad *Cæſarii* literas reſcripto, indicantque Agapeti Joannis ſucceſſoris ad eundem ſcriptæ literæ 6. & 7., quæ leguntur in quarto tomo Conc. ſcriptæ, præſertim data anno 535. occaſione *Contumelioſi* præfati, qui de ſua depoſitione poſt *Joannis* obitum appellaverat ad *Agapetum*, & confirmat *Simon Barth*. in hiſt. Rhegienſis Eccleſiæ Præſulum: obiiſſe creditur *S. Cæſarius* noſter 27. Auguſt. an. circiter 544. cujus ſcripta in octavo tomo Bibl. PP. inſerta edition. Lugd. an. 1677. ſunt iſta,

Scripta S. Cæſarii.

1. *Homiliæ variæ ad populum*, ſuntque numero 461. ſed ex iis homilia 42. S. Cæſarii Arelatenſis fœtus eſſe nequit, cùm in ea citentur SS. PP. *Greg. Papa* & *Iſidorus Cæſario* poſteriores, imò nec 3. ſequentes aliæ, cùm *S. Auguſtini*, & ultimam *Macarii* Abbatis eiſe indicent tituli. Homiliæ ad populum variæ.

2. *Exhortatio ad charitatem cuſtodiendam*, in qua oſtendit neminem ſe in veritate excuſare poſſe, quòd veram non poſſit charitatem habere.

3. *Epiſtola ad quoſdam Germanos*, qua eos præſertim hortatur ad pudicè caſtèque vivendum.

4. *Homilia* de decem virginibus, in qua parabolam explicans de quinque nimirùm fatuis, & quinque prudentibus virginibus, hortatur ad bona opera, monſtrans nihil aliud eſſe oleum in vaſis habere, quàm intùs in conſcientia bona opera recondere.

5. *Regula pro ſanctimonialibus* 43. continens capitula, ſive regulas particulares, quas in gratiam ſororis ſuæ *S. Cæſariæ* virginis ſanctiſſimæ, & monaſterii virginum Abbatiſſæ dicitur excogitaſſe, & *Teridio* nepoti ſuo dictaſſe, quibus præſcribit ſanctimonialibus modum regulariter ſanctèque vivendi ſexui conformem & mirabilem. Regula pro monialibus & monachis.

6. *Regula pro Monachis altera* reperitur ibid. ſub nomine *S. Cæſarii*; ſed hæc non S. Cæſarii, ſed Teridii ſive Teriadii Presbyteri nepotis ejus fœtus eſſe creditur.

7. *Homiliæ* 14. *aliæ* opera *Stephani Baluzii* Tutelenſis è pervetuſto manuſcripto Regiæ Bibliothecæ erutæ, & nunc primùm editæ, notis eruditis illuſtratæ, & in Suppl. Bibl. PP. inſertæ tomo 27.

8. *Epiſtola mirabilis* ad Cæſariam Monialium Abbatiſſam, quæ eſt in tomo 27. Bibl. PP. quæ incipit: *Coegiſti me, famula Dei, ac venerabilis in Chriſto ſoror, & crebris petitionibus extorſiſti potiùs quàm rogaſti, ut qualemcumque ſermonem exhortatorium tibi ſcribere deberem.* Epiſtolæ ad varios variæ.

9. *Epiſtola altera* nedum Cæſariæ ſorori, ſed toti Congregationi ſcripta, quæ extat ibid. & incipit: *Vereor, venerabiles in Chriſto filiæ, nedum vobis pro conſervanda quiete vel pudicitia ruſtico imperitoque ſermone aliquid præſumam ſuggerere apud illos, qui neſciunt quantæ ſit virtutis veræ charitatis amor.*

10. Epi-

10. *Epiſtola alia hortatoria* ad virginem Deo dicatam, quæ eſt ibid. & incipit: *O profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! & quis cognovit ſenſum Domini? Quis enim poteſt in diebus adoleſcentiæ tuæ ò venerabilis mihi integritate quidem & meritis Domina, &c.*

Vide *S. Cypr. Tolon. in vita S. Cæſarii, Gennad. in catal. cap. 88. Sigiber. cap. 119. Trith. Bellarm. de Script. Eccleſ. &c.*

ARTICULUS XXXV.

De duobus Eucheriis Lugdunenſium Epiſcopis.

S. Eucherii duo fuere, antiquior unus, & centum circiter annis recentior alter.

Sanctus Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus an fuerit unicus vel duo, diſputant eruditi non pauci, & ſatis implexa & intricata videtur quæſtio, quam donec extricàverint accurati noſtri temporis Critici, duos fuiſſe ſucceſſivè credere juvat, cum *Theophilo Raynaudo S. J. Theologo, in ſuo Sanctorum Lugdunenſium indiculo*, Lugduni dato, anno 1629. duos ſcilicet *Eucherios* fuiſſe diverſis temporibus Lugduni ad Rhodanum Epiſcopos, antiquiorem unum, & centum circiter annis poſteriorem alterum; unum qui ſubſcripſerit Concilio Arauſicano I. anno 441. alterum, qui ſubſcripſerit Concilio Arauſicano II. anno 529. Unum qui fuerit æqualis ſive coævus *S. Hilarii* Arelatenſis Epiſcopi, qui præfuit Concilio Arauſicano I. alterum qui fuerit æqualis *S. Cæſarii*, Arelatenſis pariter Epiſcopi, qui præfuit Concilio Arauſicano II. Conſtat enim ex ſubſcriptionibus, his duobus Conciliis Arauſicanis I. & II. interfuiſſe *Eucherium* aliquem Lugdunenſem Epiſcopum, ac proinde æqualem S. Hilarii Arelatenſis, Præſidis Concilii Arauſicani primi, & æqualem pariter S. Cæſarii Arelatenſis, Præſidis Concilii Arauſicani ſecundi: atqui hoc dici non poteſt de uno & eodem *Eucherio* Lugdunenſi Epiſc. videlicet quòd interfuerit ut Epiſcopus Lugdunenſis Concilio I. Arauſicano anno 441. & deinde alteri Arauſicano anno 529. niſi dicatur eum in Epiſcopatu vixiſſe 90. annis & ultrà, quod eſt falſum & improbabile; ergo duos S. Eucherios Lugdunenſes Epiſcopos fuiſſe dicendum, antiquiorem unum, & centum propè annis poſteriorem alterum.

De S. Eucherio antiquiori. 454.

S. Eucherius antiquior ſcripſit.

Sanctus Eucherius antiquior vir fuit natione Gallus, è nobili Senatorum ordine ſatus; qui ſuum ante ſeceſſum uxori connubio junctus legitimo, duos filios, *Veranum* ſcilicet & *Salonium* poſteà Epiſcopos genuit, & qui poſt ſuum in Lerinenſem inſulam receſſum, & è *Lerino* ad inſulam Lerino vicinam tranſitum, vixit ibi ſi non ut Lerinenſis Monachus, ſaltem hos inter SS. Monachos, piis ſtudiis & ſacris exercitationibus intentus; & inde tandem ad regendam Lugdunenſem Eccleſiam vocatus, conſecratur poſt *Senatorem* Lugdunenſis Epiſcopus anno circiter Chriſti 432. & hic eſt B. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, qui dicitur à S. Hilario Arelatenſi in oratione panegyrica S. Honorati, *ſplendidus mundo, ſplendidior Chriſto, æmulus virtutis ejus B. Eucherius*; quique vocatur à Claudiano *Mamerto* Viennenſis Eccleſiæ Presbytero, *Mamerti* Viennenſis Epiſcopi fratre, & generali Vicario in lib. de ſtatu animæ, *vir viridis ævi, maturi*

judi-

judicii, terræ despuens, cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquio profluus, Magnorum sui sæculi Pontificum longè maximus, editis in re fidei multijugis variorum operum voluminibus sive libris, quos Salvianus Massiliensis & coævus vocat, stylo breves, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti ac pietati pares; inter quos numerantur

1. *Liber formularum spiritalis intelligentiæ*, cum præfatiuncula ad *Veranum* filium suum posteà Episcopum, hoc est, liber in quo proponit *Verano* filio suo formulas spiritalis intelligentiæ nominum Latinorum Scripturæ sacræ, explicando scilicet significationes eorum atque figuras, in quibus accipi solent in Scriptura, ut his perceptis, internus & spiritalis facilè percipiatur sensus. Librum formularũ spiritualis intelligentiæ.

2. *Libri duo de difficilioribus veteris ac novi Testamenti quæstionibus ad Salonium* filium suum alterum, Viennensem, ut volunt nonnulli, vel Genevensem Episcopum, ut opinantur alii. In priori libro interrogantis & respondentis fungens munere, varia explicat obscura utriusque Testamenti divinæ Scripturæ capitula; in posteriori verò omissa interrogantis & respondentis vice, ne fastidium pariat, varia, eaque celebriora in Scripturis passim inserta explicat Hebraica nomina. Libros 2. de difficilioribus veteris ac novi Testamẽti quæstionibus.

3. *Parænetica ad Valerianum cognatum suum*, de contemptu mundi & sæcularis Philosophiæ epistola, in qua rerum omnium caducitatem & fluxum exhibens, hortatur eum, ut non diligat mundum, neque ea quæ in mundo sunt; ut non diligat res creatas neglecto Creatore; ut non eligat vilia, sed speret pretiosa & æterna, & repudiatis Philosophorum præceptis quibus operam dabat, animum suum ad Christiani dogmatis studia convertat. Pareneticam de cõtemptu mundi ad Valerianũ epistolam,

4. *Ad Hilarium de laudibus eremi epistola*, non parænetica quidem, seu hortatoria ad vitam eremiticam, sed gratulatoria: cùm enim *Honoratum* è Lerino ad sedem Arelatensem capessendam, venientem comitatus fuisset *Hilarius*, & *Honorato* ibi in sua sede relicto, inde in insulam Lerinensem rediisset, hac in epistola eremi laudatoria Hilario gratulatur *Eucherius*, de felici ejus in eremum seu in insulam Lerinensem reditu. De laudibus eremi, ad Hilariũ alteram,

Libri explanationum in Genesim & libros Regum, quæ S. Eucherio vulgò tribui solent, S. Eucherii esse nequeunt, sed auctoris Eucherio utroque recentioris; cùm his in libris citetur Greg. Magnus *Eucherio* utroque longè recentior, & in fine præsertim primi libri Regum invitetur lector ad legenda Gregorii Magni Moralia. Explanationem in Genesim & libros Regum.

De S. Eucherio recentiori. 529.

Sanctus Eucherius posterior sive recentior, Lugdunensis pariter post *Viventiolum* Episcopus, Senatorio similiter ordine clarus, & S. Cæsarii Arelatensis æqualis, is ipse creditur esse ab iis qui duos fuisse tenent *Eucherios* Lugdunenses Episcopos & sanctos, de quo loquitur Ado in suo Martyrologio 16. Novembris, & *S. Cyprianus* Tolonensis in vita *S. Cæsarii* Arelatensis. Ado quidem dum ait 16. Novembris narrans historiam de conversione *S. Eucherii* Lugdunensis Episcopi, è nobili Senatorum ordine nati, & *Gallæ* uxoris ejus, duarumque filiarum ejusdem, *Tulliæ* videlicet & *Consortiæ* virginum, quæ *Consortia* vivebat adhuc initio regni Sigeberti, qui regnare cœpit post Clotarium II. Galliæ Regem anno S. Eucherius recentior S. Cæsarii Arelatensis fuit æqualis & scripsisse creditur,

anno 562. quam historiam refert ex Adone Gennadius: *S. Cyprianus* verò Tolonensis Episcopus, & *S. Cæsarii* Arelatensis discipulus & vitæ ejus historicus, dum in vita illius sic expresè ait: *Cùm aliquando circa Alpes Cæsarius iter ageret, vir venerabilis Eucherius Lugdunensis Episcopus cum illo erat, &c.*

Atqui *Eucherius* ille Lugdunensis Episcopus, cujus filiam fuisse Consortiam dicit Ado, non potest esse antiquior *Eucherius* Lugdunensis Episcopus, qui juxta *Adonem* ipsum obiit anno 454. alioquin *Consortia* illa præfata (quæ dicitur ab *Adone* filia *Eucherii*, & quæ expetita fuit in uxorem à nobili viro nomine *Hecca* Sigeberti Regis procuratore) fuisset centum & longè plurium annorum nata quando expetebatur in uxorem, quod est prorsus incredibile: Nec ille pariter Eucherius Lugdunensis Episcopus, de quo loquitur *S. Cyprianus* Tolonensis, potest esse antiquior præfatus Eucherius Lugdunensis Episcopus, vita functus anno 454. quique consequenter non potuit esse cum *S. Cæsario* Arelatensi, longè post *Eucherii* antiquioris obitum circa Alpes iter agente; ergo necessariò dicendum est duos *Eucherios* diversos diversis temporibus fuisse Lugdunenses Episcopos, antiquiorem videlicet unum, de quo suprà, & recentiorem alterum de quo loquuntur *S. Cyprianus* Tolonensis Episcopus, & *Ado*, & de quo hìc loquimur & nos; & is est S. Eucherius ille Lugdunensis Episcopus, qui interfuisse dicitur Arelatensi Conc. IV. anno 524. Carpentoractensi, anno 527. & Arausicano II. anno 529. cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis Episcopus.

His omnibus ritè pensatis, duos non diffiteor admittendos esse *Eucherios* Lugdunenses Episcopos, antiquiorem unum & recentiorem alterum, idque ea quæ hactenus diximus, manifestè suadent; sed quis ex iis duobus, an antiquior vel recentior fuerit *Gallæ* maritus, & *Consortiæ* ac *Tulliæ* virginum pater, non satis apertè constat; recentiorem esse suadent ea quæ ex Adone sumpta retulimus, sed antiquiorem esse clamat *S. Paulini* epistola ad *Eucherium* & *Gallam* directa, quæ est numero 52. Ille enim *Eucherius* ad quem scribit Paulinus, non potest esse recentior, qui fuit Paulino longè posterior; sed potiùs antiquior, qui fuit S. Paulini Nolensis, & S. Honorati Arelatensis æqualis: id viderint Critici; sed quidquid sit, hujus junioris Eucherii doctrinæ fœtum superesse videmus nullum, præter *historiam passionis S. Mauritii ac sociorum ejus Thebæorum*, quæ à S. Eucherio ad Sylvium Episcopum creditur scripta, & cùm non sapiat vetustatem & elegantiam S. Eucherii antiquioris, & aliunde censeatur Eucherii Lugdunensis Episcopi, ut titulus notat, ideò *S. Eucherii*, Lugdunensis Episcopi recentioris, esse creditur. Vide Auctores qui de duobus Eucheriis loquuntur, *Gennad. de Script. Eccl. cap. 63. Theoph. Raynaud. in ind. SS. Lugd. Aubert. Miræum in Auctor. de Script. Eccl. Nat. Alex. in hist. Eccl. Sæc. 5. &c.*

Historiam passionis S. Mauritii ac sociorum ejus Thebæorum.

ARTICULUS XXXVI.

De sancto Fulgentio. 529.

S. Fulgentii patria, parentes,

SAnctus Fulgentius natione Afer, patria Carthaginensis, nobilibus parentibus, *Claudio Gordiano* scilicet patre, & *Mariana* matre, christiana & hone-

honesta fœmina genitus; qui mortuo patre, & studiis, matris cura, ritè peractis, sæculi tædio & solitudinis amore, paternæ domus relicta cura monasterium subiit, fitque Monachus. Eo in statu ita meritis claruit, ut brevì è Monacho Monachorum Abbas, & ex Abbate tandem sub *Trasimundo* Vvandalorum Rege in Africa Ecclesiæ Ruspensis Episcopus electus, licèt invitus multùmque reluctans ac fugiens, anno circiter 500. vir Græca & Latina lingua peritus, in divinis Scripturis copiosè versatus, & homilitico dicendi genere clarus; qui ob strenuè propugnatam in Faustum, Semipelagianosque cæteros S. Augustini Doctoris Ecclesiæ doctrinam, meruit olim nedum sectator Augustini, sed sui temporis *Augustinus* vocari, & qui ob impugnatam econtrà & exosam Arianæ Sectæ perfidiam, in Sardiniam legitur relegatus à Trasimundo, eoque in exilio plures & egregios scripsisse tractatus; sed post *Trasimundi* Regis obitum, pace Africanis Ecclesiis ab *Hilderico* Hunnerici filio restituta, ad suam, in Africam reversus; ibi ab omnibus cum magno venerationis applausu receptus, ubi tandem feliciter obiit in Domino Kalendis Januarii anno Christi circiter 529. vel 533. ut opinantur aliqui, Episcopatus sui 25. & ætatis 65. relictis variis suæ doctrinæ radiis, quibus in Ecclesia fulget adhuc, licèt extinctus ille Ruspensis Ecclesiæ sol, cujus scripta hæc sunt præcipua. professio, gesta, obitus, & scripta, qualia sunt.

Scripta sancti Fulgentii præcipua.

1. ***Ad Monimum*** libri 3. Quorum 1. est de duplici prædestinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam. 2. De triplici quæstione, una videlicet de sacrificii oblatione, altera de Spiritus Sancti missione, & 3. de supererogatione B. Pauli, qui cùm potuisset, si voluisset, de Euangelio vivere, maluit tamen nedum sibi sed & convictoribus suis necessarium propriis manibus operando quærere, juxta illud Act. cap. 20. *Ipsi scitis quomodo ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. 3. Denique est de vera expositione illius Euangelici dicti Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum, &c.* contra Arianos, qui illud ita intelligendum putabant, ut dicerent ly *apud Deum*, non idem sonare ac ly *in Deo*; unde ipsum Verbum apud Patrem esse, non in Patre esse, sed extra Patrem esse, significare tenebant. Ad Monimum lib. 3.

2. ***Ad*** 10. ***Arianorum objectiones*** liber unus 10. responsiones afferens: cùm audiisset *Trasimundus* Vvandalorum Rex, Catholicæ Religionis hostis apertus, & Arianæ sectæ defensor timendus, esse inter alios à se exulantes Episcopos *Fulgentium*, cui nihil deesset in scientia, accersit eum citò Carthaginem; quò cùm venisset, ibique dum variis Arianorum quæstionibus satisfaceret, argueretque hæreticos, idque per occultos nuntios disceret *Trasimundus*, ejus ut probaret ingenium & sapientiam, interrogata quædam perfidiæ veneno plena ei celeriter legenda dirigit, responsa flagitans. Hæc Fulgentius suscepit, & longissimæ narrationis ineptias per objectionum capitula decidens, istas subjecit responsiones, breves quidem, sed testimoniorum auctoritate graves, quas Rex ille Barbarus attentissimè legens, auctoris sapientiam agnoscit, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis verò populus triumphi spiritalis interpres, propositiones Regis Ad 10. Arianorum objectiones liber unus.

fuisse convictas læto murmure confitetur, & Catholicam fidem semper esse victricem, conjunctis B. Fulgentii laudibus gloriatur.

Ad Trasimundum Vvandalorum Regem libri 3.

3. *Ad Trasimundum Vvandalorum Regem* libri 3. Quorum 1. est de mysterio mediatoris Christi duas naturas in una persona retinentis. 2. De immensitate divinitatis Filii Dei. 3. De Sacramento Dominicæ passionis; & ideò ad Trasimundum directi libri 3. isti, quia Trasimundus virum sanctissimum adhuc ut ultrà probaret, de variis aliis eum per nuntios interrogat quæstionibus, interrogationes suas semel tantùm ei legi mandat, meditarique vel describere vetans. B. Fulgentius, ne quæ fortè spargerentur mendacia, quibus fingeretur aut noluisse aut non potuisse Fulgentium Regiis quæstionibus obviare, tres istos confecit ad *Trasimumdum* libros, quibus, quæstionibus Regiis leviter auditis jussu regio respondet, sed ita solidè & eruditè, ut desierit ulterior omnis interrogatio Regis.

Ad Pintam Arianum Episcopum liber unus.

4. *Ad Pintam* liber unus. *Trasimundo* novis quæstionibus Fulgentium probare cessante, Arianorum Episcopus unus nomine *Pinta*, S. Doctori conatus est respondere, cui B. Fulgentius illicò restitit, brevi edito libello quem adversus *Pintam* inscripsit, qui liber nunc primò prodiit ex duobus manuscriptis codicibus erutus, Divionensi uno & è Carthusia Portarum altero, estque in Bibl. PP. tom. 9.

Ad Donatum de fide orthodoxa.

5. *Ad Donatum de Fide orthodoxa*, & diversis hæreticorum erroribus, liber unus 20. complectens capita, quibus *Fulgentius* instruit de fide Trinitatis & Incarnationis *Donatum* ætate juvenem, & in divinis litteris minùs instructum; ut paratus esse possit ad respondendum omni poscenti rationem de fide & spe quæ in nobis est, & præsertim quibusdam Arianis, Patrem in divinis Filio majorem asserentibus.

De Fide ad Petrum Diaconum liber unus.

6. *De Fide ad Petrum Diaconum* liber unus, quo B. Fulgentius eloquenter & solidè instruit in fide Petrum Diaconum Jerosolymam pergere paratum, & rogantem quam debeat in illis partibus fidei regulam tenere, ut nullius sibi possit subrepere falsitatis hæreticæ sensus; eique fusè per capita notat quid ubicumque fuerit, quid firmissimè tenere, & nullatenus dubitare debeat.

Ad eumdem, de Incarnatione & gratia liber alter.

7. *Ad Petrum eumdem*, & alios qui Romam ex Oriente missi fuerant, de *Incarnatione & gratia Domini nostri Jesu Christi* liber alter, explicans tam de Incarnatione Domini, quàm de gratia fidei nostræ confessionisque sententiam.

Ad Felicem de Trinitate liber unus.

8. *De Trinitate ad Felicem* Notarium liber unus, quo rogatus B. Fulgentius docet Felicem quid de Trinitate quæ Deus est, tenere debeat, & qualiter possit Catholicam propugnare fidem contra circumstantium hæreticorum errores.

Ad Ferrandum de baptismo Æthiopis moribundi liber unus.

9. *Ad Ferrandum Carthag. Eccles. Diaconum*, & discipulum suum de *baptismo Æthiopis moribundi liber unus*. Per litteras à B. Fulgentio quæsierat Ferrandus, an baptismus collatus adolescenti Æthiopi moribundo volenti quidem & parato, sed loquendi facultate privato, & interroganti sacerdoti respondere non valenti, fuerit ad salutem consequendam utilis vel non; cui respondet hoc in libro *B. Fulgentius*, præfatum approbans baptismum, dicens quòd *quando non defuit sano credendi & confitendi voluntas* cap. 6. *non obfuit infirmo tacendi necessitas*. Et addens cap. 10. *Viderunt enim SS. Patres ream non esse voluntatem quæ impedita cognoscitur non mutata, nec debere denegari Sacramentum Baptismatis, ubi firmitas cognoscitur voluntatis.*

10. *Ad*

10. *Ad Ferrandum* de quinque quæstionibus liber alter, quo scilicet respondet 5. quæstionibus sibi per litteras à *Ferrando* propositis; quarum prima est an sicut Trinitas est inseparabilis propter unam eamdemque naturam, operationem & voluntatem, sit etiam inseparabilis in personis?

Ad Ferrandum eumdem de 5. quæstionibus liber alter.

Secunda: An sicut Filius dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ita divinitas ejus dici possit nata, passa, mortua, crucifixa?

Tertia: An anima Christi susceptrix Deitatis plenam habeat notitiam; & sicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus invicem norunt, ita & idem Filius seipsum, seu an in eo quod est Deus, noverit id quod est homo?

Quarta: Cur cùm circa Patris, Filii, & Spiritus Sancti regnum credamus & fateamur eos simul dominari creaturis omnibus, tamen per universas ferè Africæ Regiones, universa dicere consuevit Ecclesia in Orationum conclusione, Per Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum cum Patre in unitate Spiritus Sancti?

Quinta denique est, quid quòd Lucas Euangelista cœnam Domini narraturus, priùs eum dicat calicem accepisse, & discipulis dividendum inter se continuò tradidisse, & tunc deinde accepto pane dixisse, Hoc est corpus meum, & accepto similiter, postquam cœnavit, calice tunc dixisse, Hic calix novum Testamentum est in Sanguine meo, qui pro vobis funditur, numquid unus calix secundò est datus? An alius priùs, alius posteà? Et si ita est, ad cujus rei Sacramentum pertinet ille, de quo maximè cæteri qui scripserunt Euangelia, tacuerunt?

11. *Ad Euthymium* de remissione peccatorum libri 2. quibus respondet Euthymio viro religioso circa peccatorum remissionem interroganti, & quærenti, An peccata remittat Deus solùm in hac vita & non in altera; utque clarior fiat responsio, & faciliùs pateat veritas, tria explicat ista, videlicet qualibus, ubi, & quando Deus peccata dimittat: duo priora explicat in primo libro & tertium in altero.

Ad Euthymium de remissione peccatorum libri 2.

12. *De veritate prædestinationis & gratiæ Dei* lib. 3. in quibus testimonia prædestinationis, & gratiæ differentias nosse cupientem edocet.

De veritate prædestinationis & gratiæ libri 3.

13. *Ad Regmum Comitem* liber unus; in quo proposita per epistolam à Regino resolvitur quæstio illa, An Christi caro sit corruptibilis vel incorruptibilis, resolvitur hìc à S. Fulgentio ad revincendam hæresim Alexandriæ his temporibus ortam, teste *Liberato* Breviarii cap. 19. quæ Christi carnem suaptè natura incorruptibilem, & passionum omnium penitus expertem fuisse tenebat.

Ad Reginum Comitem liber unus.

14. *Epistolæ familiares* ad diversos variæ, quarum septem reperiuntur in Bibl. PP. tomo 9. edit. Lugdunensis. 1. est de conjugali debito, & voto continentiæ à conjugatis emisso. 2. est ad Gallam de consolatione super mariti morte, & de statu viduitatis. 3. Ad Probam de virginitate simul atque humilitate. 4. Ad eamdem de oratione ad Deum, & de compunctione cordis. 5. Ad Eugipium abbatem de charitate, ejusque dilectione. 6. Ad Theodorum Senatorem de conversione à sæculo. 7. Ad Venantium de recta pœnitentia, & futura retributione.

Epistolæ ad diversos diversæ.

15. *Homiliæ sive Sermones* de variis argumentis varii. Decem tantùm superesse diu vulgò creditum, sed præter illos, 80. alii ex manuscriptis eruti inveniuntur hodie tomo 9. Bibl. PP. edit. Lugd. an. 1677. quique dicun-

Homiliæ de variis argumentis variæ.

dicuntur Sermones novi. Vide vitam S. Fulgentii initio operum ejus præmissam, & scriptam à discipulo ejus aliquo, qui putatur à multis Ferrandus Carthag. Eccles. Diaconus. Vide *Isidorum cap. 14. de Script. Eccles. Honor. Augustod. cap. 16. Sigebert. cap. 28. Bellarm. de Script. Eccles. Miræum in Auctario de Script. Eccles. cap. 133. & Bibl. PP. tomo 9. edit. Lugd. &c.*

ARTICULUS XXXVII.

De duplici Maximo, Episcopo Taurinensi uno, & Abbate Martyre altero.

Celebres fuere varii *Maximi* nomine viri, videlicet *Ierosolymitanus, Antiochenus; Regiensis, Taurinensis, & Martyr.*

VAtii, fateor, & celebres in Ecclesia fuere *Maximi* nomine viri; tres enim successivè claruere Jerosolymorum Episcopi nomine *Maximi*, quorum ultimus fuit *Maximus* ille celebris post S. Macarium Jerosolymitanus Episcopus & Confessor insignis; & si credamus Sozomeno, à S. Macario anteà ordinatus Diospolitanus Episcopus, qui altero in persecutione orbatus oculo, & altero cæsus poplite, claruit olim inter 318. Nicæni Concilii Patres an. 325. & obiit an. 352. coliturque in Ecclesia tam Latina quàm Græca 5. Maji.

Fuit & *Maximus* alter, Antiochenus creatus Episcopus, loco Domni in Ephesino Conciliabulo justè depositi anno 449. qua in Sede confirmatus à S. Leone Rom. Pont. interfuit Chalced. Conc. an. 451. & obiit an. circiter 456.

Fuit & in Gallia nostra celebris *Maximus* alter, è Lerino Monachus, & post S. Honoratum Lerinensis Abbas, ac ex Abbate tandem Regiensis Episcopus anno circiter 455. cui bis successit Faustus, post illum immediatus Abbas, & Episcopus, teste Sidonio Apollinari, de eo ad Faustum sic loquente....

Fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus Monachusque, Antistes, & Abbas,
Bis successor agis, &c.

Quique obiit miraculis clarus & meritis circa an. 462. & post mortem celebratus à variis, præsertim à Fausto edita ejus in laudem homilia. Sexto cadente sæculo, claruit in Hispania *Maximus* unus Cæsaraugustanus Episcopus, qui obiit circa an. 620. qui Gothorum in Hispania degentium scripsit historiam, cujus meminit Isidorus Hispalen. in suo illustrium virorum catalogo, & cujus historiam vocat Trithemius in suo, *insigne volumen & opus amœnum de gestis Gothorum in Hispaniis.* Præter illos & alios, fuere duo insignes alii, videlicet *Maximus* Taurinensis, & *Maximus* Abbas & Martyr, de quibus quia plus scripsere, fusiùs agendum.

De S. Maximo Taurinensi Episcopo. 465.

S. Maximi Taurinensis Episcopi scripta sunt.

Sanctus Maximus Augustæ Taurinorum Pedemontanæ ditionis Episcopus, pietate celebris & doctrina, *vir juxta Gennad. in cat. in divinis Scri-*

Scripturis satis intentus, & ad docendum in tempore plebem sufficiens; qui interfuit Mediolanensi Concilio sub *S. Leone* Rom. Pont. & Eusebio Mediolanensium Archipræsule, an. Christi 452. in quo juxta formam famosæ S. Leonis ad Flavianum epistolæ, Eutychiana damnata fuit hæresis; qui alteri Romano interfuit 48. Episcoporum Concilio sub *Hilaro* Rom. Pont. convocato, anno Christi 465. in quo tria edita decreta ad rectam Clericorum ordinandorum dispositionem spectantia, & in quo jure antiquitatis primus post *Hilarum* subscripsit *S. Maximus* Taurinensis Episcopus, qui proindè non obiisse censendus nisi valdè senex, & post Christi annum 465. Ejus memoria celebratur in Ecclesia 25. Junii, & scripta laudantur in SS. PP. Bibl. sexto tomo edit. Lugd. anno 1677.

Scripta S. Maximi Taurinensis Episcopi.

Nihil sunt aliud quàm Homiliæ elegantes & eruditæ, quarum aliæ sunt hiemales de tempore, aliæ æstivales, & de diversis argumentis aliæ, quas hìc omnes minutim scrutari non est necesse, quia morales potiùs quàm dogmaticas; sufficiet cursim notare singulas. Sunt autem

Homiliæ variæ, quarum

Hiemales Homiliæ.

Aliæ sunt Hiemales.

1. *De adventu Domini* 2.
2. *De vigilia natalis Domini* 1.
3. *De natali Domini* 6.
4. *De Circumcisione Domini* 1.
5. *De Epiphania Domini* 8.
6. *De Jejunio quadragesimali* 15. *& de S. Latrone cum Christo crucifixo.*

Æstivales Homiliæ.

Aliæ Æstivales.

1. *De solemnitate Paschali* 5.
2. *In litaniis de jejunio* 1.
3. *In natali S. Stephani* 1.
4. *In natali S. Agnetis* 1.
5. *In natali S. Joannis Baptistæ* 1.
6. *In natali SS. Petri & Pauli* 5.
7. *In natali S. Laurentii Martyris* 3.
8. *In natali S. Eusebii Vercellensis* 2.
9. *In natali S. Cypriani* 2.
10. *In festo S. Michaelis* 1.
11. *In natali SS. Taurinorum Octavii, Aventitii & Solutoris* 1.
12. *De communi Martyrum* 1.

Homiliæ de diversis aliæ.

Et de diversis aliæ.

1. *De expositione Symboli* 1.
2. *De non metuendis carnalibus hostibus* 2.
3. *De avaritia vitanda* 2.
4. *De eleemosyna largienda* 2.
5. *De hospitalitate* 1.
6. *De defectu lunæ* 1.
7. *De illo Isajæ dicto: Caupones tui miscent aquam vino*, 1.

Dices. Plures ex his Homiliis sive Sermonibus reperiuntur inter opera S. Ambrosii, ut v. g. Homilia sive Sermo qui est de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, & ille qui est de *S. Cypriano*, imò & quamplures alii; ergo S. Maximi esse falsò dicuntur. Resp. vagari quidem aliquas S. Maximi Homilias inter opera S. Ambrosii, imò & inter opera S. Augustini; at illorum non esse, sed S. Maximi, colligitur ex Gennadio,

qui ferè recenset & tribuit omnes S. Maximo in cat. Illustr. vir. Vide *Gennad. in lib. de Script. Eccles. cap. 40. Honorium Aug. de lumin. Eccles. Bellarm. de Script. Eccles. Baron. in ann. Possev. in app. Miræum in Bibl. Eccles. &c.*

De S. Maximo Abbate & Martyre. 662.

S. Maximi Abbatis & Martyris gesta, obitus, & scripta qualia sunt.

Sanctus Maximus monachus, Abbas & Martyr, vir Constantinopoli piis nobilibusque parentibus ortus, pietate & eruditione, ac Philosophi præsertim nomine clarus, qui fuit *Heraclio* Imperatori à secretis primus, sed *Heraclio* in Monothelitarum hæresim lapso, relicta aula ad monasterii secessum convolans, monachi induit habitum, & vitam professus est monasticam; in qua ita inter socios omnium virtutum eminentia claruit, ut monasterii defuncto præposito sive Abbate, ejus in locum communi omnium sodalium voto, ipse licèt reluctans multùmque renitens, fuerit electus: sed hujus præpositure dum fungi cœpit officio, audiens Monothelismum latiùs in dies in Oriente grassari, in Italiam, Africam & alias usque perrexit orbis regiones, ut orthodoxos quoscumque Ecclesiæ Præsules verbo compelleret & exemplo, ad fortiter debellandam & intrepidè reprimendam undique serpentem hæresim; quique dum in Africa esset cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano & Monothelita tunc ibi degente, celebri disputatione certavit, anno 645. indeque reversus in Italiam, *Martino I.* Romano Pont. Concilium in Monothelitas indicere suasit; sed tandem his multisque peractis aliis, Constantis Imperatoris Monothelizantium fautoris jussu captus, de variis falsò & perperam accusatus & auditus, in exilium cum duobus Anastasii nomine discipulis est relegatus; ubi tandem variis pro fide vexatus opprobriis, multisque laboribus, doloribus & afflictionibus attritus felicem emisit spiritum, sub *Vitaliano* Rom. Pont. & Imperatore Constante, anno circiter 662. die Augusti 13. relictis variis suæ doctrinæ reliquiis sive scriptis, quæ duos in tomos distributa græca & latina Parisiis luci publicæ dedit R. P. Combefis Ord. FF.PP. an. 1675. Sunt autem inter hæc S. Maximi,

Scripta S. Maximi Abbatis & Martyris.

Liber de variis Scripturæ sacr. quæstionibus.

1. *Liber de variis Scripturæ sacræ quæstionibus* ad Thalassium; in quo rogatus respondet S. Maximus Thalassio Presbytero & præposito sanctissimo, varias ei resolvens sacræ Scripturæ quæstiones ac dubia.

Liber Asceticus per modum dialogi.

2. *Liber Asceticus ad pietatem* exercens per modum dialogi, in quo frater interrogat, & senex respondet; utilis sanè liber & ab his omnibus legendus, quibus virtutis colendæ & sanctioris ineundæ vitæ propositum inest.

Liber quadringentorum capitum de Charitate.

3. *Liber quadringentorum capitum de Charitate*, hoc est, opus quadringenta complectens capita ad Alpidium quendam sanctioris vitæ studiosum, cui titulus est de *Charitate*, ea fortasse de causa quòd à Charitate incipiat, & de ea passim in sequentibus capitibus disserat.

Liber alter aliorum quadringentorum capitum.

4. *Liber alter aliorum quadringentorum capitum*, quorum ducenta ad Theologiam, Deique Filium spectant; & ducenta alia ad Theologiam & œconomiam, nec non ad virtutes & vitia tendunt.

5. *Opu-*

5. *Opuscula Theologica & polemica varia*; inter quæ reperiuntur quamplura quæ eò tendunt, ut impugnent eos qui unam in Christo voluntatem vel operationem asserunt. Opuscula Theologica & polemica varia.

6. *Disputatio cum Pyrrho*, hoc est, celebris illa concertatio cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano & Monothelita, coram Gregorio religiosissimo Patricio in celebri Episcoporum aliorumque nobilium consessu habita; in qua *Pyrrhus* novum de una in Christo voluntate dogma à se suoque Bizanzii decessore *Sergio* perperàm inductum defendebat; sanctus verò Maximus SS. Patrum, & Apostolicam de duabus in Christo voluntatibus doctrinam propugnabat. Disputatio cum Pyrrho Monothelita.

7. *Dialogi* 5. *de sancta Trinitate*; in quorum duobus prioribus colloquuntur orthodoxus & Anomœus Arianæ sectæ vir: in tertio libro cum orthodoxo de Spiritus Sancti divinitate disputat Macedonii sectarius cum orthodoxo: in quarto disputat Apollinarii sectarius cum orthodoxo, an humanum, hoc est hominis anima animatum habuerit corpus Christus, an non: in quinto denique de humanitate Christi, seu an Christus sit verè vel fuerit homo, disputat idem Apollinarii sectator cum Gregorio Episcopo. Dialogi 5. de S. Trinitate.

8. *Orationis Dominicæ brevis expositio* ad quemdam devotum Christo virum; sunt & nonnulla ejusdem opuscula alia, ut *epistolæ* ad diversos diversæ. Vide *Photium cod.* 192. *&c. Anast. Bibl. in Coll. Baron. in ann. Bellarm. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccl.* Orationis Dominicæ brevis expositio.

ARTICULUS XXXVIII.

De SS. Isidoro & Ildefonso.

CUm coætanei simul, & Hispaniensis Ecclesiæ Præsules sint isti duo sancti Ecclesiæ Patres, & præceptor unus, discipulus alter, ideò neuter sejungendus ab altero, sed simul hic uterque noscendus.

De sancto Isidoro. 636.

Sanctus Isidorus Severiani, à multis crediti Carthaginensis provinciæ ducis filius, Leandri, Fulgentii & Florentiæ virginis frater germanus, natu minimus, Hispaniensis Ecclesiæ sidus, doctor & decus, & in provincia Bætica post S. Leandrum Hispalensis Ecclesiæ Præsul, qui dictus est olim ab octavi Concilii *Toletani* Patribus, *nostri sæculi doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, atque quod magis est, jam sæculorum definitorum doctissimus cum reverentia nominandus Isidorus*, qui, juxta Ildefonsum, vir fuit decore pollens & ingenio, & suavi loquendi facundia clarus, dictusque junior, ad differentiam Isidori Cordubensis Antistitis longè anterioris, & quarto circiter ineunte sæculo viventis; quique denique post 40. sui Episcopatus annos, & varia relicta suæ eruditionis opuscula, feliciter in cœlum è terra migravit meritis clarus & miraculis, anno Christi 636. ut tradit *Braulius* Cæsar-Augustanus Episcopus, *in prænotatione librorum S. Isidori*, idque pridie nonas Aprilis, quo die in Hispania singulis annis festo celebratur memoria ejus, cujus, juxta *Braulium*, scripta sunt hæc. S. Isidori patria, cognati, dotes, obitus, & scripta qualia sunt.

Scripta ſancti Iſidori.

Procemiorum liber unus.
1. *Procemiorum liber unus*, in quo, quid quiſque contineat ſanctæ Scripturæ liber, brevi ſubnotatione diſtinxit.

Differentiarum libri duo.
2. *Differentiarum libri duo*; in quibus, eodem referente *Braulio*, ſubtili diſcretione ea quæ uſu proferuntur confuſè, ſenſu diſcrevit.

De ortu & obitu Prophetarũ liber unus.
3. *De ortu & obitu Prophetarum liber unus*; in quo diem natalem, eorum geſta, mortem & ſepulturam ſententiali brevitate notavit ad fratrem ſuum Fulgentium Epiſcopum Aſtigitanum.

Officiorum libri duo.
4. *Officiorum libri duo*; in quibus originem officiorum, & cur unum quodque in Eccleſia Dei peragatur, explicat.

Synonymorum libri duo.
5. *Synonymorum libri duo*, quos Lamentationum ipſe vocavit, & in quibus ad conſolationem & ſpem percipiendæ veniæ conducit & hortatur.

De natura rerum liber unus.
6. *De natura rerum ad Siſebutum Regem liber unus*; in quo tam de Eccleſiaſticorum Doctorum, quàm de Philoſophorum indagine, obſcura quædam de elementis abſolvit.

De numeris alter.
7. *De numeris liber unus*, in quo Arithmeticam ex parte tetigit diſciplinam, propter numeros Eccleſiaſticis Scripturis inſertos.

Contra Judæorum nequitiam duo.
8. *Contra Judæorum nequitiam libri duo*, quos ad petitionem *Florentiæ* ſororis ſuæ virginis ſcripſit.

Sententiarum libri tres.
9. *Sententiarum libri tres*, quos floribus ex libris Gregorii Papæ moralibus decoravit.

Chronicon.
10. *Chronicorum* ab initio mundi ad ſuum uſque tempus liber unus, ſed nimia brevitate collectus.

De viris illuſtribus liber.
11. *De viris illuſtribus liber unus*; in quo, exemplo *S. Hieronymi* & *Gennadii*, ſcriptores collegit Eccleſiaſticos aliquos, incipiens ab Oſio Cordubenſi, quos addidit ad Hieronymi & Gennadii catalogos.

Etymologiarum liber.
12. *Etymologiarum liber unus*, quem ſcripſit rogatus à *Braulio* Cæſar-Auguſtano Epiſcopo, & quo inexpleto poſt multos in eo peractos laboris annos, diem ultimum clauſit; & quem poſteà *Braulius* ipſe ſuſcepit, & in libros 20. diviſit, in quibus diverſarum artium redundat elegantia, & rerum ſcitu dignarum copia. Vide *Ildefonſum de Script. Eccl. cap. 9. Sigib. cap. 51. Braulium in prænot. librorum Iſidori, Marianam lib. 6. de rebus Hiſpaniæ, Baron. in notis ad Mart. 4. April. Bellarm. lib. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccleſ. &c.*

De ſancto Ildefonſo. 667.

S. Ildefonſi patria, parentes, dotes, obitus, & ſcripta qualia ſunt.

Sanctus Ildefonſus, Toleti in Hiſpania nobili ſtirpe natus, patris Stephani, & matris Luciæ filius, S. Iſidori Hiſpalenſis diſcipulus, & alterum à Magiſtro Hiſpanienſis Eccleſiæ Sidus, monaſterii Agalienſis Abbas, & ex Abbate poſt Eugenium Toletanus Archipræſul, vir fuit, *juxta Julianum Toletanum, Dei timoris inſtantia præditus, religione compunctus, compunctione profuſus, inceſſu gravis, honeſtate laudabilis, patientia ſingularis, ſecreti tacitus, ſapientia ſummus, & eloquentia clarus, &c.* Qui octavo dicitur interfuiſſe Toletano 52. Epiſcoporum Concilio, anno 653. ſub Martino I. Rom. Pont. in quo *Receſvinthus* Hiſpaniæ Rex mirum de Traditionibus ſermonem habuit, & quo tempore nondum ipſe Toletanus Epiſco-

ſcopus erat, ſicut nec quando virginum cœnobium in Deilſenſi villula ſuis ſumptibus fundavit; benè autem dum Toleti, ut 30. quotidie in æde Archiepiſcopali alerentur pauperes, inſtituit; atque ita pius, & B. Virgini Deiparæ devotus vixit, ut pia opuſcula plura in ejus laudes, & perpetuæ virginitatis ejus patrocinium ſcripſerit; ideòque meruerit nedum illam in terris ſibi apparentem videre Angelorum & Virginum Reginam, ſed etiam ab illa è cœlo delata veſte Sacerdotali donari, & de parata ſibi poſt mortem veſte gloriæ certus fieri, ut teſtatur *Cixila* Ildefonſi ſucceſſor, & refert *Julianus* Ildefonſi Diaconus in præfat. in librum Ildefonſi, de laudibus in temp. Virg. Mariæ; ſtatque lapis in ipſo Toletani templi aditu, in quo veſtigio conſtitiſſe dicitur B. Virgo, & veſtis illa è cœlo delata *Oveti* ſervatur in Eccleſia S. Salvatoris, ut teſtatur Pelagius Ovetenſis Epiſcop. in additione ad Sebaſtiani Salmaticenſis Epiſcopi Chronicon, & *Mariana lib. 6. de rebus Hiſpaniæ*. Obiit autem Ildefonſus 23. Januarii die, anno Chriſti 667. Varia fertur ſcripſiſſe opuſcula à Juliano Toletano relata in appendice ad librum Ildefonſi de viris illuſtribus, inter quæ ſunt,

Scripta ſancti Ildefonſi.

1. *Liber de 14. viris illuſtribus*, quem addidit ad Iſidori librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, poſt *Hieronymum* & *Gennadium*; cui Ildefonſi libello de 14. viris illuſtribus addidit Ildefonſum ipſum *Julianus*, ſicut & Julianum ipſum poſteà *Felix* Toletanus Epiſcopus. Liber de viris illuſtribus.

2. *Liber inſignis de illibata perpetua virginitate B. Mariæ Virginis Deiparæ*, contra *Pelagium* quendam & *Helladium*, veteris *Helvidii* in Hiſpania renovantes hæreſim, & impiè negantes cum illo Beatiſſimam Virginem Mariam Deiparam, perpetuam retinuiſſe virginitatem: reperiuntur etiam de eadem B. Virgine Deipara 12. Sermones in Bibl. PP. Vide *Julianum Tolet. in Append. ad librum Ildefonſi de viris illuſt. Baron. in notis ad Martyr. 23. Januar. Joan. Marianam lib. 6. de rebus Hiſpaniæ, Bellarm. de Script. Eccl. Miræum in Bibl. Eccl. &c.* Liber de illibata perpetua virginitate B. Mariæ Deiparæ.

ARTICULUS XXXIX.

De S. Joanne Damaſceno. 731.

SAnctus Joannes, cognomento *Chryſoras* ob auream dicendi facundiam ab Orthodoxis vocatus, & per ignominiam ab Iconomachis *Manſur* cognominatus, ſed à *Damaſco* patria *Damaſcenus* vulgò dictus, vir fuit nobiliſſimis parentibus in Syria natus, eruditione & vitæ ſanctimonia clarus, venerabilis Bedæ coævus, ſacrarum Imaginum defenſor intrepidus, qui amputata ſibi ab Iconomachis dextera, & B. Virginis ope ſibi divinitùs reſtituta, ſeceſſit in eremum, factus in Monaſterio S. Sabbæ Monachus; tandemque à Patriarcha Jeroſolymitano Presbyter ordinatus, vixit præſertim ſub Leone Iſaurico Imperatore Iconomacho, & ad annum uſque circiter 731. vel ut placet aliis ad annum uſque 760. ſcripſit varia pro Chriſto & Eccleſia, qualia ſunt S. Joan. Damaſceni patria, cognomina, profeſſio & geſta, ſive ſcripta, quorum præcipua ſunt.

Scri-

Scripta S. Joannis Damasceni.

Parallela. 1. *Parallela* ex selectis Scripturæ sacræ, ac Sanctorum Patrum locis contexta, quæ conficiunt opus illud S. Damasceni tres in libros divisum, quorum primus continet ea, quæ ad res divinas & fidem pertinent; secundus verò de rerum humanarum sorte differit; & tertius privatim de virtutibus ac vitiis pertractat.

De fide orthodoxa libri 4. 2. *De fide orthodoxa* libri 4. hoc est, accurata de fide orthodoxa expositio à Joanne Damasceno contexta, à Jacobo Billio S. Michaelis in eremo Cœnobiarcha translata, & Jodoci Clotovei Neoportensis Parisiensis Theologi commentariis illustrata, in qua Damascenus omnium primus universam exponit Theologiam recto eoque ordine, quem deinde sunt imitati Petrus Lombardus Magister sententiarum, & post illum ceteri Doctores Scholastici.

Oratio de his qui in fide obierunt. 3. *Oratio de his qui in fide obierunt*, seu de fidelibus defunctis oratio, in qua ostenditur eleganter & eruditè, quòd hi, qui cum fide ex hac vita migrarunt, vivorum Missis, precibus atque suffragiis juvantur, atque levantur; quæ oratio licèt ægrè admodum credatur à nonnullis Damasceni esse, eò quòd fabulosam contineat historiam de *animabus Trajani Imp. & Falconillæ* ab inferni supplicio liberatis, anima scilicet Trajani precibus S. Gregorii Magni, & anima Falconillæ precibus sanctæ Theclæ primæ Martyris; quæ historia repugnat doctrinæ Damasceni dicentis alibi lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. hominibus post mortem, sicut Angelis post lapsum, omnem resipiscendi facultatem esse præclusam; quod esset falsum, si precibus liberari possent ab inferni gehenna defunctorum animæ; sic enim eis non esset præclusa omnis resipiscendi facultas: verùm ad hæc responderi potest & dici cum Bellarmino lib. de Script. Eccl. non inde concludi posse, hanc orationem non esse S. Damasceni, sed *fieri potuisse ut Joannes Damascenus, quamvis alioqui doctus & prudens, istis narrationibus facilè fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda solicitus fuerit.*

Oratio de Transfiguratione. 4. *Oratio de gloriosa Domini nostri Jesu Christi Transfiguratione* in sancto ac glorioso monte Thabor, præsentibus ex vivis *Petro, Jacobo, & Joanne*, & ex mortuis, vel ex hoc sublunari mundo in aera raptis *Moyse & Elia*, Moyse scilicet mortuo, & Elia igneo curru in aera sublato; & sic fides Resurrectionis astruitur, & Christus vivorum ac mortuorum Dominus esse declaratur.

Orationes 2. de Nativitate Mariæ Virg. 5. *Oratio de Nativitate B. Mariæ Dei genitricis semperque Virginis*, in qua mirabiliter exponitur & eruditè, cur virgo mater ex sterili orta sit ..... *Quoniam scilicet oportebat ut ad id quod sub sole novum erat ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret, &c.*

6. *Oratio altera de ejusdem Mariæ Virginis Nativitate*, in qua fusè probatur & doctè quomodo ex semine David seu ex Tribu Davidica descendat B. Virgo Maria, nec tamen sibi contradicant *Matthæus & Lucas* in texenda B. Mariæ Virginis genealogia, cùm S. Matthæus Patres naturales tantùm commemoret, & legales prætermittat; S. Lucas econtrà legales recenseat, & naturales omittat, divino tamen Spiritu afflatus uterque.

7. *Ora-*

7. *Oratio de dormitione B. Mariæ Virginis una*, & altera de ejusdem *Assumptione* gloriosa, & utraque B. Virginis Deiparæ laudatoria: in priori dicit inter alia S. Joan. Damascenus migrationem B. Virginis non mortem esse dicendam, sed somnum, dum ait: *Ac proinde sacram tuam migrationem haudquaquam mortem appellabimus, sed somnum, aut peregrinationem, vel ut aptiore verbo utar, cum Deo præsentiam. Siquidem à corpore peregrè excedens in præstantioribus bonis ines, &c.* In posteriori verò pariter B. Virginis laudatoria narrat inter alia, quomodo Apostolos per orbem prædicationis causa dispersos, temporis puncto per altum abreptos in Jerusalem ad Christi matrem morti propinquam accurrisse, ejus beatæ interfuisse migrationi, sacrumque corpus ejus in sanctum Gethsemanæ locum sepeliendum detulisse, ibique sepeliisse, & triduo pòst, quia in cœlos allatum, non invenisse. Oratio una de dormitione, & altera de Assumptione B. Mariæ Virg.

8. *Carmina de variis argumentis varia*, & 1. de Nativitate Christi Domini. 2. De Epiphania. 3. De Pentecoste. 4. De Paschate. 5. De Ascensu Domini. 6. De Transfiguratione. 7. Et Cantica Ecclesiastica varia. Carmina varia.

9. *Dialectica sive Logica*, seu liber unus, in quo de ea Philosophiæ parte agit Damascenus quæ in dissertatione versatur, quæque ut ipse loquitur, licèt Philosophiæ potiùs instrumentum sit quàm pars, tamen hoc in libro Philosophiam, & omnis generis scientiam delibare sibi proponens, ab ea suum desumit initium, cùm ad omnem demonstrationem ejus utamur auxilio. Dialectica.

10. *Physica* quæ, prout hìc tractatur à S. Joanne Damasceno, nihil est aliud quàm velut quoddam Aristotelicæ Physicæ compendium, quodque incipit Damascenus, varias Philosophiæ definitiones enarrando & dicendo v. g. quòd Philosophia sit rerum quæ sunt, quatenus sunt, cognitio; quòd sit divinarum atque humanarum rerum scientia, quòd sit mortis meditatio, quòd sit Dei, quantum ab homine præstari potest, imitatio, quòd sit ars artium, & scientia scientiarum: est enim Philosophia omnis artis initium, cùm per eam omnis ars inventa sit. Physica.

11. *De hæresibus* liber unus, in quo sectarum & hæresum omnium texens catalogum Damascenus, eas breviter enarrat hæreses, quæ ab Adami temporibus ad sua usque tempora grassatæ fuerant, hoc est usque ad Iconoclastarum hæresim, incipiens à *Barbarismo, Scythismo, Hellenismo* & *Judaismo*, quasi à quatuor primariis sectarum & hæresum omnium generibus, à quibus ceteras omnes ortas esse docet. De hæresibus liber.

12. *Adversus Manichæos dialogus*, hoc est, disputatio elegans & erudita, quæ creditur à S. Joanne Damasceno scripta, & per modum dialogi ita contexta & disposita, ut in ea per mutuas interrogationes & responsiones, de rebus ad Fidem & Religionem spectantibus colloquantur duo, orthodoxus videlicet & Manichæus, seu in qua orthodoxus & Manichæus colloquendo discutiunt doctrinam fidei. Adversus Manichæos dialogus.

13. *De natura composita contra Acephalos*: erant autem *Acephali* factiosi nonnulli ex iis qui Chalcedonense Concilium impugnabant, & duas in Christo naturas esse cum *Eutyche* & *Dioscoro* negabant; quique ea de causa frequentiùs & usitatiùs *Monophysitæ* vocantur; sed quia erant numero multi & omnes simul orti, quin constaret quis esset primus factionis auctor, sive caput, ideò *Acephali*, id est, sine capite fuere nuncupati, & contra illos Christum cum orthodoxis ex duabus naturis esse fatentes, sed De natura composita contra Acephalos.

eum

eum in duabus naturis esse aut potiùs in eo duas naturas esse negantes; agit ibi S. Joan. Damascenus, multa dicens, quibus illorum refellat hæresim, & duas in Christo naturas astruat.

De Trisagio epistola. 14. *De Trisagio epistola*, hoc est, de ter sancto Hymno, ad Reverendum Jordanem Cœnobiarcham epistola, qua probat hoc Trisagium à Seraphinis fuisse decantatum, ad tres in Deo personas designandas: didicerat enim per litteras Damascenus, *Abbatem Anastasium, præclarum illum Monasterii beati Euthymii antistitem, nonnulla è Sanctorum Patrum libris loca protulisse, quæ scilicet ter sanctum Hymnum ad Filium dumtaxat referant: quod si concessum fuerit, nihil erit quod prohibeat, quin lues ea quam Cnaphæus malè ac pestiferè invexit, omnes funditus inficiat ac labefactet*. Petrus autem ille *Cnaphæus*, Antiochenus Episcopus, aut potiùs Episcopatus invasor Antiocheni, *Martyrio* adhuc vivente Episcopo, duas Christo tribuens personas, ter sancto isti Angelico Hymno, à Græcis dicto Trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis*, addiderat, *qui crucifixus est pro nobis*; quæ hæresis fuit in quinta Synodo sub Vigilio damnata, & de qua Damascenus ipse lib. 3. de fide orthodoxa cap. 20. dicit, additionem, seu *appendicem illam quam stultus homo Petrus Cnaphæus inter sancto Hymno adjecit, impiam esse definimus, ut quæ quartam personam inducat in Trinitate*, (duas scilicet tribuens Christo personas, & ratus alium esse Filium Dei, & alium hominis Filium ex B. Virgine natum & crucifixum) *aut Trinitatem sanctam passibilem esse asserat*, quæ impia & jam damnata hæresis ne revivisceret, hanc ad Jordanem scripsit epistolam Damascenus.

De duabus in Christo voluntatibus. 15. *De duabus in Christo voluntatibus, & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus* liber, in quo refellit S. Joan. Damascenus Monothelitas, hoc est, eos qui unicam in Christo voluntatem esse docebant, quales fuere præcipui, *Sergius* Constantinopolitanus, *Cyrus* Alexandrinus, & alii non pauci in sexta œcumenica Synodo sub Agathone damnati.

Oratio quomodo ad imaginem Dei facti sumus. 16. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, seu oratio in qua ostendit, quomodo ad imaginem Dei factus sit homo, & in quo præsertim sit ad Dei imaginem factus, explicat sic incipiens: *In ea quidem parte, quæ ratione, & in ea quæ intelligentia, & quæ libero arbitrio continetur, hæc imago intelligitur, & in eo quòd mens verbum gignit, & spiritum profert, & in eo quòd principatum obtinet, ex his quidem & Angeli, & homines ad imaginem Dei facti esse intelliguntur, &c.*

Orationes 3. de imaginibus. 17. *Orationes 3. de imaginibus*; in quibus eleganter & doctè refutat eos, qui dicebant ea quæ ad salutem nostram à Christo fuere mirabiliter gesta, vel à Sanctis contra diabolum fortiter effecta, imaginibus expressa proponi non oportere, ut illa contemplemur, colamus, miremur & imitemur, & imagines hujusmodi licitas esse probat, explicans quid sit imago, cur fiat imago, quàm varia sint imaginum genera, quid effingi debeat, quid non effingi, & quomodo unumquodque effingendum, ac tandem quid sit adoratio, & quot adorationis genera, quæve res adorandæ.

Vita Stephani junioris. 18. *Vita sancti Stephani junioris*: post tres de sacris imaginibus orationes habitas, historiam vitæ *S. Stephani* junioris pro sanctarum imaginum honore martyrium passi describendam suscipit S. Joannes Damascenus; fuit autem *Stephanus* ille junior patria Constantinopolitanus, & professione vitæ sanctæ ac miraculis clarus monachus, qui tempore Constantini

Copro-

Copronymi, propter sanctarum imaginum honorem & adorationem est generosè martyrium passus anno ætatis suæ quinquagesimo tertio.

19. *Disceptatio Christiani & Saraceni*, seu liber qui inscribitur Disceptatio Christiani & Saraceni, quia in eo per modum dialogi, & se se mutuò interrogantes colloquuntur Christianus & Saracenus de variis ad Fidei Religionisque doctrinam spectantibus. Desceptatio Christiani & Saraceni.

20. *Historia de Barlaam & Josaphat*, seu liber in quo historiam Barlaam & Josaphat à quibusdam interioris Æthiopiæ viris acceptam enarrat auctor: insignis quidem est & ad nobilium instruendos filios utilis historia; sed an sit genuinus S. Joannis Damasceni fœtus dubitatur à nonnullis, ex eo quòd dicatur in illa, quòd dum Barlaam instruit discipulum suum Josaphat, jubet eum credere in Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedentem: Damascenus autem lib. 1. de fide orthodoxa cap. 11. docet Spiritum Sanctum non procedere ex Filio, sed per Filium: sed ad id responderi potest cum Bellarm. in historia illa Barlaam & Josaphat, particulam illam *ex Filio* videri additam ab aliquo: nam in nova editione per Billium castigata non habetur *ex Filio*, sed *per Filium*; Billius verò nedum ex phrasi, sed ex multis aliis illam historiam genuinum esse Damasceni fœtum colligit & asserit; quòd autem hæc historia sit vera & non conficta constat, inquit idem Bellarm. ex eo quòd in fine historiæ S. Joan. Damascenus invocat sanctos Barlaam & Josaphat, quorum res gestas descripserat, & Ecclesia Catholica in Martyrologio descriptos veneratur die 27. Novembris eosdem sanctos Barlaam & Josaphat. Historia Barlaam & Josaphat.

Objicies 1. Erravit ergo Damascenus dicens *Spiritum Sanctum non procedere ex Filio, sed per Filium*. Resp. neg. conseq. ratio est, quia minimè negavit quoad rem, sed solùm quoad modum loquendi, Spiritum Sanctum ex Filio procedere; non enim eum id negasse quoad rem patet, cùm dixerit Spiritum Sanctum esse imaginem Filii, & per Filium esse; benè tamen quoad modum, cùm tutiùs dici, per Filium, quàm ex Filio, existimaverit, quod pertinet ad modum loquendi, propter hæresim *Macedonii & Eunomii*, qui ex Filio, tanquam ex primaria, imò & sola causa Spiritum Sanctum processisse dicebant. Verùm sicut tunc, propter hæresim Macedonii, rectè dicebatur Spiritus Sanctus à Patre per Filium esse, ita nunc propter Græcorum hæresim rectiùs, tutiùsque dicitur à *Patre & Filio*, sicut post hæresim Nestorii dicimus Mariam non esse Christiparam, sed Deiparam, non quòd non sit Christipara, sed ne putetur esse solùm Christipara, & non Deipara.

Objicies 2. S. Damascenus, lib. 4. de fide orthodoxa, cap. ultimo, ignem inferni vocat non materialem, dicens: *Diabolus & ipsius Dæmones, & ipsius homo, hoc est Antichristus, & impii ac flagitiosi homines, in ignem æternum non materia, instar hujusce nostri, constantem, sed qualem novit Deus*; ergo & in hoc erravit. Resp. neg. conseq. quia, ut advertit Possevinus, Damascenus non diffitetur ignem inferni materialem esse quoad substantiam, sed solùm quoad punitionis effectum, quatenus punit spirituali quodam modo, seu actione quadam quasi spirituali, ipsa corpora non dissolvendo, nec consumendo, imò & ipsas animas multò magis spirituali quodam modo cruciat & torquet. Vide *Billium*, *Bellarm. Miræum*, *&c.*

ARTICULUS XL.

De S. Petro Damiano. 1072.

S. Petri Damiani patria, parentes, educatio, professio, gesta, abdicatio, obitus, & scripta quæ sunt.

S*Anctus Petrus* nobilis Ravennas, cognomento *Damianus*, vel *Damiani*, vulgò dictus, non à patre, ut opinantur nonnulli, sed ab altero fratrum, cui *Damiani* nomen erat, cujus cura, sumptibus & opera post utriusque parentis obitum, ereptus è dura fratris majoris natu servitute, & *Faventiam* primò, deinde *Parmam* ad literarum studia missus est, in iisque brevi multùm progressus; unde ut se tanti beneficii memorem, gratumque deinceps erga fratrem suum *Damianum*, exhiberet animum, se Petrum *Damiani* subscribere cœpit, & Petrus *Damiani* deinceps dici voluit; interimque peracto studiorum cursu, in cœnobio S. Andreæ de Avellana, quod S. Crucis hodie nuncupatur, vitam monasticam est professus, Cœnobii Prior paulò pòst institutus, & è Cœnobii Priore S. R. E. Cardinalis, & Ostiensis Episcopus, à *Stephano IX.* Romano Pontifice creatus, anno circiter 1058. qui egregiam Ecclesiæ navans operam sub Nicolao II. Alexandro II. & Gregorio VII. multùm desudavit ad extinguenda *Mincii* Antipapæ contra *Nicolaum II.* & *Cadaloi* contra *Alexandrum II.* schismata; quique in Gallia ac in Germania, Sedis Apostolicæ Legatum agens, Ecclesiasticæ levandæ disciplinæ non parum profuit: fuit enim vir ille sanctus & eruditus, falsòque à nonnullis *Petrus de Honestis* dictus, nedum pœnitentiæ & solitudinis amantissimus, sed & Ecclesiasticæ disciplinæ defensor vigilantissimus, maximè contra Simoniacos, & incontinentes Clericos, necnon & contra consanguineis nubentes Laicos; qui tandem vitæ arctioris & secretioris amore, magni Gregorii Nazianzeni Præsulis exemplo, Ostiensi Episcopatu dimisso, & Cardinalitia deposita purpura, ad suam reversus est eremum, cujus facti charitativa increpatione reprehensus à summo Pontifice, ad tres sibi immediatè succedentes Romanos Pontifices, Apologeticos misit libellos, in quibus auctoritate, ratione & exemplo factum suum humiliter excusans, iratos eorum placavit animos, & in sancto perseverans eremi Faventinæ Cœnobio, Deo uni diu noctuque serviens, feliciter tandem obdormivit in Domino, anno 1072. die 23. Februarii, relictis piis, & egregiis suæ doctrinæ, pietatis, ingeniique monumentis.

Scripta sancti Petri Damiani.

Tres in tomos ita distributa, ut in 1. sint epist. libri octo, in 2. Serm. & aliquæ SS. vitæ, in 3. opuscula 60. quorum præcipua sunt illa.

Quæ tres in tomos ita distributa, typis mandari curavit Romæ Constantinus Caetanus, Ordinis sancti Benedicti, Cœnobii Catanensis Monachus, ut

Primus tomus includat Epistolarum libros octo; ita ut in primo libro sint Epistolæ ad summos Pontifices scriptæ. In secundo verò Epistolæ ad varios Cardinales variæ. In tertio Epistolæ ad Archiepiscopos datæ. In quarto Epistolæ ad Episcopos. In quinto Epistolæ ad Archipresbyteros & Clericos. In sexto Epistolæ ad Abbates & Monachos. In septimo Epistolæ ad sæculares Principes missæ; & in octavo denique reperiantur aliæ ad varios illustres alios, privatosque viros Epistolæ.

Secun-

Secundus verò tomus varios Sermones, variasque Sanctorum Historias, quales sunt Historiæ vitæ *S. Odilonis* Abbatis; vitæ *S. Romualdi* Abbatis & Congregationis Camaldulensis Fundatoris, Ordinis S. Benedicti; vitæ *S. Mauri* Episcopi Cæsenatis, Ordinis quoque S. Benedicti; vitæ *S. Rodulphi* Episcopi Eugubini, & vitæ *S. Dominici Loricati*, mensium ordine servato.

Tertius denique tomus sexaginta varia & præclara de variis argumentis opuscula, inter quæ reperiuntur ista præcipua.

Opuscula sancti Petri Damiani præcipua.

1. est ***de fide Catholica ad Ambrosium***, dilectum sanctæ spei filium, quo in opusculo, nedum de Trinitatis essentia, personarum distinctione, unitate substantiæ, Incarnatione Filii, ac Spiritus Sancti processione, sed & de B. Virginis Deiparæ incorrupta virginitate, ac de cæteris fidei Catholicæ mysteriis luculenter disserit, demonstrans quæ credenda sint, & Arii, Sabelliique paucis refellens hæresim. De fide Catholica ad Ambrosium.

2. est ***Antilogus contra Judæos, ad Honestum***, virum clarissimum, in quo ut confutet Judæos, SS. Trinitatis mysterium ex Scriptura probat, & Christum seu Messiam jam venisse, verumque fuisse Deum & hominem affirmat. Antilogus contra Judæos.

3. est ***Dialogus inter Judæum requirentem, & Christianum econtrà respondentem, ad eumdem***; quo in libello, Judæorum pertinaciam vehementiùs arguens, respondet meritò à Christianis omitti Mosaica legalia, licèt Christus non legem solvere, sed adimplere venerit, quia hæc erant dumtaxat futurorum præsagia, ac proinde in Christo desiisse omnia. Dialogus inter Judæum, & Christianum.

4. est ***Disceptatio Synodalis*** inter Regis advocatum, & Romanæ Ecclesiæ defensorem; quo in opusculo inter se altercari finguntur Romanæ Ecclesiæ defensor, & Henrici Regis Advocatus; inde sumpta altercationis causa, quòd cùm prava hæc invaluisset consuetudo, ut Romanus Pontifex eligi non posset, nisi prævio Imperatoris assensu, & his temporibus electus esset Pontifex, dum puer esset adhuc Imperator Henricus III. & sub tutela constitutus, ac proinde nec illius expetitus ad electionem assensus, idque in crimen vocarent Henrici Legati, hac in disceptatione refellitur quidquid pro his contra Romanam Ecclesiam Regius opponit Advocatus. Disceptatio Synodalis.

5. opusculum est ***Actus Mediolani***, de privilegio Romanæ Ecclesiæ, ad ***Hildebrandum*** S. R. E. Cardinalem Archidiaconum; quo in libello breviter narrat ea, quæ sibi Mediolani Legatum agenti contigere, dum contra Clericos Nicolaitas & Simoniacos, non minùs quàm Romanæ Ecclesiæ juris defensor esset. Actus Mediolani.

6. est liber ille, qui appellatur ***Gratissimus***, ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem; cùm quadriennio agitata de Clericis per Simoniacos Episcopos ordinatis controversia, tunc temporis in Episcoporum Concilio moveretur definienda, asserentibus nonnullis illos iterùm esse ordinandos, idipsum negantibus aliis, ad Henricum Ravennatem, hunc Petrus Damianus scripsit libellum, quo rationibus, & SS. PP. auctoritatibus luculenter probat, ordinatos ab Episcopis consecratis, quantumvis Simoniacis, non esse iterùm ordinandos: unde ***Gratissimus*** dictus fuit liber iste, Liber Gratissimus.

quia

quia benevolè acceptus, imò acceptissimus ob sublatos scrupulos, vel ut placet aliis, quòd de illis ageret, qui gratis fuerant à Simoniacis Episcopis ordinati.

Gomorrhianus. 7. est liber *Gomorrhianus*, ad Leonem IX. Romanum Pontificem; in quo nefandum & detestabile crimen deplorat, quo se fœdè & obscœnè maculabant sui temporis viri, etiam Deo sacri, quos idcircò tanquam indignos, à sacris amovendos Ordinibus probat, rogatque Leonem summum Pontificem, ut tam fœdè peccantes reprimat, & abigat.

De parentelæ gradibus. 8. est *de parentelæ gradibus, ad Joannem Episcopum Cæsenatensem*. Invehitur hoc in opusculo contra Juris Civilis peritos, qui consanguinitatis gradus ex latere descendentium lege divina & canonica in quarta generatione constitutos, perperam & ineptè enumerabant, & inde consequenter asserebant, inter pronepotes licitè contrahi posse conjugia, quod absurdum, & Ecclesiæ traditioni contrarium esse probat.

De Eleemosyna. 9. est libellus *de Eleemosyna, ad Maynardum Episcopum Urbinatem*, in quo mirum in modum, alias inter virtutes, eleemosynam commendat & laudat.

De horis Canonicis. 10. est *de horis Canonicis*, ad virum quemdam clarissimum, in quo horarum Canonicarum originem, & mysteria declarat, utilitatem commendat, & ne negligantur cujuscumque alterius negotii prætextu, eumdem ad quem scribit, exorat.

Dominus vobiscum. 11. est liber ille, qui appellatur, *Dominus vobiscum*, ad Leonem Eremitam; quo in libello consulit Beatus Petrus Damianus *Leonem*, miræ sanctitatis Eremitam, & quærit an is qui solus in cella officium recitat, particulas illas *Dominus vobiscum*, & *Jube domne benedicere*, debeat omittere, ut nonnullis videbatur; ipse interim licèt non omittendas esse sentiens, & multipliciter probans, ad ejus tamen recurrit judicium.

Apologeticus de contemptu sæculi. 12. est *Apologeticum de contemptu sæculi*, ad Albizonem Eremitam, & Petrum Monachum; quo in libello miserabilem sui temporis Religionis statum quotidie in deterius prolabentem, ob monasticæ disciplinæ contemptum, deplorat, & invehitur in Monachos, qui mundo, mundique rebus semel valere jussis, se mundanis iterùm implicant negotiis, vanisque sæculi distrahuntur curis.

De perfectione Monachorum. 13. est *de perfectione Monachorum*, ad quemdam Abbatem Pomposianum, ejusque Conventum. Post deploratos in præcedenti libello corruptos Monachorum mores, eosdem hoc in opusculo ad perfectionem saluberrimis informat præceptis.

De Ordine Eremitarum. 14. est *de Ordine Eremitarum*, & facultatibus Eremi fontis Avellani; in quo regulas, mores & instituta vivendi Eremitarum fontis Avellani describit, & posteris in exemplum & imitationem exponit.

De suæ Congregationis institutis. 15. *De suæ Congregationis institutis ad Stephanum Monachum*; qui cùm è Cœnobio ad eremum migrasset, & vitæ eremiticæ præcepta cuperet, ei, eremitarum quibus ipse præerat, regulas & instituta vivendi describit, salutaria interim miscens monita ad diabolicas superandas insidias, & aspera quæque toleranda.

Invectio in Episcopum revocantem Monachos ad sæculum. 16. est *Rhetoricæ declamationis invectio in Episcopum, Monachos ad sæculum revocantem*; cùm enim Episcopus quidam ausus fuisset asserere, Monachum Religionis habitum semel susceptum, ob ægritudinem, aliasve causas posse deserere, id impium, sacrisque Canonibus contrarium esse probat.

17. est

17. est *de cælibatu Sacerdotum, ad Nicolaum II.* Romanum Pontificem; quo in opusculo publicam Ecclesiasticorum lasciviam, & petulantem vitæ licentiam frænandam, egregio *Phinees* exemplo demonstrat, & in fornicarios Sacerdotes, & Episcopos acriter invectus, summum Pontificem Nicolaum hortatur, ut in hujusmodi fornicarios canonicum exerat vigorem, & ne connivendo, aut dissimulando grassanti luxuriæ fræna laxet; atque ne cor ejus segnis *Heli* torpor emolliat, sed potiùs ad sceleris ultionem ingenui *Phinees* zelus accendat, qui coeuntem cum Madianitide Israelitam coram omni multitudine, in locis genitalibus arrepto pugione transfodit, ut habetur ex lib. Num. cap. 25. vers. 8. De cœlibatu Sacerdotum.

18. est *contra intemperantes Clericos*: tribus aliis B. Petri Damiani de eodem argumento dissertationibus contextus est iste libellus, quo impudicam Clericorum vitam multis capitibus arguit, & Petrum virum insignem Cardinalem hortatur, ut talium hominum genus, armatus Scripturæ telis oppugnet, & Divini Verbi pugione transfigat. Contra intemperantes Clericos.

19. *De abdicatione Episcopatus*, ad Nicolaum II. Rom. Pontificem; hoc in opusculo, seu libello summum Pontificem Nicolaum II. humiliter obsecrat, ut sibi Episcopatus onus deponendi licentiam indulgeat; causas præcipuas suæ supplicationis assignans, quòd jam senior sit, ac proinde Episcopalibus ineptus laboribus; quòd non spontè, sed coactè fuerit promotus; quòdque peccator sit, ac proinde indignus in tam excelso sedendi honoris dignitatisque solio. Episcopatum autem ex causa licitè dimitti posse multis probat sanctorum Episcoporum auctoritatibus & exemplis, quos inter numerantur qui hìc subjiciuntur sequentes isti, videlicet, De abdicatione Episcopatus.

Varia sese abdicantium Episcoporum exempla. Varia narrantur sese abdicantium exempla.

1. *Valerius* Hipponensis, qui sibi in successorem, magnum Augustinum Hipponensi Ecclesiæ inthronizavit Antistitem.

2. *Lucidus Ficoclensis* Episcopus; qui dum sibi propinquum imminere cognovit obitum, ad cœnobialis Ordinis portum convolavit, & sacerdotalis infulas dignitatis, monachicis mutavit induviis, cuique ante mortem B. Andreas Apostolus apparuit, & qua hora migraturus esset è corpore, nuntiavit.

3. *B. Adelbertus Bononiensis*, qui nimirum, quoniam Bononiensis Ecclesiæ postposuit Cathedram, Monachum induens, triumphalem Martyrii meruit invenire coronam.

4. *Genebaldus Laudunensis*, qui Episcopatu dimisso, & ab Angelo ad Episcopatum redire jussus, recusat, donec admonente eodem Angelo, Beatus advenit sub celeritate Remigius.

5. *Laurentius Sabiniensis*, qui solium Pontificale deseruit, & Farfense Monasterium spreta sacerdotali dignitate construxit. Quàm nobilis in Christo vir fuerit, testis est antiqua traditio, quæ sanctitatis ejus insignia celebrat; testis moderna devotio, quæ piam ejus memoriam in benedictione frequentat.

6. *S. Bonitus* Arvernorum Episcopus, qui relicta suæ Ecclesiæ cathedra, quia de manu Regis tradita, ad remotioris vitæ custodiam se contulit.

7. *Venerabilis Gaudentius Apsarensis*, qui demisso Episcopatu de Sclavonico Regno navigans, littoribus Anconitanæ urbis applicuit, & in qua non longè post biennium feliciter obiit.

8. *Paulinus Nolanæ Præsul Ecclesiæ*, qui, ut quærenti filium viduæ subveniret, ministerium Pontificale deposuit, seque tyranno cuidam tanquam vile mancipium subjugavit.

9. *Martyrius Antiochenus Episcopus*, qui ob diffidentis inobedientiam populi, cathedram dimisit.

10. *Justus Lugdunensis*, vir re & nomine justus; qui commissum sibi Pontificatus officium & laudabiliter rexit, & non sine laude deseruit, ut in Ægypti partibus postmodum eremiticam vitam ageret.

11. *Petrus Archiepiscopus Ravennatum*, cui post dimissam Ravennatum Ecclesiam, adhuc superstiti successit *Honestus*, Imperii habenas *Otthone* primo regente.

12. *Insignis Gregorius Nazianzenus*, qui sub religioso & catholico Principe Theodosio, Constantinopolitanam spontè dimisit Ecclesiam, & ejus in locum substitutus ab Imperatore & Synodo *Nectarius*.

13. *Caprearum Episcopus*, qui post visum Benedictum VIII. Rom. Pontificem, qui jam obierat anno 1024. nigro quasi insidentem equo, & dicentem sibi, se gravibus tormentis affici, spe tamen de sua recuperatione non privari, si auxilium præbeatur, rogantemque ea de causa, ut ad Joannem XIX. fratrem, successoremque suum accurrat, eique denuntiet, ut certam pecuniæ summam in tali theca reconditam, pro se pauperibus distribuat; quibus auditis, & ad Joannem defuncti fratrem nuntiatis, Caprearum Episcopatus onus abjecit, Monachum induit, sicque salutem sibi ex aliena calamitate providit.

14. *Silvanus Philippopolensis Episcopus*, vir morum sanctitate, & miraculorum virtute clarus, qui tribus annis in Thracia degens, nec frigora ferre valens, Philippopolensem dimisit cathedram, post humiliter rogatum Atticum, ut alium, hunc in locum, substitueret Episcopum; ipse interim Constantinopoli monasticam ducens vitam, donec posteà ad instantes Trojanorum preces, Trojanæ vacanti præfectus est Ecclesiæ.

15. *Milesius Episcopus, & Martyr*; qui cùm in civitate Persica Episcopus esset ordinatus, nullique illic suadere posset, ut Christianus fieret, graviter ferens maledixit civitati, & exinde discessit solam circumferens peram, cum sacro Euangeliorum codice pergens Jerosolymam, & inde in Ægyptum, ut videret Monachos.

16. *Arnulphus Metensis Episcopus*, Pipini pater, & Caroli Magni avus, qui cùm à mundi pompis ad eremum, & ex eremo ad Metensem divina dispensatione provectus esset Episcopatum, eligens tandem sibi successorem, rursùs eremum petiit, ibique pastorali deposita cura, feliciter obiit.

17. *Farnulphus Cisternensis Episcopus*, quem vix à quindecim diebus se vidisse dicit Petrus Damianus, qui sponte sua Episcopalis regiminis administratione nudatus, duobus ferreis præcinctus circulis, crebris jejuniis corpus suum jam à septennio macerabat.

18. *Hildulphus Trevirensis Archiepiscopus*, qui consecrato sibi successore, & constructo Monasterio, Episcopatum vitæ monasticæ postposuit; nec tamen inde reatus maculam incurrit, qui varia per miracula claruit.

19. *Deo-*

19. ***Deodatus ejusdem Ecclesiæ Trevirensis Archipræsul***, qui à Girbaldo sanctissimo *Leuchæ* civitatis Episcopo, in saltu Vosagi locum obtinuit, in quo renuntians sæculo laudabiliter conversatus, Monasteria construxit; & tandem post diutinam in Christi agone militiam, vitæ Senatum laureatus intravit.

20. ***Gondebertus Senonum Archiepiscopus***, qui planè cœlesti æstuans desiderio, commissam dimisit Ecclesiam, & in loco qui Grandiavium dicitur, Senonense construxit Cœnobium, quod scilicet ex relictæ Ecclesiæ vocabulo nominavit.

21. ***Lambertus Florentinus Episcopus***, qui spreto Pontificatus officio, monasticæ se disciplinæ subjecit.

22. ***B. Nonus Episcopus, & Martyr***; qui post triginta Saracenorum millia ad Christi fidem efficacissima prædicatione conversos, post beatam quoque Pelagiam de lupanaribus ad Ecclesiæ pudicitiam revocatam, post denique nonnullos sanctarum expositionum libros luculenter explicitos, tandem Episcopatum deseruit, de Antiochenis partibus unde erat oriundus abscessit, Romanos fines appetiit, ubi à Vulpio tyranno in foveam juxta Tiberim aquis mergi jussus, obiit Martyrii laurea donatus.

23. ***Pennensis Episcopus***, qui temporibus Petri Damiani, sponte quoque Pontificalem deseruit cathedram, seque successori sincera admodum devotione substravit.

24. ***Liutulphus Calensis Episcopus***, qui eodem Petri Damiani tempore, Episcopali pariter se dignitate dejecit, ut sic liberiùs quidquid deliquerat, pœnitendo plangeret.

Post illos bis duodenos enumeratos Antistites sanctos, qui divini amoris igne ferventes, ab Ecclesiastica decreverunt administratione desistere, aliisque nonnullis cursim memoratis, sic concludit Petrus noster: ***Horum igitur aliorumque Patrum auctoritate suffultus, Episcopatui simul & Monasteriis, in sanctis manibus vestris irretractabiliter abrenuntio, omneque jus à me movendæ in posterum quæstionis ac repetitionis abscindo, &c.***

20. Opusculum, est *Apologeticus liber, ob dimissum Episcopatum*, in quo excusat se apud Rom. Pontificem, quòd tenuitatis suæ sibi conscius, Episcopatu se abdicavit; idque licitum esse probat iterùm multorum Sanctorum exemplis. Apologia ob dimissum Episcopatum.

21. *De fuga Dignitatum Ecclesiasticarum*, in quo Abbatem quemdam qui Abbatis dignitate se abdicarat, vehementer commendat, quòdque misera sit animarum rectorum conditio, & quàm facilè discatur ars præsidendi, sed difficilè impleatur, ostendit. De fuga Dignitatum.

22. *Contra Clericos Aulicos, ut ad Dignitates provehantur*; in quo in eos invehitur Clericos, qui se sæcularium Principum famulatui tradunt, ut Ecclesiasticas sibi comparent Dignitates. Contra Clericos Aulicos.

23. *De brevitate vitæ Pontificum Romanorum*, & divina providentia. Alexandro II. summo Pontifici è Mantuano Patrum Conventu redeunti, hunc obvium transmittit libellum, in quo ei sciscitanti rationem reddit, cur Romanorum Pontificum vita ut plurimùm sit brevis: miratur insuper divinam providentiam ob tot in genus humanum collata bona. De brevitate vitæ Pontific. Rom.

Contra Regulares proprietarios. 24. *Contra Clericos Regulares proprietarios*; quo in libello in eos invehitur Regulares Clericos, qui licèt in communi alerentur de Ecclesiæ fructibus, privatim tamen propria retinebant bona.

De Dignitate Sacerdotali. 25. *De Dignitate Sacerdotali*; in quo libello, in eo totus est, ut, quanta sit Sacerdotii Dignitas, ostendat, quantave sit optanda in Sacerdote vitæ sanctitas.

Contra Clericorum inscitiam. 26. *Contra Clericorum inscitiam & incuriam*; in quo carpens Sacerdotum incuriam, negligentiam & inscitiam, monet Episcopos, ne imperitos ad Sacerdotium promoveant, ostendens neminem peccare graviùs quàm Presbyterum imperitum & malum.

De communi vita Canonicorum. 27. *De communi vita Canonicorum*, ad Fanensis Ecclesiæ Canonicos; inter quos cùm esset orta dissensio, ita ut nonnulli in communi, alii privatim vivere vellent, scribit ad illos hoc opusculum Damianus, quo hortatur illos, ut omni contentione deposita, sequantur Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ morem, sicque tam re quàm nomine Canonici fieri contendant.

Apologeticus Monachorum. 28. *Apologeticus Monachorum*, adversùs Canonicos. Hoc in opusculo conqueruntur Monachi, quòd à totius Ecclesiæ cœtu fuerint per Canonicos exclusi, severèque arguunt quemdam, qui fuerat ausus asserere, Sacramenta à Monachis nullatenus esse ministranda.

De vili Ecclesiasticorum vestitu. 29. *De vili Ecclesiasticorum vestitu*; in quo Abbati cuidam Maynardo, pretiosis uti vestibus assueto, ostendit, quàm indecorum sit, Deoque exosum, viros Ecclesiasticos, præsertim Monachos, pretiosas & politas ambire vestes.

De Sacramentis per improbos administratis. 30. *De Sacramentis per improbos administratis*; in quo Florentinos cum suo diffidentes Episcopo, quòd illum de simonia suspectum haberent, nititur reconciliare, arguitque Monachos nonnullos ejusdem Episcopi communionem aversantes, & Sacramenta per illum administrata, invalida esse tenentes.

ARTICULUS XLI.

De pluribus Anselmis.

Licèt plures eodem ferè tempore claruerint celebres *Anselmi* nomine viri, quia tamen inter illos, veluti inter ignes luna minores, claruit in Gallia & Anglia *S. Anselmus* Cantuariæ Metropolis Episcopus, splendidum Angliæ Sidus, Ecclesiæ Doctor eximius ac Pater sanctissimus, ideò hìc de illo primùm fusiùs & ex professo, de cæteris verò posteà cursim & ex occasione, pauca dicemus, videlicet de *Lucensi*, *Laudunensi*, *Gemblacensi*, & *Remensi*.

De Anselmo Cantuariensi. 1109.

S. Anselmi Cantuariensis patria, parentes, professio, dotes, *Sanctus Anselmus* Augustæ prope Alpes in Italiæ Burgundiæque finibus, honestis parentibus ortus, liberalibus disciplinis à pueritia traditus, de salute sua cogitans, & monasticæ vitæ desiderio fervens, è vivis sublata matre, abscedens à patre, Alpesque transiliens in Galliam venit; ubi post aliquot annos in Normania, in Beccensi Cœnobio Ordinis S. Benedicti,

dicti, Monachi induit habitum anno Christi 1060. ætatis verò suæ 27. scilicet tempore quo Cœnobii præfati Prior erat *Lanfrancus*, & Abbas *Herluinus*, ibique triennio peracto uno, cùm Lanfrancus ex Priore Beccensi Cœnobii Cadomensis Abbas fuisset electus, sicut & posteà ex Abbate Beccensi, in Anglia Cantuariæ Metropolis Archipræsul, illi in Prioratu Beccensi successit Anselmus, anno Christi 1063. quo in officio, peracto quindecim annorum decursu, post *Herluinum* ibidem Abbas est electus, ac tandem in Anglia, *Lanfranco* morte rapto, ei per electionem, annuente Guillelmo II. Anglorum Rege, successit in Archiepiscopatu, anno Christi 1093. sub Urbano II. Rom. Pontifice. Claruit in Galliæ Beccensi cœnobio ut inferior, ut Prior, ut Abbas, vir ille mirabilis, mansuetus & affabilis; claruit & in Anglia Cantuariæ Metropolis Episcopus, hancque rexit Angliæ Metropolim summo cum zelo, magno cum labore, scripto, verbo & exemplo; tandemque decimo sexto sui Pontificatus anno, plenus meritis, & clarus miraculis feliciter obiit, anno Christi 1109. ætatis verò suæ 76. post varia subtiliter edita librorum volumina, quæ omnia recenset *Eadmerus*, ejus vitæ fidelis historicus, vir natione Anglus, Ordinis Benedictini Monachus, Anselmi discipulus, ac comes familiaris & individuus; & quorum editiones diversis temporibus prodiere variæ, videlicet Coloniensis una, anno 1573. Lugdunensis altera, Theophili Reynaudi Jesuitæ cura, anno 1630. & ita quatuor in partes sicut & Coloniensis digesta, ut 1. contineat Anselmi opuscula *Didactica*, 2. *Ascetica*, 3. *Parænetica*, & 4. ea quæ sunt apertè *notha*. *Parisiensis* ultima, studio & opera P. Gerberonii Ord. Benedict. è Congreg. S. Mauri Monachi, anno 1675. in qua quatuor in partes pariter distributa, ita exhibentur singula S. Anselmi Cantuariensis opera, ut 1. pars exhibeat dogmatica, Philosophica & Theologica, 2. Exhortationes ac homilias, 3. Ascetica, sive spiritualia opuscula, & 4. denique epistolarum libros quatuor. Hanc & alias consulet quisquis singula S. Anselmi diligentiùs inquiret opuscula, quorum interim hic, pro his quibus deest librorum copia, designantur præcipua, genuina primò, deinde supposititia. obitus, & scripta, quæ sunt.

Genuina & indubitata sancti Anselmi Cantuariensis opera.

1. *Monologium*, hoc est, libellus unus, quem S. Anselmus Beccensis Prior à fratribus rogatus conscripsit, velut exemplum meditandi de ratione fidei, seu de iis quæ vera fides de Deo sentit, quemque teste Eadmero lib. 1. vitæ ejus, *Monologium*, hoc est Soliloquium appellavit, & meritò; *Solus enim in eo secum loquitur, ac tacita omni auctoritate Scripturæ, quid Deus sit, sic nec aliter esse poße probat & astruit.* Monologium.

2. *Prosologium*, hoc est, libellus alius parvus quidem, sed sententiarum pondere gravis ac magnus, quem *Prosologium*, hoc est, Alloquium nominavit, & rectè; in eo enim non se ipsum alloquitur, sed Deum in persona conantis erigere mentem ad contemplandum Deum, & quærentis intelligere quod credit: secum siquidem investigat, inquit Guillelmus Gemmeticensis lib. 6. hist. Normanorum cap. 9. *Utrùm uno solo & brevi argumento probari poßet id quod de Deo creditur & prædicatur, videlicet quòd sit æternus, incommutabilis, omnipotens, ubique totus, incomprehensibilis, justus, misericors, verax,* Prosologium.

veritas, bonitas, juſtitia, & nonnulla alia, & quomodo hæc omnia in ipſo unum ſint.

Pro inſipiente & contra inſipientem libri 2.

3. *Libelli duo pro inſipiente & contra inſipientem* inſcripti, quorum unus eſt ab Anſelmo, & alter à reprehenſore Anſelmi, & ambo occaſione *Proſologii* conſcripti: cùm enim in ſuo Proſologio contra inſipientem dicentem in corde ſuo, Non eſſe Deum, Deum eſse probaſset Anſelmus, idque concluſiſset ex eo quòd ſit id, quo nihil majus excogitari poteſt; quod ut reprehenderet adverſarius, libellum edidit unum, quem *pro inſipiente* inſcripſit, & fini præfati operis appoſuit; quem libellum ſibi à quodam amico tranſmiſsum vidit *Anſelmus*; eique ut reſponderet, libellum edidit alterum, quem *contra inſipientem* inſcripſit, & ad ſuum amicum remiſit, in quo generatim reprehenſoris adverſarii refellitur ratiocinatio, & oſtenditur, id quo majus cogitari non poteſt, re ipſa eſse.

Dialogus de veritate.

4. *Dialogus de veritate*, ſeu tractatus, in quo, cùm Deum veritatem eſse credamus, & veritatem in multis aliis eſse dicamus, quærit in perſona diſcipuli interrogantis, & magiſtri reſpondentis, quid ſit veritas, & in quibus rebus dici ſoleat, quidve ſit juſtitia.

Dialogus de libero arbitrio.

5. *Dialogus de libero arbitrio*, in quo ſimiliter per interrogationem & reſponſionem quærit, quid ſit libertas arbitrii, & utrùm eam ſemper habeat homo, quotve ſint diverſitates ejus in habendo, vel non habendo rectitudinem voluntatis, ad quam ſervandam data eſt creaturæ rationali.

Dialogus de caſu diaboli.

6. *Dialogus de caſu diaboli*; in quo pariter interrogans & reſpondens, illam agitat quæſtionem, qua quæritur quid peccavit Diabolus, quia non ſtetit in veritate, cùm Deus ei perſeverantiam non dederit, quam niſi eo dante habere non potuit; quam ſi dediſſet Deus, habuiſſet ille, ſicut & boni Angeli qui ſteterant.

Diſputatio dialectica de Grãmatico.

7. *Dialogus*, ſeu diſputatio dialectica de Grammatico, in qua cum diſcipulo ſecum ad diſputandum introducto diſputans, dialecticas quæſtiones proponit multas, & ſolvit; quærens primò de Grammatico, an ſit ſubſtantia, vel qualitas, ut hoc cognito, de aliis quæ ſimiliter denominativè dicuntur qualitates, vel qualia, quid ſentiendum ſit, exponat.

Liber de fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi.

8. *Liber de Fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi*, Urbano II. Romano Pontifici dicatus, quem rogatus à fratribus ſcribere cœpit, dum adhuc in Becci monaſterio Abbas eſſet, ut refelleret Roſcelini Clerici tunc graſſantem hæreſim, qua ille tres in Deo perſonas aſſerebat eſſe, tres res ab invicem ſeparatim ſumptas, ſicut ſunt tres Angeli, tres animæ; alioquin ſi tres perſonæ eſſent una tantùm res, contendebat ſequi, Patrem & Spiritum Sanctum non minùs incarnatos eſſe, quàm Filium, ut refert ipſe S. Anſelmus in 1. cap. hujus libri, quem cœptum in Francia non perfecit, credens eo non ampliùs opus eſſe, quia ille Roſcelinus, contra quem fiebat, ſuum errorem abjuraverat in Remenſi Concilio per Reynaldum Archipræſulem convocato; ſed dum in Anglia ad Epiſcopatum promotus audivit præfatum auctorem in ſuo perſeverantem errore, dicere ſe non ob aliud abjuraſſe quod dicebat, niſi quia à populo interfici timebat, ideò ut quæſtionem ſolveret, librum hunc perfecit in Anglia, Cantuariæ Metropolis Epiſcopus.

9. Li-

9. ***Libri duo Cur Deus homo*** vulgò dicti, hoc est, opus illud duos in libros distinctum, quod S. Anselmus contra Gentiles in Anglia rogatus incœpit, & in Capuana provincia peregrinus perfecit; quodque ideò *Cur Deus homo* nominavit, quia in eo respondet quæstioni, qua ab infidelibus & Gentilibus vulgò pulsati fatigantur Christiani, & qua quæritur, ut ipse ait cap. 1. lib. 1. *Cur seu qua ratione, quave necessitate Deus homo factus est, & morte sua, sicut nos credimus, & confitemur, mundo vitam reddiderit, cùm hæc aut per aliam personam, sive per Angelicam, sive per humanam, aut sola voluntate facere potuerit.* Quam quæstionem hoc in opere duos in libros diviso ita resolvit, ut in 1. libro infidelium proponat objectiones in Christianam Religionem, & fidelium responsiones addat, & deinde remoto Christo, quasi numquam aliquid fuerit de illo, rationibus probat necessariis, nullum hominem sine illo salvari posse. In 2. pariter libro, quasi nihil sciatur de Christo, non minùs aperta ratione monstrat, naturam humanam ad hoc institutam esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est corpore & anima frueretur, ac necesse esse ut hoc fiat in homine propter quod factus est, sed non nisi per hominem Deum, atque ita ex necessitate omnia quæ de Christo credimus fieri oportere, ita ipsemet *Anselmus in Prolog.* Libri duo vulgò dicti, *Cur Deus homo.*

10. *Liber de processione Spiritus Sancti contra Græcos*, seu Tractatus, in quo eruditè probat contra Græcos, Spiritum Sanctum à Filio æquè ac à Patre procedere; idque ut rogatus ostendat, se ipsa Græcorum fide uti velle fatetur capite primo, dicens: *Quod postulant aggrediar, & Græcorum fide atque his, quæ credunt indubitanter & confidenter pro certissimis, ad reprobandum quod non credunt, utar.* Liber de processione Spiritus Sancti.

11. *Liber de Conceptu virginali, & de peccato Originali*; seu Tractatus in quo ut explicet quomodo Deus hominem, hoc est naturam humanam assumpserit de generis humani massa peccatrice sine peccato, primùm investigat, & explicat quid sit, in quo sit, & quomodo contrahatur originale peccatum, *quia de hoc solo nascitur hæc quæstio*, ut ipsemet ait capite primo. Liber de Conceptione virginali.

12. *Epistola ad Valerannum de tribus quæstionibus, ac præsertim de fermento & azymo*: cùm enim S. Anselmus de tribus quæstionibus interrogatus esset à Valeranno Nureburgensi Episcopo, quarum 1. erat de processione Spiritus Sancti, 2. de fermento & azymo, & 3. de cognatorum connubiis, hac in epistola ut satisfaciat, quoad primam quæstionem respondet, se jam librum scripsisse contra Græcos de processione Spiritus Sancti; deinde quoad secundam respondet refellens Græcorum errores de sacrificio cum pane fermentato; & tandem ad tertiam circa connubia versantem, breviter satisfacit & eruditè. Epistola ad Valerannum de tribus quæstionibus.

13. *Epistola ad eumdem altera, de diversitate Sacramentorum.* Scripserat Valerannus Anselmo conquerens de diversitate cæremoniarum, quæ circa Sacramenta solent in Ecclesia servari, seu quòd Sacramenta non uno modo ubique fiant, sed diverso diversis in locis tractari soleant; cui hac in epistola respondet Anselmus, dicens cap. 1. *Bonum quidem ac laudabile fore, si per universam Ecclesiam uno modo concorditer celebrarentur Sacramenta; quoniam tamen multæ sunt diversitates, quæ non in summa Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt, æstimo eas potiùs in pace concorditer* Altera ad eumdem de diversitate Sacramentorum.

tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas; habemus enim à Sanctis Patribus, quia si unitas servatur Charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.

Liber de concordia præscientiæ, & præd. & gratiæ cum libero arbitrio. 14. *Liber de concordia præscientiæ, & prædestinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio*, in quo tria illa præscientiam, prædestinationem, & gratiam, quæ libero videntur repugnare arbitrio, cum eo rectè cohærere probat.

Liber meditationum aliquot. 15. *Liber meditationum* aliquot, quas dum adhuc Beccensis cœnobii Prior esset, à suis rogatus amicis edidit Anselmus, ad excitandam legentis mentem ad Dei amorem vel timorem.

Epistolarū libri tres. 16. *Epistolarum libri tres*, ita digesti ut 1. eas contineat epistolas quas scripsit nondum Abbas, 2. eas quas scripsit cœnobii Beccensis Abbas, & 3. eas quas dedit Cantuariensis Archipræsul. Monachus enim vixit per 33. annos, ut ipse ad suos Beccenses scribit epistola septima libri primi; tribus scilicet annis vixit absque prælatione, quindecim ut Prior, & quindecim ut Abbas, & ex Abbate Cantuariensis Archipræsul 16. per annos duravit. Plures alias Anselmi epistolas refert in sua editione præfatus Gerberonius, è quibus, & ex præfatis quatuor contexuit libros.

Supposititia vel dubia sancti Anselmi Cantuariensis opuscula.

Liber de similitudinibus. 1. *Liber de similitudinibus*, quem non esse Anselmi, sed ab aliquo Anselmi discipulo, ex ejus dictis conscriptum, colligit *Theoph. Reynaudus*, ex eo quòd cap. 186. illarum similitudinum collector vocat Anselmum, *Sanctum Patrem*, & cap. 188. vocat illum *Patrem nostrum*; quod sanè de se ipso non dixisset Anselmus, si libri hujus auctor esset; unde videtur exploratum aliquem Anselmi discipulum, puta Eadmerum, has similitudines ex ore dicentis Anselmi in librum unum collegisse, librumque illum inscripsisse, seu nominasse librum de similitudinibus Anselmi, hoc est, de iis similitudinibus quibus uti solebat Anselmus.

Liber de mensuratione crucis. 2. *Liber de mensuratione crucis*, qui pariter Anselmi esse nequit; idque ex hoc manifestè patet, quòd cap. 5. citetur S. Bernardus, dicens: *Quantò benigniùs de illo, tantò indigniùs de me sentire cogor*; at S. Bernardus S. Anselmo posterior erat: Anselmus enim obiit anno Christi 1109. Bernardus verò Cisterciensem non est ingressus Ordinem, nisi anno Christi 1113. & ætatis suæ 22. ut ex Baronio constat, & ex aliis: quomodo ergo testimonium ex libris S. Bernardi depromptum citare potuisset Anselmus? Cùm nihil adhuc scripsisset S. Bernardus, nec scripserit, nisi longè post Anselmi ex hac vita discessum.

Liber de passione Domini. 3. *Liber de passione Domini*, seu dialogus B. Anselmi cum B. Maria Virgine de passione Domini, qui supposititius manifestè patet, tum quia de eo silet Eadmerus, tum quia in initio auctor se alium ab Anselmo prodit, dum citat Anselmum, & Beatum illum vocat, dicens: *Beatus Anselmus Episcopus longo tempore jejuniis, lacrymis & orationibus gloriosam Virginem exorabat*; quod sanè de se ipso non dixisset Anselmus, si hujus libri auctor esset; tum denique quòd fabulosa multa & Anselmi judicio indigna continet iste liber, quale est illud quod cap. 1. asseritur, 30. argenteos, quibus venditus fuit Christus, fuisse Ismaeliticos, illosque ipsos quibus Joseph fuit venditus olim, quos hæreditaria successione ad Judæos illos, qui Christum vendidere, devenisse narrat.

4. *Li-*

4. *Liber de vestimentis, & membris & actibus Deo attributis*, qui pariter non videtur Anselmi esse, cùm stylum Anselmi non sapiat, & insuper extet apud Augustinum tom. 4. sub titulo *de essentia divinitatis*, & apud Hieronymum tom. 9. epistola 15. sub hoc titulo, *Epistola de iis quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur*, quamvis in paucis differant. Sunt qui illum S. Eucherii Lugdunensis esse putant, ex eo quòd librum scripserit de formulis spiritualis intelligentiæ.

Liber de vestimentis, membris, & actibus Deo attributis.

5. *Elucidarium*, sive dialogus summam totius Christianæ Theologiæ breviter complectens, qui Anselmi pariter non est, cùm nec stylum sapiat Anselmi, nec judicium; & insuper opus illud Honorio Augustodunensi Trithemius adscribat, illudque sua inter opera recenseat ipse Augustodunensis Honorius.

Elucidarium.

6. *Libri duo de imagine mundi*, seu opus duos in libros divisum, & ad instructionem multorum, quibus deest copia librorum, editum, cujus titulus est, De imagine mundi, quia in eo velut in speculo totius orbis conspicitur dispositio: sed hoc opus Anselmi non est, sed Honorii Augustodunensis, juxta Trithemium & Aub. Miræum, imò & juxta ipsum Honorium Augustodunensem, qui illud inter sua recenset opera.

Libri 2. de imagine mundi.

7. *Liber de Conceptione B. Mariæ Virginis*, seu Tractatus de Conceptu passivo B. Mariæ Virg. in quo passivam B. Mariæ Virginis Deiparæ Conceptionem purissimam, nitidissimam & ab omni Originalis peccati labe mundam fuisse disertè probat; unde sicut in libro de Conceptu Virginali activo, Christi Conceptio purissima, & ab omni prorsus peccati labe immunis probatur, ita in isto libro de Conceptione B. Mariæ Virginis passiva, Conceptio B. Mariæ Virginis Deiparæ passiva, purissima & ab omni Originalis peccati labe præservata demonstratur: sed proh dolor! librum istum non integrum sed mutilum esse, seque fragmenta ejus dumtaxat exhibere, in sua Lugdunensi editione, fatetur Theophilus Reynaudus, illumque librum ut dubium Anselmi fœtum supponit Baronius, in notis ad Martyr. Rom. sexto idus Decemb. de illo dicens: *S. Anselmus de Conceptione Virginis Commentarium scripsiße fertur, sed an ejus sit, à multis meritò ducitur in controversiam, cùm habeat multa quæ eidem auctori repugnant, &c.* Imò illum eumdem ut supposititium Anselmi librum multiplici ratione probat R. P. *Gerberonius* Ord. Benedictini Monachus, in sua Parisiensi S. Anselmi operum editione nova; tum quia non reperiuntur in pluribus operum *S. Anselmi* manuscriptis, tum quia repugnat Doctrinæ ab Anselmo traditæ lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. & 17.

Liber de Conceptione B. Mariæ Virg.

8. *Epistola de Conceptione B. Mariæ*, quæ circumfertur, & S. Anselmo tribuitur, supposititia pariter, & S. Anselmo falsò tributa judicatur, & multipliciter probatur ab eodem R. P. *Gerberonio*, & aliis; verùm quidquid fuerit, sive de libro de Conceptu B. Mariæ Virginis passivo, sive de epistola ista de eadem Conceptione B. Mariæ; nihil dici poterit, quod nos dimoveat ab opinione pia de Conceptione B. Virginis immaculata, cujus festum tam religiosè sancta celebrat Ecclesia, nihil quod nos impediat ne dicamus cum hujus de Conceptione B. Mariæ libri auctore (quisquis fuerit) cap. 9. sic loquente: *De Domina nostra, quam in tantum culmen prædestinavit & extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad*

Epistola de Conceptione B. Mariæ.

mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis Dei misericordia, dicere morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in suo conceptu prægravari, ut taceam interim ipsas quas commemoravi rationes, animus evitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Nihil est, inquam, quod nos dimoveat à pia illa opinione de Conceptione B. Virginis Mariæ immaculata, cujus festi institutionem Anselmo nostro tribuit Londinensis Synodus, habita anno 1328. quamvis hoc ita sensisse Synodum illam, putent alii, ex persuasione falsorum scriptorum, quæ sub Anselmi nomine circumferebantur.

Sunt & alia nonnulla minùs præcipua B. Anselmo tributa opuscula supposititia vel dubia, qualia sunt v. g. passio SS. *Guigneri*, sive *Fingaris*, *Pialæ* & sociorum, quam Anselmi non esse tenent communiter omnes. *Disputatio Judæi cum Christiano*, quæ Gisleberti Abbatis Vvestmonsteriensis esse creditur. *Libellus de voluntate Dei*, qui pariter dubius est Anselmi fœtus, cùm de eo sileat Eadmerus, vitæ Anselmi & operum Historicus, sileantque de eo cæteri, qui operum S. Anselmi texuere Catalogum; & alia nonnulla, quæ videre quisque poterit in editione operum S. Anselmi omnium accuratissima, studio & opera D. Gerberonii Benedictini Monachi, luci publicæ data anno 1676.

De Anselmo Lucensi. 1086.

Anselmus Lucensis vir origine Mantuanus, dignitate Lucensis Episcopus, qui ea in Sede successit *Alexandro II.* ad Romanum Pontificatum evecto, anno 1061. quique dolens de investitura ab Henrico IV. Imperatore suscepta, ut facti culpam expiaret, se sponte in Monasterium reclusit: Sed paulò pòst à *Gregorio VII.* Alexandri II. in Cathedra Petri successore, ad suam Sedem Lucensem redire passus statim obediens rediit, ibique sibi creditum assiduè verbo & exemplo pascendo gregem, opus edidit eximium duos in libros divisum contra Guibertum, seu Gilbertum Antipapam sub nomine Clementis III. Gregorio VII. Legitimo Pontifici contrarium; habeturque opus illud in Bibliotheca Patrum.

Varias insuper ad varios scripsit epistolas; imò & collectanea quædam de Scriptoribus variis, in quibus, Principes sæculares in Ecclesiæ bona jus nullum habere ostendit, qua de re tunc celebris erat quæstio multùm agitata. Varias denique Legationes Apostolicas dignè implevit Anselmus Lucensis sub eodem Gregorio VII. obiitque tandem sanctissimè anno Christi 1086. cujus Corpus Mantuæ sepultum dicitur adhuc integrum. Vide *Sigibertum*, *Trithemium*, *Baronium*, *Bellarminum*, *Miræum*, &c.

De Anselmo Laudunensi. 1117.

Laudunensis scripsit interlinearem sacræ Scripturæ Glossam.

Anselmus alius Laudunensis ideò nuncupatus, quia Laudunensis Ecclesiæ in Gallia Canonicus & Decanus, Anselmi Cantuariensis æqualis, vir in literatura sui temporis nulli secundus, morum honestate & consilii maturitate venerabilis, cujus spiritum à Deo datum, ne perirent Scripturæ, fertur olim dixisse Pontifex maximus *Eugenius III.* Scripsit enim

inter

inter alia, *Interlinearem sacræ Scripturæ glossam, quæ extat cum ordinaria Strabonis glossa, & morali expositione Lirani.* Fertur & ea scripsisse in Cantica & in Apocalypsim Commentaria, quæ reperiuntur inter S. Anselmi Cantuariensis opera, imò & in Psalterium Davidicum, si credamus Trithemio, tandemque obiisse anno ab Orbe redempto 1117. & jacere in Laudunensi sancti Vincentii Basilica.

De Anselmo Gemblacensi. 1137.

Floruit iisdem ferè temporibus Anselmus alius, Gemblacensis Abbatiæ in Brabantia, Ord. Benedictini Monachus, & ejusdem Abbatiæ post Sigibertum Abbas clarissimus, vir debilis corpore, sed mente validus, patientia, pietate, & eruditione clarus, qui Sigiberti continuavit Chronicon, ab anno 1112. usque ad annum 1137. quo anno, vel proximè sequenti, obiisse creditur & ipse.

Gemblacensis continuavit Sigiberti Chronicon.

De Anselmo Remensi. 1050.

Ante istos claruit & Anselmus alter, undecimo vivens sæculo, Abbatiæ S. Remigii Remensis, Ordinis Benedictini Monachus, unde Remensis dictus, qui scripsit *Diarium* itineris, & transitus Leonis IX. Romani Pontificis in Galliam; venit enim summus ille Pontifex Coloniam, deinde Aquisgranum, Lodium, Remos, Metas, & Moguntium, variaque celebravit Concilia, quæ omnia hìc suo in *Diario* notavit Anselmus. Vide *Sigibertum de Script. Eccles. & Possevinum in Appar.*

Remensis scripsit Diarium Leonis IX. Rom. Pontificis.

ARTICULUS XLII.

De sancto Bernardo. 1153.

S*Anctus Bernardus,* natione Gallus, patria Fontanus, quia *Fontanis* in Burgundia claris parentibus ortus, patre nimirum *Tescelino Soro* Domino de Fontanis, & *Aletha* matre, Bernardi Montis Barrensis Domini filia, Cisterciensem ingressus est Ordinem sub *Stephano* Abbate, anno Christi 1113. & ætatis suæ circiter vigesimo tertio, ac deinde annos viginti & quatuor agens, monasterii Claræ-Vallensis recenter erecti destinatus Abbas primus: floruit ex eo tempore, Abbate Claræ-Vallensi Bernardo, & mirum in modum propagatus est Ordo Cisterciensis (cui non multis ab annis, hoc est, anno Christi 1098. initium dederat *Robertus*, Ordinis Benedictini Molismensis Abbas, ut constat ex Chronologia Bernardina, & chronologici confirmant versus isti:

S. Bernardi patria, parentes, professio, dotes, gesta, obitus, & scripta, qualia.

Anno milleno centeno bis minùs uno,
Sub Patre Roberto capit Cistercius Ordo.)

Nec mirum: fuit enim *S. Bernardus* vir mirabilis, ingenio præditus sublimi, indole miti, dicendi facundia suávi, & ita suavi, ut fuerit à *Theoph. Reyn.* & post illum ab aliis, nedum apis Gallicana, sed & mellifluus Ecclesiæ Doctor vocatus; cujus stylus mellitus & pressus, oratio

vivax,

vivax, dictio propria, eloquia sancta, cogitatus sublimes, affectus pii, dicendi lepores spontè nati. Vir insuper verè Apostolicus, sermone potens & opere, totque miraculis clarus, ut meruerit à nonnullis *Thaumaturgus* Occidentalis Ecclesiæ dici, ab aliis ultimus Ecclesiæ Patrum vocari; ultimus quidem tempore pro tunc, sed meritò post *Augustinum* nulli secundus; cùm non minora pro Ecclesia gesserit, scripserit aut dixerit; cùm nulli fuerit aut sanctitas miraculis & factis illustrior, aut doctrina purior, aut modus tractandi divinior, vel in Ecclesia auctoritas major. Is enim est, qui Petrum Abailardum in Concilio Senonensi, Gilbertum Porretanum in Remensi convicit; qui Henricum non rectè sentientem confutavit, qui Ducem Aquitaniæ Guillelmum ad melioris vitæ frugem reduxit, & ex Schismatico Principe, Principem obsequentissimum Ecclesiæ fecit; qui ad Petri Leonis Schisma sedandum in Concilio Stampis coacto, anno 1130. & in altero Pisis habito, an. 1134. Innocentium II. maximè juvit, suaque auctoritate, ut tanquam verus ac legitimus Pontifex agnosceretur, effecit; qui Burdigalensem Ecclesiam tumultuantis populi factione turbatam, oratione, miraculis & eloquio pacavit; qui ad Principes, ad Reges, ad Imperatorem pro magnis & arduis Ecclesiæ negotiis missus, feliciter omnia peregit; quique licèt se *quercus* & *fagos* Magistros habuisse dixerit olim, Laicos tamen, Monachos, Clericos, Abbates, Episcopos, & ipsos quoque summos Ecclesiæ Pontifices in *Eugenio III.* suis scriptis edocuit, erudivit, informavit, & omnibus congrua sanctioris vitæ documenta præbuit; quique tot pro Deo & Ecclesia defunctus laboribus, cùm à media hiemis tempestate gravi morbo correptus, pacem nihilominus inter Metenses composuisset, in pace tandem quievit & ipse, die Augusti 20. anno Christi 1153. ætatis suæ 63. & monasticæ professionis quadragesimo, ut refert *Gaufri. in vita, & Mab. in Chron. Bernard.* Cujus scripta pietate & eruditione plena circumferuntur multa, sed inter illa, supposititia vel aliena inseruntur nonnulla. Genuina Bernardi scripta à Bellarmino lib. de Script. Eccl. censentur ea, quæ *Gaufridus* S. Bernardi discipulus & alumnus, ejusque vitæ scriptor Historicus recenset lib. 3. vitæ ipsius cap. ult. Hæc omnia sive genuina, sive aliena vel dubia ita recenset Mabillon in sua S. Bernardi operum editione nova, in duo volumina sic digesta, ut in 1. volumine 4. tomis distincto genuina referat, in altero volumine duos in tomos diviso, alia sive spuria sive dubia recenseat, S. Bernardo perperam adscripta. Hìc breviter tam genuina quàm aliena vel dubia designantur.

Præcipua & genuina S. Bernardi opera 4. prioribus tomis contenta.

In primo Tomo.

Epist. 44. inter quas, ad Robertum nepotem una in imbre sine imbre scripta.

1. *Epistolæ* 44. diversis temporibus ad diversos datæ; inter quas primo numeratur loco, ob grande miraculum, celebris illa S. Bernardi ad *Robertum*, suum ex sorore nepotem, epistola, extra claustrum prope Claramvallem in medio imbre & sine imbre scripta, qua S. Pater mira charitate, & affectu plus quàm paterno revocat juvenem illum Robertum consanguineum, qui vitæ forsan strictioris horrore, vel laxioris illecebra, aut blanditiis, vel subdolis aliorum susurris inductus, à Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat monachos.

In

In secundo Tomo.

2. *Libri quinque de Consideratione ad Eugenium III.* Romanum Pontificem, seu opus illud mirabile quinque in libros divisum, in quo S. Doctor *Eugenio III.* suo quondam discipulo, & Ordinis Cisterciensis Monacho, jam verò ad supremum Pontificatum evecto, congruas præscribit vivendi leges; docens quid præsertim ei suo in officio considerandum incumbat, eoque ordine, ut in 1. libro ei hujusce considerationis necessitatem ostendat & utilitatem. In 2. ei considerandum esse monstrat ea quæ sunt in ipso Pontifice, seu quid & qualis ipse sit. In 3. monet eum, ut ea consideret omnia, quæ sub se, vel infra se summus Pontifex habeat, orbem scilicet universum. In 4. ut ea quæ circa se ipsum habet, nimirum domesticos, Cardinales, Episcopos. In 5. denique ea eum considerare docet, quæ sunt supra se ipsum, Deum præsertim & Angelos: hæcque docens his in libris, compendiosè tradit quidquid sanctius in sacris litteris, vel Conciliis, in veterum Patrum scriptis, vel summorum Pontificum decretis præscribitur ad rectum & sanctum Ecclesiæ regimen. Libri 5. de Consideratione ad Eugenium III.

3. *Epistola ad Henricum Senonensem Archipræsulem, de moribus & officio Episcoporum*, seu Tractatus de componendis Episcoporum moribus; in quo ostendit S. Doctor arduum ac periculosum esse Episcopi munus, ideòque ei bonis opus esse consiliariis: docens insuper honorem dignitatis Ecclesiasticæ non in externo splendore, sed in morum, virtutumque decore consistere, & Præsulum ornamenta potissima esse, castitatem, charitatem, & humilitatem; curamque sinceræ fidei, & charitatis non fictæ Episcopo maximè necessariam; & ambitionem Ecclesiasticorum, beneficiorumque pluralitatem arguens, præter humilitatem, modestiam Episcopo commendat. Epistola ad Henricum Senonensem Archipræsulem.

4. *Sermo seu liber de Conversione ad Clericos*, hac occasione scriptus. Cùm circa Parisiorum fines transiret olim *S. Bernardus*, ut ad ipsam Civitatem diverteret rogatus ab Episcopo Stephano, cæterisque cum eo stantibus Parisiensibus Clericis, ad preces illorum urbem ingressus, hunc ad illos, ex more, de Conversione Sermonem habuit, gravem quidem ac patheticum, quo ostendit eis veræ Philosophiæ formam, monens eos de mundi contemptu seriùs cogitando, invehiturque contra Clericos, qui ambiunt Ecclesiæ dignitates, & temerè ad sacros Ordines properant: quo audito sermone, statim tres ex illis compuncti sunt, & conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abrenuntiantesque sæculo, Dei famulo *Bernardo* adhæserunt, ut notat *Gauf. in lib. 5. vitæ.* Sermo de Conversione ad Clericos.

5. *Liber de præcepto & dispensatione* ad Abbatem Columbensem; qui liber epistola est, qua ad Carnotensium quorumdam Monachorum epistolas respondet, propositas ab his quæstiones resolvens; & quia prolixior est responsio hæc quàm ferat epistolæ nomen, ideò non epistolæ, sed libri nomen dedit, & ad Abbatem Columbensem rogatus misit, ut cùm ipse perlegerit, ut optabat, non ipsis Carnotensibus Monachis reddat, sed illorum Abbati priùs; ut si illorum jusserit Abbas, ad ipsos deinde perveniat, quia Monachi sunt, & ex lege suæ regulæ sine sui Abbatis nutu sicut dare, ita & accipere prohibentur epistolas, & quibus respondere Liber de præcepto & dispensatione.

dere tardaverat, quòd suspicaretur eos ignorante Abbate præfatas scripsisse & misisse epistolas: quo in opere licèt varia resolvat dubia, quia tamen subtiliùs & utiliùs pertractat ista, nimirum quænam liceat præcepta, per quos & quatenus dispensari, ideò de præcepto & dispensatione inscribitur liber iste.

Apologia ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici.

6. *Apologia ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici*, quam scripsit Doctor sanctus, rogatus à Guillelmo Cluniacensis Ordinis viro, & Abbate S. Theodorici, ut satisfaceret nonnullis Cluniacensibus viris, qui conquerebantur de ipso cæterisque Cistercìensibus Monachis, tanquam Cluniacensis Ordinis detractoribus; idque eo tempore quo solutior erat atque relaxata Cluniacensis Ordinis Regularis disciplina, & in qua non mirum si essent aliqua reprehensione digna, à S. Doctore notata: contra quos ut se purget, & Cluniacensem Ordinem commendet, Apologeticum librum istum duas in partes ita dividit, ut in prima parte suos, Cistercienses scilicet, & quidem duriùs arguat, quòd severioris vitæ specie Cluniacensium institutis detraherent; in secunda verò Cluniacensium superfluitates reprehendat, ut sic alteros alteris conciliet, & quid in utrisque reprehensibile sit, fideliter exponat, ut corrigat & tollat.

Liber de laude novę militiæ ad milites templi.

7. *Liber de laude novæ militiæ* ad milites Templi, seu exhortatio ad milites Templi, ad Hugonem militiæ Christi Magistrum directa: Rogaverat enim Bernardum Hugo miles Christi, & militiæ Christi Magister, ut sibi suisque commilitonibus scriberet exhortationis sermonem aliquem, quo animarentur pro Christi Religione adversus hostilem tyrannidem: hunc, eis ut satisfaceret, contexuit Bernardus librum, Hugonique militiæ Christi Magistro petenti misit; in quo miris laudibus extollit hoc novum militiæ genus in terris recenter exortum, quod profitentur milites Templi seu Templarii, ita vulgò dicti, quòd concessu Balduini Regis, juxta Templum Domini primò consederint, seu nobiles illi & equestris Ordinis viri devoti ac timentes Deum, qui primi in manu Domini Patriarchæ, Christi servitio se mancipantes more Canonicorum Regularium in castitate, obedientia, & sine proprio, velle perpetuò vivere professi sunt: inter quos primi & præcipui fuere, Venerabiles Hugo de Paganis, & Gaufridus de sancto Aldemaro, è quibus Hugo militiæ Christi Magister primus: Ita Guill. Arch. Tyren. in lib. 12. & seq.

Liber de gradibus humilitatis & superbiæ ad Godefridum.

8. *Liber de gradibus humilitatis & superbiæ*: Rogatus S. Bernardus à Godefrido Claræ-Vallensi tunc Priore, & consanguineo suo, posteà Lingonensium Episcopo, ut ea quæ de gradibus humilitatis coram fratribus dixerat, pleniori tractatu conscriberet; ut petitioni satisfaceret, hunc de gradibus humilitatis simul & superbiæ conscripsit librum, in quo describit ei nedum varios humilitatis gradus, quibus fit ad Deum ascensus, sed etiam diversos superbiæ gradus, quibus fit à Deo descensus, sive recessus.

Liber de diligendo Deo ad Haymericum.

9. *Liber de diligendo Deo* ad Haymericum S. R. E. Cardinalem & Cancellarium, virum natione Gallum, & singularem *S. Bernardi* Claræ-Vallensis Abbatis amicum, à quo rogatus S. Doctor, ut exponeret quare & quomodo sit diligendus Deus, hunc ad illum direxit mirabilem de diligendo Deo tractatum sive libellum; in quo mirabiliter & patheticè describit ei divini amoris modum, causas, originem, gradus & obligationem: modum, ut diligatur sine modo, hoc est, meliori modo quo possumus;

ſumus; cauſas, meritum Dei & commodum noſtrum; originem, ex amore proprio in amorem Dei uſque ad oblivionem & contemptum ſui; gradus, amorem ſui, ſeu proprium, amorem Dei propter ſe, ſeu mercenarium; amorem Dei, propter ipſum, ſeu filialem; & amorem caſtum & purum, ſeu beatificum; obligationem denique quæ reſpicit Gentiles, Judæos, & maximè Chriſtianos.

10. ***Tractatus de gratia & libero arbitrio*** ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici, ſeu libellus editus à S. Doctore, ex occaſione cujuſdam collationis cum homine neſcio quo, cui S. Doctor nimium gratiæ tribuiſſe viſus fuerat, quaſi liberum hominis arbitrium nihil faceret in actibus humanis; quod quàm falſum eſſet ut oſtenderet, hunc de gratia & libero arbitrio ſcripſit libellum, parvum quidem ſed mirabilem, ſucco plenum, ac doctrina; in quo docens ad boni operis meritum cum Dei gratia concurrere liberi arbitrii conſenſum, oſtendit, quæ ſint gratiæ, & quæ liberi arbitrii partes in ſalutis negotio; plura interim tractans de libero arbitrio Dei, Angeli, & hominis integri, lapſi, & beati, & de gratia primi hominis ante & poſt lapſum; & inter alia triplicem in homine diſtinguit libertatem, naturæ, gratiæ & gloriæ, dum ait cap. 3. *Cùm igitur prout interim poterit occurrere nobis, triplex ſit nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate, hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura; in primam reſtauramur à gratia, media nobis reſervatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.* Liber de gratia & libero arbitrio ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici.

11. *Epiſtola ſeu tractatus ad Hugonem de S. Victore*, de baptiſmo aliiſque quæſtionibus ab ipſo propoſitis. Rogaverat enim S. Bernardum Hugo de S. Victore, ut reſcriberet quid ſuper interrogatis ipſe ſentiret, hoc eſt, ſuper quæſtionibus cujuſdam auctoris, cujus nomen tacuerat, & qui aſſerebat 1. Baptiſmi præceptum obligaſſe ex eo tempore, quo primùm Nicodemo dictum à Chriſto, *niſi quis renatus fuerit*, *&c.* 2. Neminem abſque baptiſmo, vel ſaltem ejus vice Martyrio ſalvari poſſe. 3. Veteris Teſtamenti Patres tam claram habuiſſe de Verbi Incarnatione notitiam, quàm Chriſtianos. 4. Nullum eſſe peccatum ex ignorantia. 5. Bernardum ipſum erraſſe, cùm ſcripſit in homiliis ſuper *miſſus eſt*, *&c.* Angelos Dei conſilium de Incarnatione non noviſſe. Quas quinque aſſertiones, quinque capitibus refellit & impugnat S. Doctor hac in epiſtola, ſive tractatu ad Hugonem Victorinum directo. Epiſtola ad Hugonem de S. Victore.

12. *Epiſtola ſeu tractatus ad Innocentium II.* Rom. Pont. contra quædam capitula errorum Abaelardi, in quo S. Doctor zelo Dei & Religionis recenſet, refellit & impugnat nonnulla Abaelardi Doctoris errorum capitula, & ad *Innocentium II.* Rom. Pont. dirigit, dicens in præfatione: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ac præſertim quæ de fide contingunt*, *&* cap. 1. *Habemus in Francia novum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua, in arte dialectica luſit, & nunc in Scripturis ſanctis inſanit, olim damnata & ſopita dogmata, tam ſua videlicet quàm aliena ſuſcitare conatur, inſuper & nova addit; qui dum omnium quæ ſunt in cœlo ſurſum, & quæ in terra deorſum, nihil præter ſolum neſcio, neſcire dignatur, ponit in cœlum os ſuum, & ſcrutatur alta Dei, rediенſque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui, & dum paratus eſt de omnibus rationem reddere, etiam quæ ſunt ſupra rationem & contra rationem præſumit, &* Epiſtola ad Innocentium II. contra Abaelardum.

contra

contra fidem; quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? & quid magis contra fidem, quàm credere nolle quidquid non possit ratione attingere?

Liber de vita & gestis S. Malachiæ.

13. *Liber de vita & gestis S. Malachiæ* Hiberniæ Episcopi, in quo sanctus Doctor *Congano* Abbati ex Hibernia roganti, describit vitam & gestorum historiam *S. Malachiæ* Hiberniæ Primatis Episcopi, & in Claræ-Vallensi Cœnobio, quò secundò peregrinus venerat, præsente & assistente S. Bernardo, defuncti, & cujus vitæ historiam incipiens S. Doctor, sic ait cap. 1. *Malachias noster natus in Hibernia de populo barbaro, ibi educatus, ibi litteris edoctus est; cæterum de natali barbarie traxit nihil, non magis quàm de sale marino pisces maris, &c.*

Liber de Cantu, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis.

14. *Tractatus de Cantu, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis.* Cùm enim libri, quibus primò in divinis Officiis usi sunt Cistercienses Monachi, corrupti ac vitiosi essent, fuerintque usque ad S. Bernardi tempora, tandem communi Abbatum Ordinis decreto, eos emendandi ac corrigendi cura commissa est S. Bernardo: quod munus sibi impositum ut impleret S. Doctor, hunc de Cantu seu de correctione Antiphonarii scripsit Tractatum, ut constat *ex vita Stephani Abbatis Obasinensis, auctore ejus æquali, nuper edita ab erudito Stephano Balusio in 4. tomo Miscellan.*

In tertio Tomo.

Sermones de tempore, de Sanctis & de diversis aliis.

15. *Sermones de tempore, de Sanctis & de diversis argumentis aliis*, quos S. Doctor diversis temporibus edidit varios, elegantes, eruditos, pios ac patheticos. Continentur in tertio tomo præfatæ editionis novæ operum *sancti Bernardi*, cura & studio D. J. Mabilonis Benedictini è Congregatione sancti Mauri Monachi, Parisiis luci publicæ datæ anno 1690.

In quarto Tomo.

Sermones 86. in Cantica Canticorum.

16. *Sermones in Cantica Canticorum* numero 86. qui maximo in pretio habentur apud omnes, & meritò; in his enim quidquid per alia sua dispersit opera S. Doctor ad mores informandos, ad pietatem accendendam atque promovendam, quidquid de vitiis & virtutibus ac de vita spirituali fudit & edocuit, illud in sermonibus istis in Cantica solidiùs pertractat ac subtiliùs.

Supposititia vel aliena opuscula S. Bernardo perperàm adscripta.

In quinto Tomo.

Continuatio in Cantica Canticorum.

1. *Continuatio in Cantica Canticorum* Gilberti Abbatis; is enim Abbas ad instar S. Bernardi, sermones fecit aliquos super Cantica Canticorum; in quibus plura sunt lectu & observatione digna ad morum ædicationem; nedum pro Monachis, sed etiam pro quibuscumque Ecclesiasticis viris.

Sunt & alia ejusdem auctoris opuscula & epistolæ nonnullæ; sed quia hæc non sunt S. Doctoris nostri Bernardi, his non immoror scrutandis.

In sex-

In sexto Tomo.

2. ***Sermones Guerrici Abbatis*** Igniacensis in Remensi diœcesi, Claræval-lensis olim Monachi, & S. Doctoris nostri Bernardi discipuli. Sermones Guerrici Abbatis.

3. ***Epistolæ quædam Guigonis***, Majoris Carthusiæ Prioris quinti, Bernardique nostri coætanei, & specialiter amici. Epistolæ Guigonis.

4. ***Libri 7. de vita S. Bernardi*** diverso tempore à diversis auctoribus scripti; plures enim scriptores eximii & fidei probatæ viri, S. Doctoris nostri vitæ & gestorum historiam texuere; inter quos, tres præsertim clarissimi, & ut testes oculati, eam quasi ex condicto prosecuti sunt, nimirum ***Guillelmus***, ***Ernaldus***, & ***Gaufridus***: Ex his enim ***Guillelmus*** S. Theodorici prope Remos quondam Abbas, sed tunc Signiacensis Monachus, omnium primus librum scripsit unum de vita S. Bernardi, eoque vivente adhuc. ***Ernaldus*** verò sive Arnaldus in agro Carnutensi Bonæ-Vallis Abbas, post Guillelmum & mortuo Bernardo librum scripsit alterum, inchoatam à Guillelmo prosequens S. Doctoris vitam. ***Gaufridus*** denique, sive ***Gofridus*** patria Antissiodorensis, & ante conversionem Petri Abaelardi discipulus, post conversionem verò Claræ-Vallensis Monachus, & S. Bernardi notarius ac discipulus, tandemque Abbas Claræ-Vallensis, sui Magistri vitam prosequens, tres libros addidit alios; qui Gaufridus sive Gofridus non est confundendus cum Godefrido S. Bernardi consanguineo & conversionis socio, ac Claræ-Vallensi pariter Monacho, è Monacho Prior, & è Priore, posteà Lingonensium Præsule; qui tandem ad privatam Clarævallensium vitam reversus est, ibique mortuus anno 1164. ut notat D. M. in admonitis ad lib. de vita S. Bernardi tom. 6. His quinque præfatis de vita S. Bernardi libris, duos adjecit alios de ejus S. Doctoris miraculis, D. Mabillonius, in sua Parisiensi operum S. Doctoris editione, luci publicæ data anno 1690. Vita S. Bernardi.

Objicies 1. S. Bernardus serm. 2. de omnibus Sanctis num. 4. tenet animas Beatorum non visuras Deum, ac proinde non consecuturas beatitudinem in clara Dei visione sitam ante resurrectionem, dum ait: *Jam verò consummato militiæ tempore, gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo: interim quippe sub altari eos esse & non supra ...... & licèt non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa qua implebit eos lætitia cum vultu suo.* Atqui hoc dici non potest, estque contra definitionem Concilii Florentini asserentis *animas purgatas, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & unum sicuti est*, & contra Decretum Tridentini Concilii Sess. 25. dicentis: *Sanctos cum Christo regnare & æterna felicitate in cœlo frui*; ergo vel in hoc arguendus S. Bern. vel illius non est sermo ille. Perperam & falsò objicitur errasse S. Bernardum, circa animarum felicitatem ante resurrectionem corporum.

Resp. neg. maj. quia S. Bernardus vult solùm dicere ibi, Beatorum animas nunc ante resurrectionem corporum, non tam perfectè Deum videre, quàm visuræ sunt post resurrectionem & resumpta corpora; ac proinde non tam perfecta beatitudine frui nunc, quàm fruituræ sunt post resurrectionem; & ratio est, quia appetitus quo feruntur in corpus suum, ut illi iterùm uniantur, remoratur eas quominùs tota intentione ferantur in Deum; idque idem S. Doctor apertè significat, dum in serm. 81. de diversis

ait : *A perfecta contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur* : Et hoc non est contra definitionem Florentini Concilii; nam licèt Concilii Florentini PP. definierint, Beatorum animas in cœlum mox recipi, & claré Deum videre; nondum tamen definitum est, quòd eum nunc tam perfectè videant, ac visuræ sunt post resurrectionem. Ita D.M. in notis ad Bern.

Resp. 2. cum aliis aliter explicantibus, & dicentibus Bernardum loqui de beatitudine totali, adæquata, completa, integra & consummata, prout includit beatitudinem totius hominis, hoc est animæ sicut & corporis, & hanc fatetur animas Beatorum non habituras nisi post resurrectionem, & post resumptum corpus, ut apertè indicat in serm. 3. *de omnibus Sanctis*, dicens : *Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur* : sed eum loqui negant de beatitudine essentiali solius animæ in clara Dei visione sita, quam purgatas justorum animas statim assequi, etiam ante resurrectionem corporum, ultrò fatetur, & variis in locis prædicat S. Doctor Bernardus, & præsertim in serm. 2. de S. Malachia Hiberniæ Metropolita, dum ait : *Non immeritò hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, quando pari cum Angelis gloria & felicitate lætatur*.

Resp. 3. cum aliis rectiùs arbitrantibus S. Bernardum ibi intelligendum loqui de beatitudine extensiori, non intensiori; ita ut velit dicere quòd Beatorum animæ ante resurrectionem corporum habent quidem beatitudinem, sed non ita extensam, ac sunt habituræ post resurrectionem, quia tunc eorum beatitudo se extendet etiam ad corpus; idque ita sentit S. Th. dum 1. 2. quæst. 4. art. 5. docet, quòd resumpto corpore beatitudo animæ crescet non intensivè, sed extensivè.

Vel circa corpoream vel in corpoream Angelorum naturam.

Objicies 2. S. Bernardus in serm. 5. in Cantica Cantic. num. 7. Angelos corporeos esse tenuit, dum dixit : *Cæterùm Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, &c.* Ergo vel in hoc erravit S. Doctor, vel illius non est sermo ille. Resp. perm. ant. neg. conseq. ratio est, quia licèt hodie pro certa & ab omnibus probata sit sententia tenens Angelos esse incorporeos, & temerarium esset sententiam oppositam docere; tamen apud SS. Patres & Ecclesiæ Doctores, res olim ita fuit ambigua, aliis affirmantibus, aliis negantibus Angelos esse incorporeos, ut Magister Sent. lib. 2. dist. 8. hanc opinionum diversitatem considerans, nihil hac de re definire fuerit ausus, ac proinde de nullo arguendus est errore S. Bernardus, quidquid tunc cum aliis hac de re tam ambigua senserit.

Vel circa sacerdotum hæreticorum potestatem.

Objicies 3. S. Bern. serm. 66. in Cantica Cantic. videtur negare hæreticis sacerdotibus potestatem consecrandi, dum num. 8. ait : *Non ignoro quòd se & solos corpus Christi esse glorientur, sed sibi hoc persuadeant qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi & Sanguinem consecrandi* : Sed hoc est error à Concilio Trident. damnatus sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere; ergo, &c. Resp. neg. maj. ratio est, quia ibi S. Doctor loquitur non de hæreticis sacerdotibus, sed de his qui se successores Apostolorum & Apostolicos nominabant, nullum tamen Apostolatus sui signum valentes ostendere.

Aut circa Immaculatam B. Virginis Conceptionem.

Objicies 4. Sanctus Bernardus in epistola 174. ad Lugdunenses Canonicos data, arguit eos, quòd B. Mariæ Virginis Conceptionis immaculatæ Festum celebrent; ergo vel illius non est epistola illa, vel arguendus

ipse

ipſe quòd malè de immaculata B. Virginis Conceptione ſenſerit. Reſp. perm. ant. neg. conſeq. quia hac in epiſtola nihil pronuntiat, nihilque definit S. Doctor, ſed totum auctoritati Eccleſiæ judicandum reſervat, dum concludens ait: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint, feriùs ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.* Arguit autem Lugdunenſes in hoc ſolùm, quòd tam præcipitanter, & inconſulta Romana ſede, hujuſmodi Feſtum celebraverint, cùm ad Romanam ſedem ſpectet novarum inſtitutio Solemnitatum, dicens: *Nulla Virgini placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis; nam ſi ſic videbatur celebrandus, ſcilicet conceptionis Deiparæ dies Feſtus, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum*: ex quo nihil concludi poteſt contra S. Doctorem, nec contra piam fidelium omnium, & noſtram de Conceptione B. Virginis immaculata, ſententiam.

ARTICULUS XLIII.

De ſancto Thoma Aquinate. 1274.

S.Thomæ Aquinatis origo, educatio, profeſſio, vitæ ſanctitas, obitus, canonizatio, reliquiarū translatio, & ſcriptorum commendatio, qualia ſunt.

SAnctus Thomas Aquinas, vulgò Eccleſiæ Doctor Angelicus, & ſacri FF. Prædicatorum Ordinis ſol radians & illuſtre decus, vir fuit natione Italus, & patria Neapolitanus, è clara Comitum Aquinatum ac nobili ſtirpe natus, anno Chriſti 1224. Qui poſt completum decimum & quartum ætatis annum, S. Dominici ſacrum Ordinem ingreſſus, & in eo ritè peracto Novitiatus anno regulam profeſſus, ſtatim Superiorum juſſu, partim Coloniæ, partim Pariſiis Philoſophicis ac Theologicis incubuit ſtudiis ſub *Alberto*, viro natione Suevo, ſanctitate, eruditione & cognomine *Magno*: completoque Pariſiis ſtudiorum decurſu, ſimul & eodem die, cum S. Bonaventura, anno 1255. ſacræ Facultatis Pariſienſis, è Religioſis Mendicantibus primus Doctoris laurea donatus. Ibi deinceps Regia in urbe Magiſtri ſententiarum explicans libros, Theologiam per multos annos tanta cum ſanctitatis & eruditionis laude profeſſus eſt, ut deinde ob grandem illam profundæ eruditionis famam, & Angelicæ vitæ ſanctitatem, Princeps Theologorum & Doctor Angelicus ſit toto litterarum in orbe Chriſtiano meritò nuncupatus; qui tandem cùm plures docendo, concionando & ſcribendo, pro Chriſto & Eccleſia ſubiiſſet labores, dum Gregorii X. Romani Pontificis juſſu pergeret ad generale Lugdunenſe Concilium ſecundum, in celebri *Foſſæ novæ* Ordinis Ciſtercienſis cœnobio, prope Amaſenum Campaniæ fluvium, *univerſæ carnis viam ingreſſus*, ſanctam in cœlos emiſit animam die 7. Martii anno Chriſti 1274. ætatis verò ſuæ anno dumtaxat 50. Sanctorum catalogo adſcriptus poſteà a *Joanne XXII.* anno Domini 1323. ejuſque reliquiæ ſacræ Toloſam translatæ *Urbani V.* juſſu, anno 1368. & inter Eccleſiæ Doctores haberi juſſus, Apoſtolico *Pii V.* Romani Pontificis decreto, anno 1567.

Et meritò; dignus enim ille, ſi quis alius, ut inter Eccleſiæ Doctores

habeatur, cujus doctrinam cœlum approbat, Ecclesia commendat, & inferorum turba formidat. Doctrinam autem Doctoris Angelici cœlum approbat, dum Christus de cœlo clamat, *Benè scripsisti de me Thoma*: Ecclesia commendat per summos Pontifices, sed præsertim, dum Urbani V. Romani Pontificis ore, in Bulla pro transferendis Tolosam S. Thomæ reliquiis, Archiepiscopo Tolosano, & dilectissimo Ecclesiæ Tolosanæ Cancellario, universisque sacræ Facultatis Magistris atque Doctoribus, ait: *Volumus insuper, & tenore præsentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare*. Formidat denique illam formidabilis ipsa tartarea dæmonum turba; dum ore *Buceri* hæretici Lutherano de grege viri, rugiens de inferno clamat, *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam*. Nec mirum; est enim S. Thomæ doctrina *quasi terribilis castrorum acies ordinata*, sub cujus vexillo militant omnes ubique gentium è Schola Theologi, ex pulpito Oratores sacri, ex Tribunali sacro Sacramentorum Ecclesiæ Ministri, è suo secessu omnium Ordinum Religiosi, è Clero graduum omnium Clerici, Societates, Congregationes, cœtus Ecclesiastici cuncti, Scholæ, Gymnasia, Academiæ denique Theologicæ pugnant ubique omnes, ad debellandos quoscumque Fidei ac Religionis hostes, triumphandumque de infernali in Ecclesiam rugiente leone. Est autem S. Thomæ doctrina ita disposita, sed præsertim in aurea Theologiæ summa, eoque ordine ab uno tractatu transit in alium, ab una quæstione ad proximam, & ab uno rursus articulo ad sequentem, ut unum ex alio, & posterius ex priori non solùm pendeat, verùm etiam lucem & robur accipiat; suisque ita quasi palis nixa principiis semper adhæreat, ut sibi semper & ubique constet, nullibi fluctuet aut nutet, nullo unquam circumferatur alienæ vento doctrinæ, sed tuta manens & immota, quoscumque frementium retundat ac fragant hostium impetus.

Scripta sancti Thomæ.

Universæ hujus Doctoris Angelici doctrinæ, per varia illius scripta dispersæ, editiones diversis temporibus & locis fuere variæ; è quibus celebriores fuere, Romana jussu *Pii V.* Romani Pontificis Romæ data, anno Christi 1570. & Antverpiensis altera, anno 1612. Antverpiæ, cura F. Cosmæ Morelles Valentini Dominicani peracta; utraque in 17. tomos ita digesta, ut

1. Tomus contineat,

1. *Vitam S. Thomæ ex diversis collectam*. 2. *Commentarium, seu expositionem in* 1. & 2. *Perihermenias cum duplici textus interpretatione antiqua & Argyropili*. 3. *Commentarium, seu expositionem in* 1. & 2. *posteriorum Analyticorum, cum interpretatione antiqua & Argyropili*.

2. Tomus.

1. *Commentaria in* 8. *Physicorum libros*. 2. *In quatuor libros de Cælo & mundo*, & 3. *In duos de generatione*.

3. Tomus.

1. *Commentaria in* 4. *Meteororum libros*. 2. *In* 3. *de anima*, & 3. *in parva naturalia*.

4. To-

4. Tomus.

1. *Commentaria in 12. Metaphysicorum libros. 2. Tractatum de ente & eßentia, cum Commentariis Thomæ de Vio Cajetani, Cardinalis sancti Sixti.*

5. Tomus.

1. *Commentaria in decem Ethicorum libros, ad Nicomachum. 2. In octo Politicorum libros.*

6. Tomus.

Commentarium in 1. & 2. Sententiarum librum, Petri Lombardi, Magistri Sententiarum vulgò nuncupati.

7. Tomus.

Commentaria in 3. & 4. Sententiarum, ejusdem Magistri librum.

8. Tomus.

1. *Quæstiones disputatas, seu quæ à S. Thoma disputatæ sunt. 2. Quodlibetales, seu quodlibeta, sive de quolibet.*

9. Tomus.

Summam fidei Catholicæ contra Gentiles, in 4. libros distributam, cum luculentissimis in eam Commentariis Francisci Ferrariensis, Ordinis FF. Prædicat.

10. Tomus.

Primam partem Summæ Theologicæ, cum Commentariis Cajetani Cardinalis.

11. Tomus.

Primam & secundam 2. partis, cum ejusdem Cajetani Commentariis.

12. Tomus.

3. *Partem ejusdem Summæ, cum ejusdem Auctoris Commentariis.*

13. Tomus.

Continet 1. Commentaria in Job. 2. in primam quinquagenam Psalmorum Davidis. 3. in Cantica Canticorum. 4. in Isajam. 5. in Jeremiam, & 6. in ejusdem Jeremiæ Lamentationes, seu Threnos.

14. Tomus.

Commentaria in sanctum Jesu Christi Euangelium, secundùm Matthæum, & Joannem.

15. Tomus.

Catenam auream in 4. Euangelia, ex SS. PP. dictis, miro artificio contextam.

16. Tomus.

1. *Commentaria in omnes S. Pauli epistolas, & 2. varios pro Dominicis diebus, Sanctorumque per annum occurrentibus festis sermones.*

17. Tomus.

Continet 1. opuscula omnia; & 2. scriptum secundum in 4. Sententiarum libros, ad Annibaldum Cardinalem, in cujus gratiam elucubratum.

18. Tomus superadditus.

Continet 1. auream in omnia sancti Thomæ opera tabulam, Fr. Petri de Bergomo, Ord. FF. PP. 2. Dictorum & conclusionum S. Thomæ Concordantias, ordine alphabetico dispositas, ejusdem Auctoris. 3. Indicem auctoritatum Scripturæ, cum repertorio dicto-

rum omnium præcipuorum; in editione verò Antverpiensi, idem tomus continet Commentaria in Genesim, in Danielem, in Machabæos, & in epistolas Canonicas.

Contractiùs tamen, & ad scholæ usum accommodatiùs, hæc universim sumpta S. Thomæ doctrina, licèt per 17. illos dispersa tomos, potest ad 4. quasi classes ita reduci, ut 1. classis contineat omnia S. Thomæ scripta Philosophica; 2. classis capiat Theologica; 3. opera in Scripturam sacram exegetica; 4. denique classis miscellanea seu de variis argumentis opuscula cætera. Sunt autem

Philosophica S. Thomæ scripta.

Expositio in duos Aristotelis libros Perihermenias.

1. *Expositio in duos Aristotelis libros*, qui vulgò Perihermenias, hoc est, de interpretatione dici solent; licèt integra secundi libri interpretatio non sit sancti Thomæ, sed à Cajetano suppleta, duabus tantùm exceptis lectionibus primis.

In duos posteriorũ Analyticorum.

2. *Expositio in duos alios Aristotelis libros, posteriorum Analyticorum* vulgò nuncupatos; Analytica enim vulgò vocari solent duo illi libri, in quibus judicandi sive argumenta resolvendi partem implet & exequitur Aristoteles.

In parva naturalia.

3. *Expositio in parva naturalia*, hoc est, in tres Aristotelis libros alios, quos vulgò vocant *parva naturalia*, quia nimirùm in his agitur *de sensu & sensato, de memoria & reminiscentia, de somno & vigilia, de somnis & de divinatione per somnum*; imò & de pluribus aliis, scilicet *de motibus animalium, de longitudine vitæ ac brevitate, de respiratione, de juventute & senectute*: sed ista ultima non exposuit S. Thom. sed Petrus de Alvernia Dominicanus, & S. Thomæ discipulus.

In octo Physicorũ libros.

4. *Expositio in octo Physicorum libros*, vulgò de *Physico auditu*, sive de naturali auscultatione vulgò nuncupatos, quia cum subtili stylo, profundiorique dicendi genere sint ab Aristotele conscripti; ideò magnam in audiendo exigunt attentionem in discipulis, & curam in explicando non mediocrem à Magistris. Hos autem interpretatur S. Thomas hac in expositione, quæ habetur in tomo secundo.

In 4. libros de mundo & cœlo.

5. *Expositio in 4. libros de Cælo & mundo*; quæ tamen integrè non est S. Thomæ; morte enim præventus S. Thomas, ut opinantur aliqui; vel aliis causis impeditus, ut putant alii, quartum non exposuit librum, imò nec expositionem in tertium librum absolvit, sed utrumque deinde Petrus de Alvernia supplevit.

In 2. de ortu & interitu.

6. *Expositio in duos de generatione & corruptione libros*, vulgò de ortu & interitu vocatos, in quibus de ente mobili, motu alterationis seu de mixtis corporibus agit Aristoteles, postquam de ente sive de corpore simplici, seu de mobili motu locali disseruit in quatuor præcedentibus de mundo & Cœlo.

In 4. Meteororum libros.

7. *Expositio in Meteororum libros* Aristotelis, hoc est, mixtorum imperfectorum, quæ à Græcis *Meteora* vocantur, hoc est, sublimia, quòd in sublimi mundi sublunaris regione formentur, vel quòd causas sublimes, & nobis satis occultas habeant; cujusmodi sunt pluviæ, nives, grandines, faces ignitæ, Cometæ & similia, de quibus agit Aristoteles in tribus prioribus libris Meteorologicis; nam in quarto de qualitatibus agit.

8. *Ex-*

8. *Expositio in tres de anima libros*, in quibus de ente mobili motu vitali, seu de ente animato mixtorum omnium perfectissimo tractat Aristoteles; & quos hac in expositione commentans dilucidat Doctor Angelicus. In 3. de anima libros.

9. *Expositio in 12. Metaphysicorum libros Aristotelis*: Postquam enim e ente naturali & sensibili sufficienter disseruit in præcedentibus libris Aristoteles, de ente trans naturam posito & à sensibus remoto agit in 12. istis, & hos hac in expositione sive interpretatione S. Thomas suscepit explicandos, quibus addidit *tractatum de ente & essentia*; quem posteà commentatus est Thomas de Vio Cajetanus S. R. E. Cardinalis. Scripsit insuper & expositionem aliam S. Thomas *in librum de causis*, quæque simul habetur in quarto tomo. In 12. Metaphysicorum libros.

10. *Expositio in decem libros Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum*, filium scilicet; fuere enim apud antiquos celebres varii Nicomachi nomine viri, è quibus quinque numerat Suidas, & inter hos patrem Aristotelis unum, & filium ejusdem Aristotelis alterum, Nicomachum utrumque & utrumque medicum: filius, eodem Suida teste, scripsit Commentarios in Physica patris, & pater suos decem Ethicorum, seu moralis Philosophiæ libros filio suo dicavit Nicomacho, unde ad *Nicomachum* dictos, & hos hac in expositione, quæ habetur in 5. tomo, S. Thomas suscipit commentandos. In 10. Ethicorum libros.

11. *Expositio in octo libros politicorum*, quæ habetur in 5. tomo, & qua interpretatur S. Thomas celebres octo illos Aristotelis libros de recta civitatis administrandæ ratione conscriptos, unde & politicorum libros vulgò nuncupatos: est enim *Politia*, juxta Aristotelem, principatus seu consuetudo rerum, secundùm quam unumquemque vivere & conversari decet; & tres sunt, quia vel unus regit sive administrat solus, vel plures, vel omnes: si unus, hæc politia dicitur, *Monarchia*; si plures, hique boni, *Aristocratia*; si omnes, *Democratia* vocatur. In 8. politicorum libros.

12. Scripsit insuper S. Thomas plura Philosophica alia, imò si credatur Trithemio, in omnes alios Aristotelis libros: verùm quia hæc vel periere, vel non comparent, ideò nobis hìc de his nihil dicendum occurrit.

Theologica S. Thomæ scripta.

1. *Commentarium in 4. Sententiarum libros* Petri Lombardi, de quibus 6. & 7. tom. Scripsit, ut visum est suprà, Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus 4. Sententiarum libros de re Theologica ita digestos, ut primus contineat Patrum Sententias de divinitate & Trinitate; 2. de creatione mundi, præsertim Angelorum & hominum; 3. de Incarnatione Verbi, deque virtutibus ac vitiis; & 4. de Sacramentis, ac novissimis; & hos quatuor Petri Lombardi libros, ob varias & ferè insuperabiles difficultates, omnibus aliis anteà Doctoribus obscuros & invios, ita Parisiis dilucidavit & explicuit olim S. Thomas vigesimum dumtaxat percurrens ætatis annum, isto in eos edito Commentario, ut stupuerit hoc audiens & videns alma Parisiensis Facultas sacra. Commentarium in 4. Sententiarum libros.

2. *Scriptum secundum* in eosdem 4. Sententiarum libros, ad *Annibaldum*, quod habetur in 17. tomo, hoc est, secundum sive iteratum Commentarium alterum in eosdem quatuor Sententiarum libros, à primo longè dissimile, Scriptum secundum in eosdem.

mile, illoque pressius atque brevius, à S. Thoma conscriptum in gratiam Annibaldi familiaris & amici, ex Ordine FF. Prædicatorum viri, & in provincia Romana secundi post S. Thomam in Theologia magistri, ac tandem S. R. E. Cardinalis ab Urbano IV. Romano Pontifice creati. Non comparuit egregium hoc opus, *Scriptum secundum* vulgò vocatum, sed delituit in tenebris per annos ferè 300. at tandem examine, cura ac jussu Pauli IV. nondum tamen summi Pontificis, feliciter in lucem prodiisse testatur F. Thomas Nenius Florentinus in sua præfatione ad editionem Parisiis datam an. 1574. & genuinum esse S. Thomæ fœtum fusè probat *Nazarius*.

Quæstiones disputatæ. 3. *Quæstiones disputatæ*, quæ reperiuntur in 8. tomo, hoc est, certæ quæstiones quæ Parisiis vel alibi in Italia à S. Thoma fuere disputatæ, unde & nomen accepere, videlicet istæ; *de potentia Dei* 10. *de malo* 16. *de spiritualibus creaturis* quæstio unica; *de anima* quæstio unica; *de unione Verbi* quæstio unica; *de virtutibus in communi* quæstio unica; *de correctione fraterna* quæstio unica; *de charitate* quæstio unica; *de spe* quæstio unica; *de virtutibus cardinalibus* quæstio unica; de veritate 29.

Quodlibetales. 4. *Quodlibetales* quæ habentur in eodem tomo 9. hoc est, quæstiones quodlibetales, sive quodlibetica; sic enim vocari solet singulare illud Angelici Doctoris opus, quod duodecim continet quodlibeta quasi capita; quorum unumquodque quodlibetum in quæstiones, & quæstio quælibet pariter in articulos subdividitur varios; unde quæstiones illæ, quia quodlibeti partes & quasi filiæ, non immeritò quodlibetales vulgò vocatæ; suntque numero multæ, quarum prima primi quodlibeti est de S. Benedicto: *Utrùm scilicet B. Benedictus in visione qua vidit totum mundum, divinam essentiam viderit*: Cui respondet negativè, juxta illud Joan. *Deum nemo vidit unquam*; & rationem addens, ait: *Respondeo dicendum quòd corpus corruptibile aggravat animam, ut dicitur Sapient. 9. Summa autem elevatio mentis humanæ est, ut ad divinam essentiam videndam pertingat; unde impossibile est, ut mens humana corpori unita, Dei essentiam videat: B. autem Benedictus quando illam visionem vidit, nec huic vitæ funditùs mortuus erat, nec à corporeis sensibus alienatus; quod patet per hoc quòd dum adhuc in eadem visione persisteret, alium ad idem videndum advocavit, ut idem Greg. refert; unde manifestum est quòd Dei essentiam non vidit.*

Summa fidei Catholicæ contra Gentiles. 5. *Summa Catholicæ Fidei contra Gentiles*, quæ est in 9. tomo, luculentissimis illustrata Commentariis à Francisco *Ferrariensi*, Ord. FF. PP. Theologo, hoc est, egregium ac luculentissimum illud S. Thomæ opus pro Religione Christiana contra Gentiles editum 4. in libros divisum, & inscriptum *Summa contra Gentiles*: opus ferè absolutissimum, inquit *Possevinus*; stylo disertum, rationum novitate ac subtilitate profundum prædicat *S. Antoninus*; æternis laudibus dignum opus addam & ego, cui nullum aliud eo in genere comparabile, si excipias S. Augustini de Civitate Dei libros numquam satis dignè laudatos.

Expositio in librum B. Dionysii de divinis nominibus. 6. *Expositio in librum B. Dionysii de divinis nominibus*, quæ habetur in tomo 10. & qua S. Thomas 13. capitula quibus constat B. Dionysii liber, & singulorum capitulorum lectiones singulas, obscuras licèt & intricatas, eruditè tamen & luculenter explanat, rationem etiam reddens hujus & aliorum B. Dionysii librorum obscuritatis, dum primo capite dicit: *Est autem considerandum quòd B. Dionysius in omnibus libris suis obscuro utitur stylo,*

stylo, quod quidem non ex imperitia fecit, sed ex industria, ut sacra & divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret.

7. *Summa Theologiæ* tres in partes divisa, & Cajetani commentariis illustrata, quæ reperitur in tomo 10. 11. & 12. prima scilicet ejus pars in tomo 10. secunda pars in tomo 11. & tertia in 12. tomo, quæque separatim & seorsim à commentariis in uno magno circumfertur volumine satis noto, & *Summa D.Thomæ* vulgò nuncupato; hæc, inquam, D.Thomæ Theologiæ Summa, est opus D.Thomæ omnium postremum, sed penitùs mirabile; & in quo, ut inquit Possevinus, quasi quintam suorum omnium laborum essentiam expressit S.Thomas; quæque licèt in tres dumtaxat sit divisa partes, quatuor tamen habet; quia cùm secunda pars ejus sit fusior aliis, subdivisa est in duas, quarum prima dicitur prima secundæ, & altera secunda secundæ, scilicet partis, vocari solet: continetque tota Summa generatim sumpta quæstiones 512. articulos verò 2652. & argumenta soluta plus quàm 10000. Summa Theologica.

Exegetica in Scripturam sacram S.Thomæ scripta.

1. *Expositio in librum beati Job*, quæ habetur in tomo 13. quæque non mystica sed litteralis est, ut ipse expresse declarat S.Thomas in suo ad hanc expositionem prologo; in quo refellens etiam opinionem eorum, qui Job numquam fuisse tenent, sic ait: *Fuerunt autem aliqui quibus visum est, quòd iste Job non fuerit aliquid in rerum natura, sed quòd fuerit quædam parabola conficta, ut esset quoddam thema ad providentiæ disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis: & quamvis ad intentionem libri non multum referat, utrùm sic vel aliter fuerit, refert tamen quantum ad ipsam veritatem; videtur enim prædicta opinio auctoritati sacræ Scripturæ obviare; dicitur enim Ezechielis cap. 14. ex persona Domini, Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas. Manifestum est autem Noe & Daniel homines in rerum natura fuisse, unde nec de tertio cum eis connumerato, scilicet Job, in dubium debet venire: dicitur etiam Jacobi cap. 5. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt: sufferentiam Job audiistis, & finem Domini vidistis. Sic igitur credendum est hominem in rerum natura fuisse; quo autem tempore fuerit, vel ex quibus parentibus originem duxerit, an etiam hujus libri fuerit auctor, utrùm scilicet ipse Job hunc librum conscripserit de se quasi de alio loquens, an alius de eo ista retulerit, non est præsentis intentionis discutere; intendimus enim compendiosè secundùm nostram possibilitatem de divino auxilio fiduciam habentes, librum istum qui intitulatur B.Job, secundùm litteralem sensum exponere; ejus enim mysteria tam subtiliter & discretè Beatus Papa Gregorius nobis aperuit, ut his nihil ultrà addendum videatur.* Expositio in librum B.Job.

2. *Expositio in Psalmos Davidis*, quæ est in tomo 13. quæque non est omnium Psalmorum Davidis explanatio, sed aliquot tantùm, nimirum primæ quinquagenæ, & Psalmi sequentis, hoc est, à Psalmo primo qui incipit, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, &c.* usque ad Psalmum quinquagesimum primum inclusivè, qui incipit, *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate? &c.* Hanc expositionem piam & eruditam sub extremos vitæ annos à S. Thoma conscriptam narrat Fr.Reginaldus; nec dissentit Sixtus Senensis, addens eum reliquos ideò non exposuisse, quia morte præventum. Expositio in Psalmos Davidis.

3. Expo-

Expositio in Cantica Canticorum.

3. *Expositio in Cantica Canticorum*, quæ ibid. tomo 13. reperitur, hoc est, expositio in librum illum Salomonis, qui vulgò Canticum Canticorum dicitur, quique incipit, *Osculetur me osculo oris sui, &c.* Quod Canticum sacrum nihil est aliud, quàm epithalamium Christi & Ecclesiæ, ut expresse hìc docet S. Thomas, illius Cantici expositionem sic incipiens, & dicens: *Salomon inspiratus divino spiritu composuit suum libellum de nuptiis Christi & Ecclesiæ, & quodammodo epithalamium fecit Christi & Ecclesiæ, id est, Canticum super thalamos, unde & Cantica Canticorum vocavit hunc libellum, quia omnia alia Cantica superexcellit, sicut etiam dicitur, Rex regum & Dominus dominantium, & solemnitas solemnitatum, sic dicuntur Cantica Canticorum ob excellentiam & dignitatem. Est autem obscurissimus iste liber, quia nullæ ibi commemorantur personæ, cùm tamen stylo quasi comico sit compositus; ait ergo,* Osculetur me osculo oris sui, &c. *Desiderantis vox est Synagogæ adventum Christi, quasi diceret, quia toties mihi adventum suum promisit per Prophetas, veniat ergo & osculetur me osculo oris sui, id est per se ipsum mihi loquatur, &c.*

Expositio in Isajam.

4. *Expositio in Isajam Prophetam*, quæ in eodem tomo 13. legitur; quæque licèt à multis non censeatur genuinus S. Thomæ fœtus, ob eruditionis inopiam, inquit Sixtus Senensis, & fratri Thomæ Anglico tribuatur ab aliis, ut à Castillo & Plodio, eam tamen ut genuinum Angelici Doctoris opus, inter genuina ejus alia recensent opera S. Anton. Bellarm. Nazarius & alii.

Expositio in Jeremiã.

5. *Expositio in Jeremiam Prophetam & Threnos ejus*, quæ ibid. tom. 13. habetur, & de qua idem ferè sentit Sixtus Senensis, ac de præcedenti in Isajam, nimirùm eam non videri genuinum S. Thomæ fœtum ob eruditionis inopiam, sed de ea cum *Vielmio* idem ferè respondent alii, nimirùm in ea eumdem esse stylum & modum, quo in cæteris exponendis Scripturis usus est S. Thomas; & quod dico de expositione in librum Jeremiæ Prophetæ, dici debet de expositione in Threnos sive Lamentationes ejusdem Jeremiæ, seu in libellum illum, in quo lamentatur Jeremias, deplorans Civitatis Jerusalem patriæ gentisque suæ dejectionem, desolationem, calamitatem & miseriam, sic incipiens: *Quomodo sedet sola Civitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo, &c.*

Expositio in Matthæum.

6. *Expositio in Matthæum Euangelistam*, quæ est in tomo 14. & quam inter alia genuina S. Thomæ scripta numerant S. Antoninus, Nazarius, Sixtus Senensis, Bellarminus & alii; & quam sic incipit S. Thomas, intentionem Matthæi & ejus Euangelii declarans, & dicens: *Inter Euangelistas, Matthæus præcipuè versatur circa humanitatem Christi; unde secundùm Greg. per hominem significatur in figura quatuor animalium: per humanitatem autem Christus in mundum introivit, progressus est, & exivit, sic ideò dividitur totum Euangelium in tres partes; primò enim agit Euangelista de Christi humanitatis in mundum ingressu, secundò de ejus processu, & tertiò de ejus egressu, &c.*

Expositio in Joannem.

7. *Expositio in Euangelium S. Joannis*, quæ habetur ibid. tomo 14. & de qua idem dicendum, ac de expositione in Matthæum; nimirùm eam censeri genuinum S. Thomæ fœtum ab iisdem auctoribus præfatis, & quam pariter sic incipit S. Thom. ostendens & hujus Euangelii & Euangelistæ Joannis intentum, & dicens: *Euangelista Joannes, sicut dictum est, intendit principaliter ostendere divinitatem Verbi incarnati, & ideò dividitur*

istud

iſtud Euangelium in partes duas; primò inſinuat Chriſti divinitatem, ſecundò manifeſtat eam per ea quæ Chriſtus fecit.

8. *Catena aurea in quatuor Euangelia*, quæ eſt in 15. tomo, quæque nihil aliud eſt, quàm mirabilis & erudita quatuor Euangeliorum explanatio, ex ſententiis ſanctorum Patrum miro artificio connexa, ſeu continua quatuor Euangeliorum expoſitio, ex diverſis SS. Patrum vel Doctorum dictis mirè compilata expoſitio, ſcilicet quatuor Euangeliorum ſeorſim & ſingulatim ſumptorum, & primò Euangelii ſecundùm Matthæum expoſitio, juſſu *Urbani IV*. Rom. Pont. edita, ipſique poſteà dicata, ut conſtat ex ipſomet S. Thoma in epiſtola dedicatoria expreſsè ad Urbanum IV. dicente: *Veſtræ Sanctitati complacuit mihi committere Matthæi Euangelium exponendum, quod juxta propriam facultatem executus ſolicitè ex diverſis Doctorum libris prædicti Euangelii expoſitionem continuam compilavi*. Deinde aliorum trium Euangeliorum expoſitio *Annibaldo* S. R. E. Cardinali Presbytero dicata, quia jam morte rapto *Urbano IV*. ut ex ejuſdem Doctoris Angelici ad Annibaldum epiſtola dedicatoria patet, in qua ſic ait: *Verùm quia eo ſummo Pontifice ex hac vita ſubtracto tria Euangelia Marci, Lucæ, & Joannis exponenda reſtabant, ne opus quod obedientia cœperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui ſtudium, ut quatuor Euangeliorum expoſitionem complerem, eadem in omnibus forma ſervata, in ponendis Sanctorum auctoritatibus, & eorum nominibus præſcribendis, &c.*

Catena aurea in 4. Euangelia.

9. *In omnes divi Pauli epiſtolas expoſitio*, quæ eſt in tomo 16. & quam Sixtus Senenſis vocat opus ſumma eruditione refertum, in quo S. Doctor Angelicus cæteros enarratores longo poſt ſe intervallo reliquit.

Expoſitio in omnes Pauli epiſtolas, &c.

10. *In Canonicas epiſtolas expoſitio*, quæ nullibi reperitur in editione Romana, quæque primùm prodiit Antverpiæ anno 1592. Erudita eſt, inquit Bellarm. & ingenio S. Thomæ digna, præſertim cùm in ea cernatur ſtylus & modus procedendi S. Thomæ, & quam ei tribuunt Sixtus Senenſis, Vielmius & alii.

In Canonicas altera.

Præter hæc præfata in Scripturam D. Thomæ commentaria, circumferuntur ſub nomine S. Thomæ commentaria in Geneſim, & in libros Machabæorum; ſed commentarium in Geneſim ut ſpurium S. Thomæ fœtum rejicit S. Antoninus 3. parte Summæ hiſtorialis, titulo 18. &c. & de utroque illo tam in Geneſim quàm in Machabæorum libros commentario ſe nihil habere quod dicat, cùm neutrum viderit, reſpondet Bellarm. lib. de Script. Eccleſ.

Miſcellanea S. Thomæ ſcripta, ſeu de variis argumentis opuſcula varia.

Opuſcula varia.

Quamvis 73. ſub nomine S. Thomæ circumferantur opuſcula in 17. tomo editionis Romanæ anni 1570. tamen quia ex iis omnibus per viros ſelectos & doctos, juſſu *Pii V*. Romani Pontificis, ritè conſideratis & examinatis, 42. dumtaxat inventa fuere genuina & indubitata, cætera verò ſpuria vel dubia, ac tam illa quàm iſta fuerint ſimul eadem in editione, cum hac diſtinctione cuſa, ut genuina fuerint majoribus, & dubia minoribus characteribus edita & notata, ideò nihil hìc de ſpuriis & dubiis occurrit dicendum, ſed ſolùm de genuinis & indubitatis, qualia ſunt,

1. *Con-*

Contra errores Græcorum.

1. *Contra errores Græcorum* opusculum primum ad *Urbanum IV.* Rom. Pont. in quo explicat S. Doctor varia antiquorum SS. Patrum Græcorum dicta, in libello sibi ab Urbano IV. exhibito contenta; quæ quia modernis Doctoribus videntur dubia, possunt esse errorum materia & contentionis occasio inter Latinos & Græcos, & ex iis sic explicatis veritatem fidei Catholicæ doceri ac defendi manifestat.

Compendium Theologiæ ad Reginaldum.

2. *Compendium Theologiæ, opusculum secundum*, ad fratrem Reginaldum socium suum; in quo quid præstet S. Doctor, sic sufficienter declarat cap. 1. dum ait: *Ut igitur tibi, fili charissime Reginalde, compendiosam doctrinam de Christiana Religione tradam, quam semper præ oculis possis habere, circa hæc tria in præsenti opere tota nostra versatur intentio, primò de fide, secundò de spe, tertiò verò de charitate agemus, &c.*

Declaratio quorumdam articulorum.

3. *Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos, Armenos & Saracenos*, ad Cantorem Antiochenum, opusculum tertium, in quo, ut satisfaciat petitioni Cantoris Antiocheni, reddatque eum paratum ad satisfaciendum omni poscenti rationem fidei, explicat ei fidei nostræ articulos, quos infideles impugnabant & irridebant; & in primis monet eum cap. 2. ut dum de articulis fidei disputat contra infideles, non conetur fidem rationibus probare, sed defendere, addens: *Ad hoc debet intendere Christiani disputatoris intentio in articulis fidei, non ut fidem probet, sed ut fidem defendat: ut & B. Petrus non dicit, parati semper ad probationem, sed ad satisfactionem, ut scilicet rationabiliter ostendatur, non esse falsum quod fides Catholica confitetur.*

De præceptis legis.

4. *De duobus Charitatis præceptis, & decem legis præceptis*, opusculum quartum, in quo postquam ostendit quòd lex Christi pendet à Charitate, & Charitas à duobus præceptis, quorum unum est de dilectione Dei, alterum de dilectione proximi, hisque duobus præceptis explicatis deinde transit ad decem legis explicanda præcepta, quorum tria pertinent ad dilectionem Dei, & septem alia ad dilectionem proximi.

De articulis fidei & sacramentis.

5. *De articulis Fidei & Sacramentis Ecclesiæ* ad Archiepiscopum Panormitanum, opusculum quintum, in quo, ut satisfaciat rationi Archipræsulis Panormitani, breviter & compendiosè distinguit & exponit ei articulos Fidei, & Ecclesiæ Sacramenta, & errores qui circa illos & ea sunt vitandi.

Expositio Symboli Apostolorum.

6. *Devotissima expositio super Symbolum Apostolorum*, opusculum sextum, in quo, nedum devotè, sed etiam luculenter & eruditè singulos explicat Symboli Apostolorum articulos, refellens etiam interdum subtiliter & doctè, idque ex Scriptura, illis oppositos Hæreticorum errores.

Expositio orationis Dominicæ.

7. *Expositio devotissima orationis Dominicæ*, opusculum 7. in quo, postquam ostendit orationem Dominicam inter orationes cæteras esse præcipuam, & habere quinque excellentias in oratione requisitas, nimirum quòd sit secura, rata, ordinata, devota & humilis, explicat deinde singulas septem petitiones ejus.

Expositio Salutationis Angelicæ.

8. *Devotissima expositio Salutationis Angelicæ*, scilicet *Ave Maria*, opusculum 8. in quo breviter ostendit, quomodo hæc Salutatio *Ave Maria, &c.* tres contineat partes, quarum unam fecit Angelus, alteram Elisabeth, & tertiam Ecclesia: Angelus enim dixit, *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; Elisabeth dixit, *Benedictus fructus ventris tui*; & Ecclesia addidit, *Maria*; nam Angelus non dixit *Ave Maria*, sed *Ave gratia plena*: & ostendit posteà S. Thom. quomodo fuerit Maria gratia

tia

tia plena, quantum ad tria, scilicet 1. quantum ad animam, 2. quantum ad redundantiam animæ ad carnem vel corpus, & 3. quantum ad refusionem in omnes homines.

9. *Responsio de 42. articulis ad Joannem Vercellensem*, Magistrum Generalem Ord. FF. PP. opusculum 10. in quo breviter respondet S. Thomas super difficultates sibi de 42. articulis propositas à R. Patre Joanne de Vercellis Magistro Generali, licèt plures horum articulorum ad fidei doctrinam non pertineant, sed magis ad Philosophorum dogmata.

Responsio de 42. articulis.

10. *Responsio ad Lectorem Venetum de articulis 36.* opusculum 11. in quo per literas rogatus S. Doctor à Lectore Veneto, ut respondeat intra quatriduum de articulis 36. scripto designatis, breviter satisfacit, dilatis paulisper aliis quibus occupatus detinebatur negotiis.

Expositio de articulis 36.

11. *Responsio ad Gerardum Lectorem Bizuntinum* de sex articulis, opusculum 12. in quo pariter respondet S. Thom. ad sex quæstiones sibi propositas à charissimo sibi in Christo fratre Gerardo Bizuntino Ord. FF. Prædicatorum Lectore.

Responsio de 6. articulis.

12. *De differentia Verbi divini & humani* opusculum 13. in quo tradit tres esse differentias inter Verbum Dei, & verbum nostrum; prima est, quòd verbum nostrum sit priùs formabile quàm formatum; Verbum autem Dei est semper actu. 2. Quòd verbum nostrum sit imperfectum, Verbum Dei perfectissimum. 3. Quòd verbum nostrum non est ejusdem naturæ nobiscum, Verbum verò Dei sit ejusdem naturæ cum Deo.

De differentia Verbi divini.

13. *De natura & origine Verbi intellectus* opusculum 14. in quo eamdem quasi prosequens materiam, explicat naturam & originem Verbi per intellectum producti, seu quomodo procedat intellectus in productione Verbi.

De natura & origine Verbi.

14. *De substantiis separatis*, seu de natura Angelorum ad F. Reginaldum socium suum charissimum, opusculum 15. seu tractatus insignis, in quo ut excellentem Angelorum naturam explicet, priùs Antiquorum investigat de natura Angelorum placita, ut ipsemet sic expresè declarat, dum ait: *Intendentes igitur sanctorum Angelorum excellentiam utcumque depromere, incipiendum videtur ab his quæ de Angelis antiquitùs humana conjectura æstimavit; ut si quid invenerimus fidei consonum, accipiamus; quæ verò doctrinæ repugnant Catholicæ, refutemus.*

De substantiis separatis.

15. *De unitate intellectus contra Averroistas* opusculum 16. in quo Averroistarum refellens errorem, quo asserebant unum esse intellectum à corpore separatum, & illum omnium hominum unum, ait, quòd licèt ea de re multa jam conscripserit, quibus præfatus error confutatur, ut fidei repugnans Christianæ, iteratò tamen intendit illum confutare, & ostendere illum nedum contra fidei, sed etiam contra Philosophiæ documenta pugnare; sic enim ait: *Intendimus autem ostendere positionem prædictam non minùs contra Philosophiæ principia esse, quàm contra Fidei documenta.*

De unitate intellectus.

16. *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à Religionis ingressu*, opusculum 17. in cujus titulo satis D. Thomæ manifestatur intentio: quia insurrexerant olim, Romæ *Jovinianus*, & *Vigilantius* in Gallia; ille qui matrimonium virginitati, iste qui Euangelicæ paupertati divitum statum æquabat; sic Euangelica consilia, quantum in ipsis erat, reddentes inania: cùmque tempore S. Thomæ, novi essent Joviniani & Vigilantii discipuli homines à votorum observantia & à Religionis ingressu

Contra retrahentes à Religionis ingressu.

retra-

retrahentes, horum erroneam & pestiferam doctrinam impugnat & confutat hoc in opusculo sanctus Doctor.

De perfectione vitæ spiritualis.

17. *De perfectione vitæ spiritualis* opusculum 18. in quo quid intendat Doctor Angelicus, in ipso statim manifestat exordio dicens: *Quoniam quidam perfectionis ignari, de perfectionis statu vana quædam dicere præsumpserunt, propositum nostræ intentionis est de perfectione tractare, quid sit esse perfectum, qualiter perfectio acquiritur, quid sit perfectionis status, & quæ competant assumentibus perfectionis statum.*

Contra impugnantes Dei cultum & Religionem Mendicantium.

18. *Contra impugnantes Dei cultum, & Religionem*, præsertimque Mendicantium, opusculum 19. in quo *Guillelmum de S. Amore*, ejusque sequaces impugnat, & librum ejus adversus Mendicantes Religiosos editum refellit: ediderat enim, tempore S. Ludovici Galliarum Regis, Guillelmus de S. Amore Parisiensis Facultatis Doctor librum unum inscriptum de *periculis novissimorum temporum*, quo Religiosorum Mendicantium statum damnatum esse docebat; sed liber ille damnatus ab Alexandro IV. Rom. Pont. & egregiè refutatus ac solidè hoc in opusculo decimo nono à S. Thoma Angelico, & Parisiensis Facultatis, ac Mendicantium Ordinis Doctore.

De regimine Principum.

19. *De regimine Principum ad Regem Cypri libri* 4. opusculum 20. Quid præstet & intendat hoc in opusculo 4. in libros partito, & ad *Americum Lusignanum* Cypri Regem directo, manifestè declarat, dum sic incipit: *Cogitanti mihi quid offerrem Regiæ celsitudini, meæque professioni congruum & officio, id occurrit potissimè offerendum, ut Regi librum de regno conscriberem, in quo & regni originem, & ea quæ ad regis officium pertinent, secundùm Scripturæ divinæ auctoritatem, Philosophorum dogmata, & exempla laudatorum Principum, diligenter depromerem, juxta ingenii proprii facultatem; principium, progressum & consummationem operis ex illius expectans auxilio, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, per quem reges regnant, Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.*

De regimine Judæorum.

20. *De regimine Judæorum* ad Ducissam Brabantiæ opusculum 21. in quo, per literas interrogatus, respondet S. Thomas illustri ac nobili Dominæ Brabantiæ Ducissæ, quærenti quomodo se gerere deberet erga Judæos sibi subditos; v. g. an liceret sibi in Judæos exactionem aliquando facere; an liceret sibi eos pœna pecuniaria punire dum peccant; an bonum esset eos cogere signum à Christianis distinctivum in vestibus deferre, & alia similia.

De forma absolutionis.

21. *De forma absolutionis sacramentalis* ad Generalem Magistrum sui Ord. opusculum 22. contra cujusdam auctoris opinionem, asserentis sacerdotem absolvendo à peccatis, non debere uti ista forma, *Ego te absolvo*: quem mirè refellit & impugnat, sic incipiens: *Perlecto libello à vobis exhibito, inveni assertionem cujusdam valdè temerariam, dicentis quòd sacerdos absolvendo uti non debet hac forma, Ego te absolvo; quod quidem præsumptuosum judico, quia repugnat Evangelicis dictis: dicit enim Dominus Petro, Matth. cap. 16. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, &c.*

Expositio primæ decretalis de summa Trinitate.

22. *Expositio primæ decretalis de summa Trinitate & fide Catholica* ad Archiepiscopum Cudetinum, opusculum 23. in quo explicat S. Doctor primam illam decretalem, in qua summus Pontifex *Innocentius III.* in Lateranensi Conc. IV. proponit quidquid de Trinitate & de aliis ad fidem

fidem pertinentibus Catholica tenet Ecclesia, quamque ideò inscripsit de summa Trinitate & fide Catholica.

23. *Expositio super secundam decretalem* ad eumdem, opusculum 24. in quo explicat S. Thom. alteram ejusdem summi Pontificis decretalem, qua, post expositam in præcedenti fidei Catholicæ formam, *damnatur error Abbatis Joachim reprobare volentis doctrinam Magistri Petri Lombardi circa Unitatem divinæ essentiæ, & Trinitatem personarum.* Expositio super secundam decretalem Innocentii III.

24. *Tractatus de sortibus* ad Dominum Jacobum de Burgo, opusculum 25. in quo investigat & explicat S. Thom. in quibus rebus locum habeat sors, quis sit sortium finis, quis modus inquirendi per sortes, quæ & unde virtus earum, & utrùm eis uti liceat secundùm Christianæ Religionis doctrinam. De sortibus.

25. *De judiciis astrorum* ad fratrem Reginaldum, opusculum 26. Quæsierat à S. Thoma charissimus Fr. Reginaldus, an astrorum judiciis uti liceret; cui breviter hoc in opusculo respondet cum distinctione dicens: *Si aliquis judiciis astrorum utatur ad prænoscendum corporales effectus, puta tempestatem & serenitatem aeris, sanitatem vel infirmitatem corporis, vel ubertatem & sterilitatem frugum, & similia quæ ex corporalibus & actualibus causis dependent, nullum videtur esse peccatum ..... Sed pro certo tenendum est grave peccatum esse circa ea, quæ à voluntate hominis dependent, judiciis astrorum uti*; quia ut ait S. August. lib. 2. de doct. Christ. *tales astrorum observationes referendæ sunt ad quædam pacta cum dæmonibus habita: est autem omninò Christiano vitandum, pactum vel societatem cum dæmonibus habere, secundùm illud Apostoli* 1. ad Cor. cap. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* De judiciis astrorum.

26. *De æternitate mundi contra murmurantes* opusculum 27. in quo quærens S. Thom. utrùm mundus potuerit esse ab æterno creatus à Deo, ostendit totam quæstionis difficultatem in hoc sitam esse, an scilicet repugnet mundum esse creatum, & non habere durationis initium, & ostendit non repugnare. De æternitate mundi.

27. *De fato* opusculum 28. in quo quid præstet & intendat S. Doctor, satis declarat, dum illud incipiens sic ait: *Quæritur de fato an sit & quid sit, utrùm necessitatem imponat rebus, an scibile sit, & in quo genere causæ incidat, &c.* De fato.

28. *De principio individuationis* opusculum 29. in quo ostendit sanctus Doctor materiam primam esse primum principium individuationis formæ substantialis, accidentia verò individuari à proprio subjecto, in quo recipiuntur. De principio individuationis.

29. *De ente & essentia*, seu de quidditate entium opusculum 30. in *quo quia parvus error in principio, magnus est in fine, secundùm Philosophum; ens autem & essentia sunt quæ primo intellectu concipiuntur, ut ait Avicenna; ideò ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad eorum difficultatem aperiendam, dicendum est quid nomine essentiæ & entis significetur, & quomodo in diversis inveniantur, & quomodo se habeant ad intentiones Logicales, scilicet genus, speciem & differentiam.* De ente & essentia.

30. *De principiis naturæ* ad fratrem Silvestrum, opusculum 31. in quo fusè disserit S. Doctor de principiis naturæ, sive de quatuor causis, efficienti scilicet & finali, materiali & formali. De principiis naturæ.

31. *De occultis operibus naturæ* ad quemdam militem opusculum 34. in quo respondet S. Thom. cuidam militi, à quo interrogatus fuerat de qui- De occultis operibus.

de quibuſdam corporum naturalium actionibus, quarum cauſa non apparet, ut v. g. quòd lapis moveatur ad medium, quòd magnes attrahat ferrum, &c.

De natura cordis.

32. *De motu cordis* ad Magiſtrum Philippum opuſculum 35. quod incipit: *Quia omne quod movetur, neceſſe eſt habere motorem, &c.* & in quo inveſtigat S. Thomas quænam ſit cauſa motus cordis, an ſit ab anima, & reſpondet ab anima eſſe.

De inſtantibus.

33. *De inſtantibus*, ſeu de natura inſtantis opuſculum 36. in quo ut durationis naturam explicet, priùs naturam inſtantis explicat dicens: *Quoniam omnem durationem comitatur inſtans, ideò ad naturam durationis aperiendam, de natura inſtantis oportet aliquid dicere: horum enim alterius notitia ad alterius cognitionem valet; at quia compoſita ſunt nobis notiora ſimplicibus, & diviſibilia indiviſibilibus, ideò à temporis notitia incipiendum eſt, ut per ipſum ad inſtantis cognitionem, & inde ad diverſarum durationum notitiam faciliùs poſſit perveniri.*

De oppoſitis.

34. *De oppoſitis* opuſculum 37. in quo fusè diſſerit de quatuor oppoſitorum generibus, videlicet de oppoſitis contradictoriè, de oppoſitis privativè, de oppoſitis contrariè, & de oppoſitis relativè.

De fallaciis.

35. *De fallaciis ad quoſdam nobiles artiſtas* opuſculum 39. in quo ut recta fiat ratiocinatio, & falſa vitetur, varias aperit & explicat fallacias, quæ inter diſputandum & ratiocinandum contingere poſſunt.

De propoſitionibus modalibus.

36. *De propoſitionibus* modalibus opuſculum 40. in quo explicantur varia modalium propoſitionum genera, & priùs quid ſit modus, ſic incipiens: *Quia propoſitio modalis à modo dicitur, ad ſciendum quid ſit propoſitio modalis, oportet priùs ſcire quid ſit modus; eſt autem determinatio adjacens rei, quæ quidem fit per adjectionem nominis adjectivi, quod determinat ſubjectum, ut cùm dicitur, homo eſt albus, vel per adverbium quod determinat verbum, ut homo currit benè, &c.*

De eruditione Principum.

37. *De eruditione Principum libri* 7. hoc eſt opuſculum in Bibliotheca Vaticana repertum, at nunc primò in lucem editum in editione Romana & 7. in libros partitum, variiſque documentis ad inſtructionem Principum ſpectantibus ita refertum, ut in 1. libro agatur de quibuſdam in communi, quæ ad Principes pertinent, in 2. oſtendatur quomodo ad Deum & Eccleſiam ejus ſe habere debeant, in 3. quomodo ad ſe ipſos, in 4. ad eos qui ſunt circa ipſos, in 5. quomodo ad eos qui ſunt ex ipſis, ſcilicet ad filios, in 6. quomodo ad populum ſibi ſubditum, in 7. quomodo ad eos qui ſunt contra ipſos, ſcilicet ad hoſtes, &c.

De natura accidentis.

38. *De natura accidentis* opuſculum 41. in quo quid intendat S. Thomas oſtendit, ſic incipiens: *Quoniam omnis cognitio humana ſenſu incipit, ſenſus autem propria objecta ſunt accidentia, ideò & accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quòd quid eſt, ut dicitur 1. de anima; de accidente igitur & ejus origine aliquid breviter dicemus.*

Officium Corporis Chriſti.

39. *Officium Corporis Chriſti*, opuſculum 57. à S. Thoma, juſſu Urbani IV. ſummi Pontificis conſcriptum. Urbanus enim IV. Pontificatu ſuſcepto, ſolemnitatem Corporis Chriſti cum proceſſionibus & octavis à cunctis fidelibus celebrandam inſtituit, pro quibus indulgentias conceſſit maximas, & Officium ejus ex veteris Teſtamenti ſignis per D. Thomam Aquinatem cenſuit eſſe componendum.

De venerabili Sacramento altaris.

40. *De venerabili Sacramento altaris* opuſculum 58. in quo fusè diſſerit S. Doctor de tribus cauſis inſtitutionis Sacramenti Corporis Chriſti, quæ

quæ sunt *memoria Salvatoris*, *sacrificium altaris*, *cibus hominis*, & deinde de multis aliis, quæ respiciunt formam seu modum illud fidelibus dandi, vel usum ejus.

41. *Expositio in librum Boethii de Hebdomadibus*, opusculum 69. in quo exponit S. Thom. librum quem Boethius de suis conceptionibus edidit: *Qui de Hebdomadibus dicitur*, id est, *de editionibus*, *quia in Græco Hebdomada idem est quod editio*, inquit S. Thom. *scribitque Boethius librum ad Joannem Diaconum Romanæ Ecclesiæ, qui ab eo petierat, ut ex suis Hebdomadibus, id est, editionibus dissereret & exponeret quamdam difficilem quæstionem, per quam solvitur quædam apparens contrarietas: dicitur enim quòd substantiæ, in quantum sunt, bonæ sunt, cùm tamen dicatur quòd substantiæ creatæ non sunt substantialia bona, sed hoc dicitur solius Dei proprium esse; quod enim convenit alicui in quantum est, videtur ei substantialiter convenire, & ideò si substantiæ creatæ in quantum sunt, bonæ sunt, consequenter videtur quòd sint substantialia bona, &c.* Expositio in librum Boethii.

42. *Præclaræ quæstiones super librum de Trinitate* ejusdem Boethii, opusculum 70. in quo varias movet & resolvit quæstiones super librum alterum ejusdem Boethii, quem ad *Symmachum* patricium Urbis conscripsit de Trinitate unius simplicis Dei. Præclaræ quæstiones super librum eumdem.

Hæc sunt genuina Angelici Doctoris opuscula; cætera verò istis inserta, & à nobis hìc prætermissa, non ideò credas prætermissa, quasi rejecta ut certò falsa & spuria, sed ideò tantùm relicta quia dubia, & ut dubia minoribus characteribus cusa in editione Romana, qualia sunt

1. Opusculum 9. *de articulis* 108. ad Magistrum Generalem. 2. Opusc. 32. *de natura materiæ & dimensionibus interminatis*. 3. Opusc. 33. *de mixtione elementorum*, licèt genuinum reputetur à S. Antonino. 4. Opusc. 42. *de natura generis*. 5. Opusc. 43. *de potentiis animæ*. 6. Opusc. 44. *de tempore*. 7. Opusc. 45. *de pluralitate formarum*. 8. Opusc. 46. *de natura materiæ & dim. interm.* & 32. de quo suprà. 9. Opusc. 47. *de natura Syllogismorum*. 10. Opusc. 48. *totius Logicæ Arist. summa*. 11. Opusc. 49. *de sensu respectu singularium*. 12. Opusc. 50. *de inventione medii*. 13. Opusc. 51. *de natura luminis*. 14. Opusc. 52. *de natura loci*. 15. Opusc. 53. *de intellectu & intelligibili*. 16. Opusc. 54. *de quo est, & quod est*. 17. Opusc. 55. *de universalibus*. 18. Opusc. 56. *de universalibus tractatus secundus*. 19. Opusc. 60. *de humanitate Christi*. 20. Opusc. 61. *de dilectione Dei & proximi*. 21. Opusc. 62. *de divinis moribus*. 22. Opusc. 63. *de beatitudine*. 23. Opusc. 64. *de modo confitendi*. 24. Opusc. 65. *de officio sacerdotis*. 25. Opusc. 66. *expositio Missæ*. 26. Opusc. 67. *de emptione & venditione*. 27. Opusc. 68. *epistola brevis exhortatoria*. 28. Opusc. 71. *de vitiis & virtutibus*. 29. Opusc. 72. *de concordantiis dictum*. 30. Opusc. 73. *de usuris in communi, & de usurarum contractibus*.

Objicies 1. cum Launoio, Summam Theologiæ non esse sancti Thomæ, & hoc unico præsertim & quasi palmari negativo motus argumento; quòd scilicet *Clemens VI.* Pontifex maximus, in sermone S. Thomæ cursim omnia recensens S. Thomæ scripta, nullam omninò de Theologiæ Summa mentionem faciat, idque ex vetusto constare manuscripto Codice celebris Bibliothecæ illustrissimi Domini *Tellerii*, insignis Ecclesiæ Remensis Archipræsulis, Galliæque Ducis ac Paris; ergo, &c. Resp. futile esse ac leve hoc Launoii argumentum, ex eoque nihil concludi, quia negativo; Summa Theologica ut genuinus

S. Thomæ fœtus defenditur contra Launoium.

præsertim cum aliunde plura sint in contrarium argumenta positiva petita. 1. Ex fide Auctorum, variorumque manuscriptorum Clemente VI. vetustiorum. 2. Ex perpetua totius Ordinis FF. Prædicatorum, & à nullo hactenus impugnata traditione. 3. Ex Parisiensis, ex Salmaticensis Academiæ, omniumque eruditorum suffragio. 4. Ex facto Concilii Tridentini, præfatam Theologiæ Summam venerantis & agnoscentis ut germanum S. Thomæ fœtum, dum sess. 22. suum de Sacrificio Missæ suspendit decretum, & ad examen revocat, ne quid Summæ sancti Thomæ inferatur adversum; jam enim à majori parte Concilii Patrum judicatum erat, definiendum esse Christum, Apostolos suos, Sacerdotes instituisse in ultima cœna, dum dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed reclamante & refragante è Patribus uno, hoc pugnare in S. Thomæ Theologicæ Summæ doctrinam, suspensum est tantisper decretum, suspensa definitio, inquisitum de facto, & sufficienti perquisitione facta, cùm Patribus innotuit omnibus nihil ibi in Summæ S. Thomæ pugnare doctrinam, ultra progressum est, & editus canon ille sess. præfatæ. 22. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; anathema sit*. 5. Denique ex eo quòd ipsa Summa indicet, se S. Thomæ fœtum esse; nam ex ipsa Summa constat eam ab eodem Auctore esse, à quo Commentaria in 4. sententiarum libros, cùm Auctor Summæ citet interdum, quæ ibi junior dixit: atqui ex omnium consensu, & ex ipso etiam Clemente VI. illa Commentaria in 4. sententiarum libros, sunt à S. Thoma Auctore; ergo etiam Summa Theologiæ: cujus si mentionem non fecerit Clemens VI. inter concionandum, alia recensens S. Thomæ opera, multiplex potest esse causa; ut v. g. memoriæ lapsus, vel quia Summam S. Thomæ existimavit opus ita omnibus notum, tanquam genuinum sancti Thomæ fœtum, ut non crediderit ibi tunc recensendum, sed alia cætera opera non omnibus ita nota.

Objicies 2. cum aliis. Ea quæ in secunda secundæ parte Summæ leguntur, iisdem verbis reperiuntur in 3. libro Speculi moralis *Vincentii Bellovacensis*: sed illa non hausit ex S. Thoma Vincentius, cùm obierit Vincentius ille an. Dom. 1256. & S. Thomas, qui in extrema ætate Summam scripsisse dicitur, obierit anno Domini 1274. ergo vel S. Thomas hæc hausit ex Vincentio, vel non est S. Thomæ hæc secunda secundæ Summæ Theologiæ pars, & proinde nec aliæ ejusdem Summæ partes; ergo. Resp. 1. cum *Bellarmino*, non esse credibile S. Thomam ex alio hanc suam secundam secundæ hausisse partem, sed videri dicendum Speculum illud morale non esse Vincentii Bellovacensis, sed alicujus alterius scriptoris, qui Vincentius pariter fortè dicebatur ut ille; idque colligendum videri ex eo quòd hujus morale speculum multò gravius, alteriusque videatur styli esse, quàm Speculum doctrinale, naturale, & historiale, quæ tria sunt indubitata Vincentii Bellovacensis opera. Resp. 2. Eumdem Auctorem esse secundæ secundæ partis, ac primæ & tertiæ, nec illum S. Thoma antiquiorem esse, cùm citet sæpè in illa secunda secundæ parte, ea quæ dixit in prima parte, ut patet ex multis hujusce partis locis; sed præsertim, aliis omnibus omissis, ex illo solo quæst. 9. art. 3. ad 3. ubi sic ait: *Cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo divinæ essentiæ, ut patet ex iis quæ in 1. parte dicta sunt* quæst. 12. art. 2. ergo si nec 1.

pars, nec 3. nec 1. secundæ sint Vincentii Bellovacensis, ut fatentur omnes, ita nec 2. secundæ. Resp. 3. alii, non ante, sed post S. Thomam, obiisse Vincentium Bellovacensem, ipsumque suo in Speculo naturali nominatim citasse Thomam de Aquino 2. secundæ quæst. 175. art. 1. in argumento 1. quæ si admittatur responsio, cessat difficultas omnis.

ARTICULUS XLIV.

De sancto Bonaventura. 1274.

S. Bonaventuræ patria, parentes, professio, doctes, gesta, Cardinalatus, obitus, & scripta, quæ sunt.

Sanctus Bonaventura vir fuit natione Italus, Balneoregii in Tuscia Italiæ flore, claris parentibus ortus, patre scilicet *Fidentio* & *Ritelia* matre, anno Christi 1221. & ante Beati *Francisci* FF. Minorum Seraphici Patris obitum, annis quinque: qui dum puer & ferè infans adhuc gravi correptus morbo desperatus esset à Medicis, & creditus morti proximus, pia mater & afflicta *Ritelia* ad Beati Francisci recurrit preces, infirmum & ad extrema reductum ei commendat filium, enixè rogans, ut pro illo Dei miserantis imploret opem; promittens interim & Deo intimè vovens se illum, si revaluerit, Religioni Franciscanæ dicaturam: & reipsa Dei miserantis gratia contigit, ut dilectus & amabilis convaluerit puerulus; qui posteà vigesimum & alterum percurrens annum, voti materni conscius & memor, nedum sponte ac devotè, sed mirabili cum fervoris exemplo, Seraphici Ordinis Franciscanum induit habitum.

Quo in Ordine sancto adscriptus ita sanctè se gessit, ita sanctè in omnibus & per omnia vixit, ita B. Francisci Seraphici patris vitam suis sanctis moribus expressit, ut peracto à sua professione septennio, cùm Lutetiam Parisiorum venisset, ibique per tres annos *Alexandrum Alensem* celeberrimum Ordinis Seraphici, & Parisiensis Academiæ Magistrum audiisset, suæ vitæ sanctitate, & morum innocentia meruit, ut dixerit ejus in laudem Alensis ille Alexander, cognomine Doctor *irrefragabilis*, non videri Adamum in Bonaventura peccasse; quique nedum morum innocentia, sed insuper tanta eruditionis fama claruit & eminuit, ut eodem die, quo S. Thomas Aquinas ex Ordine FF. Prædicatorum, ipse ex Ordine FF. Minorum Doctoris infula decoratus, & ex hoc ut Theologiam publicè doceret Magister electus; eoque Magisterio docendi ita præclarè functus, & tanto cum omnium applausu, ut celeberrimus Academiæ Cancellarius non erubuerit de illo dicere *Gerso*, se nescire an Bonaventuræ similem habuerit unquam studium Parisiense Doctorem: *Fuit enim Bonaventura in scribendo solidus & securus, pius, justus & devotus... Sint alii Doctores qui dicantur Cherubici, Bonaventura Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum, & erudit intellectum*: In quo, Gersoni Cancellario mirè consonat & congruit Trithemius Abbas, in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro, dum de Seraphico Doctore nostro loquens, sic ait: *Profundus est, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba proferens.... multi doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi; pauci scribendo libros, docuerunt utramque: Bonaventura autem & multos superavit & paucos, dum ejus doctrina devotionem, devotio doctrinam instruit.*

Unde non mirum videri debet, si vir tot dotibus ac meritis clarus, decimo tertio suæ Franciscanæ professionis anno, Romæ, communi Fratrum suffragio, & præsente *Alexandro IV.* Romano Pontifice, fuerit totius Ordinis Generalis Minister electus, post B. Franciscum septimus, anno Christi 1256. ut testis est ipse humiliter & non præsumptuosè aut superbè loquens, dum ait: *Ego peccator, qui loco illius patris Beatissimi nostri Francisci, post ejus transitum, septimus in Generali Fratrum ministerio per omnia indignus succedo.* Quo sibi recens credito dum fungitur Ministri Generalis officio, pro restauranda sensim collapsa Ordinis Seraphici disciplina, multa gessit, multa tulit, multa suscepit, alios adiit, alios accersivit, alios monuit, alios arguit, obsecravit & increpavit in omni patientia, & omnibus omnia factus, omnibus, toti Ordini, & Ecclesiæ profuit; sed Ecclesiæ præsertim & maximè profuit, dum Viterbii post Clementis IV. Romani Pontificis obitum, per triennium ferè unum, hoc est, per duos annos & menses novem, congregati non convenirent inter se Cardinales pro novi supremi Pontificis electione, convenere tamen omnes & unanimi voce compromisere, ut is unus omni semota discordia verus Pontifex haberetur, quem Bonaventura designaret, etiamsi seipsum eligeret; ipse verò vir sanctus non quærens quæ sua sunt, sed quæ Christi & Ecclesiæ, nec seipsum, nec è præsentibus Cardinalibus ullum, sed absentem & in Oriente pro Christi & Ecclesiæ causa degentem nominavit *Theobaldum* Placentinum è familia Vicecomitum, & Leodiensem Archidiaconum, virum pietate & religionis zelo clarum, qui Gregorii nomine sumpto, *Gregorius X.* est appellatus, & de quo ejus electionis occasione sic lepidè ac metricè dictum:

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.

Is est ille summus Pontifex *Gregorius X.* nomine dictus, qui posteà pro Græcorum cum Latinis unione, Lugdunense secundum Concilium œcumenicum indixit, anno Christi 1274. quique Bonaventuram nostrum cum S. Thoma Aquinate, & insignibus nonnullis Doctoribus aliis ad Concilium venire jussit. Lugdunum usque non pervenit *Thomas* Aquinas, in itinere dum veniret morte raptus: pervenit cum aliis *Bonaventura*, Seraphici Ordinis Minister Generalis, Concilio interfuit & claruit, ibique licèt reluctans S. R. E. Cardinalis & Albanensis Episcopus est à summo Pontifice creatus; sed tandem post quartam Concilii Sessionem felici morte sublatus obiit, & in cœlum abiit die 14. Julii, anno Christi 1274. & ætatis suæ 53. quem post obitum funebri ac luculenta laudavit oratione Petrus à Tarantasia S. R. E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis, & post *Gregorium X.* Pontifex summus *Innocentius* nomine Quintus, sumpto pro themate hoc lamentabili Davidis textu 2. Reg. cap. 1. vers. 26. dicentis, *Doleo super te mi frater Jonatha.* Quem deinde *Sixtus IV.* omnibus solemni de more ritè servatis, in Sanctorum catalogo jussit adscribi, anno 1482. & quem inter alios Ecclesiæ Doctores haberi jure merito decrevit *Sixtus V.* omniaque ejus opuscula diligenter, & summo cum examine undique conquisita, octo in tomos distributa luci publicæ dari curavit; quæ quia numero multa, hìc non juvat designare singulatim omnia, sed selecta tantùm & ad scopum Theologiæ spectantia præcipua.

Scripta

Scripta S. Bonaventuræ præcipua.

1. *Expositiones* in Scripturam sacram variæ, quæ habentur in primo tomo, quales sunt, 1. liber ille qui inscribitur, *principium Scripturæ sacræ*; qui licèt non sit propriè expositio alicujus sacræ Scripturæ libri, est tamen talis, ut in eo de universæ Scripturæ sacræ præstantia mira dicat, ejusque singulos libros numerando tangat, & mirè, breviter & eruditè refellat insipientes eos, qui in eam quatuor genera defectuum impingere solent, scilicet injustitiæ, insipientiæ, inhonestatis & superfluitatis; dicatque inter alia, novum Testamentum nihil esse aliud, quàm vetus spiritualiter expositum, & novum in veteri tanquam rotam in rota contineri. 2. *Expositio in hexaemeron*, seu illuminationum insigne opus, hoc est, liber qui inscribitur, *illuminationes Ecclesiæ in hexaemeron*; in quo S. Bonaventura opus sex dierum à Moyse narratum, 23. Sermonibus exponit, quos ideò illuminationes Ecclesiæ, seu visiones quinque vocat, quia in his exponit hæc quinque Moysis verba, *Vidit Deus quòd bonum esset*, quæ quinque diebus, hoc est, singulis sex diebus, excepto secundo, repetita leguntur 1. cap. Gen. 3. *Expositio in Psalterium*, *in Ecclesiasten*, *in Sapientiam*, *in Lamentationes Jeremiæ Prophetæ*, & è novo Testamento *Expositio in sextum caput S. Matthæi*, qua in expositione agit de oratione Dominica, quam dicit esse orationem privilegiatam in tribus, nempe in dignitate, quia à Christo composita; in brevitate, ut citiùs discatur, meliùs retineatur & frequentiùs dicatur; in fecunditate, quia omnes petitiones continet, & utriusque vitæ necessaria complectitur, & in cujus fine explicans *amen*, notat vocem illam *amen* in Scriptura sumi tripliciter, nempe nominaliter, adverbialiter & verbialiter. Nominaliter sumitur in Apocalypsi cap. 3. vers. 14. dum dicitur: *Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei*; adverbialiter sumitur, ut Joan. c. 21. v. 18. dum dicitur Petro: *Amen amen dico tibi*; & verbialiter, ut Matth. cap. 6. in fine orationis Dominicæ dum dicitur *amen*, id est, omnia prædicta fiant nobis ex tua gratia, ut explicat ibi Seraphicus Doctor noster Bonaventura: & 4. denique *Expositio in Euangelium S. Lucæ*. In cujus expositionis procemio ostendit, hoc sancti Lucæ Euangelium quatuor præcipuas habere partes, dicens: *In 1. agit de incarnationis mysterio usque ad quartum capitulum. In 2. de prædicationis magisterio usque ad vigesimum secundum. In 3. de passionis medicamento usque ad vigesimum quartum. In 4. de resurrectionis trophæo usque ad finem totius libri.* Expositiones in Scripturam variæ.

2. *Commentaria in 4. Magistri Sententiarum libros*, hoc est, præter expositionem in Euangelium S. Lucæ, & post illam in Euangelium S. Joannis, collationes in eumdem & commentarium in caput Matthæi sextum; expositiones insuper illæ mirabiles, graves, & copiosæ, quæ reperiuntur in quarto & quinto tomo, quibus Seraphicus Doctor Parisiis exposuit olim, & commentariis illustravit egregiis quatuor Petri Lombardi Sententiarum libros, quarum expositionum luculenta doctrina mirificè delectatus est summus Pontifex Clemens IV. vir eruditus & sanctus, & quo ex opere tantam sibi sapientiæ laudem comparasse dicitur sanctus Doctor, ut illis temporibus quidquid occurreret explicatu difficile, S. Bonaventura ut peritus & sanctus adhiberetur arbiter. Commentaria in Sententiarum libros.

Sententiæ Sententiarum carmine digestæ.

3. *Sententiæ Sententiarum carmine digestæ*, seu quatuor Magistri Sententiarum libri carmine digesti, hoc est, opusculum illud sive libellus, qui habetur in 1. opusculorum libro, in quo brevibus sententiis carmine digestis Seraphicus Doctor exponit ea, quæ continentur in quatuor præfatis Magistri Sententiarum libris, præmittens proœmium carmine pariter digestum, in quo quatuor animalibus quatuor Sententiarum libros comparat, & quid in unoquoque tractetur libro, sic miro artificio demonstrat.

I.

In primis Aquilæ primus liber assimilatur,
Quo de divina natura notificatur,
Et de personis distinctè clarificatur.

II.

Humana specie reliquus liber effigiatur,
Quo cælum, terra, cunctorum forma creatur,
Hinc homo plasmatur, cui totum subjiciatur,
Ejusdem lapsus & peccatum replicatur.

III.

Tertius in vitulo perpulchrè significatur,
Cujus consperfus homo sanguine vivificatur,
Sumpsit ob hoc carnem, disponens quod patiatur,
Præcipit & donat, beat, ornat, gratificatur.

IV.

Advenit in quarto, Leo de Juda dominatur,
Per Sacramenta sibi mundus reconciliatur,
Et servis ejus mundus servire paratur;
Quæ fuerat cæca, jamdudum gens oculatur:
Ejus rugitu mundus trepidus agitatur;
Defuncti surgunt, & judicium celebratur.
Inde coronatur justus, reus igne crematur:
Gloria seu pœna per sæcula perpetuatur.

Sermones de variis argumentis varii.

4. *Sermones de diversis argumentis varii*, hoc est, Sermones de tempore, de Sanctis totius anni, de Sanctis in genere sive in communi, qui habentur in tertio tomo; vel de decem præceptis Sermones alii, qui reperiuntur in secundo opusculorum tomo; tot enim scripsit vir sanctus in suo vitæ decursu, ut nullum festum diem alicui Sancto, vel Apostolo, vel Euangelistæ, vel Martyri, vel Confessori, vel Virgini sacrum prætermiserit, in quo Sermonem aliquem, vel plures, vel saltem unum non habuerit, præter illos alios qui sunt de adventu Domini, de Quadragesima, de Dominicis per annum currentibus, cæterisque primariis festivitatibus aliis, in quibus omnibus, sicut & in suis opusculis aliis devotionem cum doctrina conjunxit mirabilem.

Ex

Ex Opusculis aliis præcipua sunt.

1. *Opusculum seu liber de reductione artium ad Theologiam*, in quo copiosè demonstrat eximius Ecclesiæ Doctor S. Bonaventura, quomodo inferiores omnium scientiarum & artium cognitionum illuminationes, quasi ancillæ reducantur ad lumen Scripturæ sacræ, & famulentur Theologiæ divinæ tanquam dominæ; & inde concludit, quòd cùm tota Scripturæ sacræ intentio tendat ad charitatem, charitati pariter inniti debet omnis scientiarum & artium cognitio, ut sic ex ea verus & uberrimus percipiatur scientiarum fructus: quis autem esse debeat scientiarum fructus, concludendo sic explicat dicens: *Et hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes quæ sunt in unione sponsi & sponsæ; quæ quidem unio fit per charitatem, ad quam terminatur tota intentio sacræ Scripturæ; & per consequens omnis illuminatio desursum descendens; & sine qua omnis cognitio vana est, quia numquam pervenitur ad Filium nisi per Spiritum Sanctum, qui docet nos omnem veritatem.* Liber de reductione artium ad Theologiam.

2. *Breviloquium*, hoc est, opusculum illud mirabile, ex eo Breviculum appellatum, quòd in eo Doctor sanctus Theologiæ instituta atque præcepta summatim & breviter exponat; estque divisum in prooemium, & tractatum: in prooemio, Scripturæ ortum, progressum, statum, latitudinem, longitudinem, profunditatem, sublimitatem, eamque interpretandi modum exponit; in tractatu verò septem in partes diviso, ita procedit, ut in prima illius parte de Trinitate Dei agat, in 2. de creatura mundi, in 3. de corruptela peccati, in 4. de Incarnatione Verbi, in 5. de gratia Spiritus Sancti, in 6. de Medicina sacramentali, & in 7. de statu finalis judicii, quodque opusculum scripsit S. Doctor, ut sociorum suorum precibus pareret, sicut ipsemet testatur in fine prooemii dicens: *Rogatus à sociis ut pro paupere portiuncula scientiolæ nostræ aliquid breve in summa dicerem de veritate Theologiæ, eorumque precibus devictus assensi, breviloquium quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis oportuna ad tenendum breviter tangerentur, addens simul cum hoc rationem aliquam ad intelligendum, secundùm quod occurrebat pro tempore.* Breviloquium.

3. *Centiloquium* quod compendium Theologiæ dicitur; in quo rudem Theologiæ Candidatum de generalibus Theologię principiis instruit eximius noster Ecclesiæ Doctor; quodque, quia centum Sectiones continet, ideò Centiloquium appellat, & de quo in fine prooemii, sic ait: *In adminiculum parvulorum, rudis rogatus à rudibus rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas, circa generalia Theologiæ, saltem ruditer poterit erudiri, & ex lacte infantiæ ad cibum solidum, prævia Dei gratia, cum sensus industria præparari. Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi; quod cùm & centum recipiat Sectiones, Centiloquium poterit appellari; cujus continentia ut faciliùs pateat requirenti, præmittuntur centum tituli Sectionum, quæ ex quatuor partibus distinguuntur; in universo enim agitur de quatuor in præsenti opusculo, primò scilicet de malo sub ratione culpæ, secundò de malo sub ratione pœnæ, tertiò de bono sub ratione gratiæ, quartò de bono sub ratione gloriæ.* Centiloquium.

4. *Pharetra*, hoc est, egregium illud Seraphici Doctoris opusculum, quod, quia variæ in eo reconduntur SS. Patrum auctoritates, quibus quasi Pharetra.

ſagittis antiquus dejici poſſit hoſtis, ideò pharetram inſcripſit, & quatuor in libros diſtinxit, ut ipſemet S. Doctor in præfatione docet, dum ait: *Diſtinxi autem opuſculum iſtud per quatuor libros, ut dicatur liber primus de perſonarum varietate, ſecundus de principalium vitiorum & virtutum multiplicitate, tertius de periculoſis, quartus de gratioſis. In unoquoque libro poſui quinquaginta capitula, quia talis numerus jubilæi eſt figurativus; opuſculum autem iſtud pharetram appellavi, quia ſicut in pharetra jacula reponuntur, quibus hoſtis hoſtem ferit, vulnerat & dejicit; ſic & hæ variæ auctoritates fide dignorum, quas ſi manu operationis tenemus, hoſtem antiquum dejiciemus.*

Declaratio terminorum.

5. *Declaratio terminorum Theologiæ*, hoc eſt, illud aliud ejuſdem Seraphici Doctoris opuſculum, breve quidem, ſed mirabile, Theologiæque tyronibus & candidatis perutile, in quo breviter & elucidè præcipui declarantur & definiuntur termini, quorum frequens eſt & neceſſarius uſus in tractandis ſcientiæ Theologicæ materiis; quique ita tractantur & explicantur hoc in opuſculo, ut non tam terminorum declaratio videatur iſte libellus, quàm compendioſiſſimum aliquod totius Theologiæ compendiolum omni compendio longè brevius.

De ſeptem donis Spiritus Sancti.

6. *De ſeptem donis Spiritus Sancti*, hoc eſt, opuſculum illud quod habetur in primo tomo, ſicut & alia præfata, quod eſt ſatis diffuſum, & duas in partes ita diſtributum, ut in prima agatur de donis Spiritus Sancti in genere, in ſecunda verò de iiſdem in ſpecie: & licèt S. Doctor Seraphicus de iſta materia diſſerat variis in tractatibus aliis, hoc tamen in opuſculo de Spiritus Sancti donis multò fuſiùs agit.

Diæta ſalutis.

7. *Diæta ſalutis*, hoc eſt, egregium Seraphici Doctoris opuſculum aliud, totum ſacræ Scripturæ locis refertum, egregiis ſimilitudinibus ornatum, artificio mirabile, & Dei verbum ex officio prædicantibus utile; quodque ideò *diætam ſalutis*, ſive viam ſalutis inſcripſit, quia in eo eò unicè tendit, ut errantes dirigat, & in viam ſalutis reducat, ſeu quomodo ſit progrediendum in via ſalutis oſtendat; diæta enim varias licèt ſignificationes habeat, viam ſeu iter unius diei præſertim ſignificat; & quia hæc ſalutis diæta ſive via qua progrediendum eſt, ut perveniamus ad terminum, ſcilicet ad Patrem, novem ſpeciales alias habet, ideò pro ſingulis illis novem ſpecialibus viis ſive diætis, & illarum termino ſive gloria, decem varia in capita diſtributos habet titulos opuſculum iſtud: novem autem diætas ſic notat ſanctus Doctor dicens in proœmio: *Nota quòd hæc via ſalutis habet ſpecialiter novem diætas. Prima eſt à peccato ad pœnitentiam tanquam ad medicinam & remedium peccatorum; ſecunda eſt à pœnitentia ad præcepta; tertia eſt à præceptis ad conſilia; quarta eſt à conſiliis ad virtutes tanquam ad inſtrumenta, quæ docent operari rectè; quinta eſt à virtutibus ad dona Spiritus Sancti, quæ docent operari faciliter & expeditè; ſexta eſt à donis ad beatitudines, quæ docent operari perfectè; ſeptima eſt à beatitudinibus ad fructus Spiritus, qui docent operari delectabiliter & delicioſè; octava eſt à fructibus ad judicium; nona eſt à judicio ad cœlum.*

Meditationes vitæ Chriſti.

8. *Meditationes vitæ Chriſti*, hoc eſt, S. Doctoris opuſculum doctrina, pietate ac devotione plenum; cui meditationes vitæ Chriſti ideò titulus eſt, quia in eo S. Doctor ſpiritualem filiam ut in perfecto virtutum exercitio dirigat, ei ſanctam Chriſti vitam aſſiduè meditandam proponit, opuſculumque generatim in ſex partes ita diſtribuit, ut prima pars ſit de iis quæ Incarnationem Domini præceſſerunt, ſecunda de ipſa Incarnatione, tertia

de

de Christi nativitate, quarta de toto Christi Domini vitæ cursu, quinta de ejus sanctissima passione & morte, sexta de Christi resurrectione, & ejus ad cœlos ascensione: cujus opusculi procemium sic incipit dicens: *Inter virtutum & laudum præconia de sanctissima virgine Cæcilia legitur, quòd Euangelium Christi absconditum semper portabat in pectore. Quod sic intelligi debere videtur, quòd ipse de vita Domini Jesu in Euangelio tradita, quædam sibi devotiora praelegerat, in quibus meditabatur die ac nocte, corde puro & integro, attentione præcipua & ferventi, & cum plena circulatione incipiens iterùm & dulci ac suavi gustu ruminans, ea in arcano pectoris sui collocabat.*

9. *Speculum B. Mariæ Virginis, sive Mariale*, hoc est, opusculum illud devotum & pium in decem & octo lectiones sive capita divisum, & sanctorum Patrum auctoritatibus totum ferè conspersum; in quo S. Bonaventura dilucidè simul & eruditè salutationem explicat Angelicam, & sanctissimæ Deiparæ Virginis dignitatem & excellentiam laudibus effert; unde ideò *Speculum B. Mariæ Virginis* dictum est opusculum istud, quia in eo velut imagines in speculo repræsentantur B. Virginis dotes, virtutes & dona, ut ipsemet indicat in prologo dicens: *Hinc est quòd ego pauper ingenio, imò pauperrimus tam scientia quàm eloquentia hoc exiguum donum, hoc pauperculum scriptum ad honorem tantæ Reginæ offerre præsumpsi, ut in ipso tanquam in quodam obscuro speculo simpliciores ejusdem Reginæ amatores, qualis & quanta sit, saltem tenuiter speculentur, & quia idem scriptum, ad instar rudis speculi, aliquantum repræsentativum est vitæ & gratiæ & gloriæ Mariæ; ideò non inconvenienter appellari potest speculum.*

Speculum B. Mariæ Virginis.

10. *De gradibus virtutum formula aurea*, hoc est, opusculum illud aureum, in quo S. Doctor Seraphicus, quasi per scalæ gradus, ad virtutum omnium apicem ascensum aperit, & ascendere monet, hortatur & suadet; ostendens v.g. de obedientia quòd altus obedientiæ gradus est obedire creatori Deo; altior videtur obedire homini in persona Dei, quasi obediremus ipsi Deo; altissimus verò obedientiæ gradus videtur obedire homini indiscreto & dyscolo in persona Dei: unde S. Pet. 1. cap. 2. ait: *Servi obedite dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Sic cap. 4. de Castitate similiter dicens: *Castitatis altus gradus est castitas conjugalis; altior vidualis; altissimus virginalis*: Sic cap. 8. de paupertate pariter dum ait: *Paupertatis, quæ est una de octo beatitudinibus, altus gradus est relinquere res temporales, altior relinquere amicos sæculares & spirituales, altissimus relinquere se ipsum, id est singularem sensum, amorem privatum, propriam voluntatem*; & sic de aliis virtutibus, ut cap. 3. de humilitate dicens: *Quòd humilitatis altus gradus est, cùm aliquis sponte subjicit se majori, hæc est debita; altior cùm subjicit se pari, hæc abundans est; altissimus cùm subjicit se minori, hæc superabundans est. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cùm veniens ad Jordanem subjecit se Joanni dicens: Sine modò: sic enim decet nos adimplere omnem justitiam, id est, humilitatem superabundantem, ut dicit glossa.*

De gradibus virtutum formula aurea.

11. *De pugna spirituali contra septem vitia capitalia*, hoc est, breve opusculum, in quo Doctor singulorum vitiorum, præsertim 7. capitalium naturas explicans, variasque machinas quibus hominem adoriuntur aperiens, & remedia quibus debellentur afferens, varia tradit homini Christiano utilia documenta, quibus si utatur in hac spirituali pugna, de septem his capitalibus vitiis victor existat: unde *de pugna spirituali contra septem vitia capitalia* præsens hoc opusculum inscripsit.

De pugna spirituali.

12. *Spe-*

Speculum animæ.

12. *Speculum animæ*, hoc est, opusculum aliud longè fusius atque copiosius, in quo idem S. Doctor de eodem ferè argumento, sed fusiùs disserens, ità capitalia vitia omnia, eorum progenies omnes, seu vitia cætera ex iis quasi radicibus orta, ita depingit & exhibet, ut hoc in opusculo sive tractatu, quasi in speculo facilè videre, & confessurus examinare quisque poterit, & in memoriam revocare omnia à se patrata scelera sibi hoc in opusculo quasi in speculo repræsentata: unde est quòd Speculum animæ dicatur opusculum istud.

Confessionale.

13. *Confessionale*, id est, opusculum aliud utilitate præcipuum, & Confessionale ideò nuncupatum, quia in eo S. Doctor sacerdotem Confessarium, cui incumbit regimen animarum, ad audiendas Confessiones informat & erudit; & ita procedit opusculum sive tractatum in capita quinque distribuens, & singula capita in varias particulas dividens, ut in primo capite ostendat qualiter se habere debeat in confessione Confessarius; in secundo capite instruat eum de interrogationibus in Confessione faciendis; in tertio de pœnitentiis juxta Canones pœnitentiales injungendis, & de ipsis Canonibus pœnitentialibus ibi notatis & annexis; in quarto de usu Clavium; & in quinto denique de irregularitatibus & dispensationibus copiosè disserat; idque humiliter & per obedientiam præstat S. Doctor, ut ipsemet indicat in præfatione dicens: *Præsens videlicet opusculum de informatione simplicium sacerdotum in confessionibus audiendis compulsus per obedientiam compilavi.*

Expositio Missæ.

14. *Expositio Missæ*, hoc est, opusculum unum, breve quidem sed doctrina & eruditione mirabile, in quo S. Doctor ita sacræ Missæ sacrificium exponit, ejusque celebrationem, partes, ritus & cæremonias ita minutim explicat singulas, ut nihil de his scitu necessarium relinquat intactum, & proferat nihil, quod non sit seria & vigilanti sacerdotum attentione dignum; quod præsertim attendant hi, qui hoc tam tremendum mysterium tam negligenter, leviter, irreverenter & indevotè persæpè celebrant.

Expositio in regulam FF. Minorum.

15. *Expositio in regulam Fratrum Minorum*, hoc est, opusculum illud, in quo S. Bonaventura sui Ordinis Minister Generalis, & boni Prælati fungens officio, cujus est subditos docere, dirigere, & corrigere, Fratrum Minorum sibi subditorum regulam explicat, hoc est, sanum eis exponit & aperit sensum regulæ S. Patris *Francisci*, quæ fuit approbata ab *Innocentio III.* confirmata ab *Honorio III.* & declarata à *Gregorio IX.* quæque sic incipit: *Regula & vita Minorum Fratrum hæc est: Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi sanctum Euangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus ejus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ, & alii Fratres teneantur Fratri Francisco & ejus successoribus obedire.*

Determinationes quæstionū circa regulam S. Franc.

16. *Determinationes quæstionum* circa regulam S. Francisci, hoc est, opusculum aliud, in quo S. Bonaventura quæstiones resolvit nonnullas, per modum objectionum agitatas adversus Religiosos omnes, sed præcipuè contra Fratres Minores, quibus objectionibus eruditè respondens, & satisfaciens ostendit plura, quæ dubia & mala videntur in Regula, nec dubia, nec mala esse; ut sic occasionem scandali tollat ab his, qui sinistrè & perversè detorquent & explicant quæ non capiunt.

Apologeticus in ad-

17. *Libellus apologeticus* in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur, hoc est, opusculum aliud præcedenti valdè affine, de eodem ferè argumento;

mento; quodque licèt ſolum Fratrum Minorum reſpiciat Ordinem, utile tamen iis præſertim eſſe poteſt, qui animarum regimini præſunt: in eo enim S. Doctor eruditione mirabili adverſariorum calumnias detegit varias, & quæſtiones ſive objectiones alias ſubtiliter & fusè reſolvit plurimas. versantes Ordini S. Franc.

18. *De paupertate Christi* contra Magiſtrum Guillelmum, hoc eſt, opuſculum ſive tractatus duas dumtaxat de paupertate complectens & reſolvens quæſtiones; quarum prima eſt de paupertate quoad abrenuntiationem, altera de paupertate quoad mendicationem. Prima quærit utrùm chriſtianæ perfectionis ſit, abrenuntiare omnibus tam in communi quàm in privato; altera quærit utrùm mendicare pro Chriſto ſit chriſtianæ perfectionis: & utrumque chriſtianæ perfectionis eſſe, fusè & eruditè reſpondet S. Doctor. Primum multis probat, ſed præſertim ex illo Matth. cap. 19. verſ. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*; quibus verbis abrenuntiare omnibus conſulit illi juveni, nec tamen ad manualia opera vocat illum, ſed vitam contemplativam: alterum verò probat multipliciter, & primò ex illo ejuſdem Matth. cap. 10. verſ. 9. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*: Sed taliter per mundum ire ſine neceſſariis ad vitam, perfectionis eſt Euangelicæ, & hoc eſt mendicare & vivere de eleemoſynis; ergo mendicare eſt perfectionis Euangelicæ, ut concludit ibi S. Bonaventura. De paupertate Christi.

19. *Apologia Pauperum*, hoc eſt, opuſculum ab eodem S. Bonaventura conſcriptum, ut Euangelicæ paupertatis excellentiam, meritum & utilitatem exponeret, & S. Franciſci Fratrum Minorum ſtatum ſecurum, meritorium, ſanctum & Deo gratum oſtenderet, contra adverſarios quoſcumque, ſed præſertim contra virum quemdam nomine Giraldum, Pariſienſem Doctorem, & malevolum regulæ S. Franciſci calumniatorem. Apologia pauperum.

20. *Biblia pauperum*, hoc eſt, aliud Seraphici Doctoris opuſculum, ſive tractatus omnibus quibus Dei verbum prædicandi munus incumbit perutilis & commodus; in eo enim S. Doctor varia è variis ſacræ Scripturæ locis exempla compilavit, & ordine alphabetico ita digeſſit, ut facilè quiſque poſſit, & nullo ſine negotio reperire & ſeligere ea, quæ ſibi pro ſermonum ac prædicationum argumentis viſa fuerint neceſſaria. Biblia pauperum.

21. *Compendium Theologiæ veritatis*; quod licèt non S. Bonaventuræ, ſed incerti credatur auctoris à nonnullis, & à Trithemio tribuatur Ægidio Romano, in ſuo lib. de Script. Eccl. ab aliis S. Thomæ eſſe dicatur, & Alberti Magni ab aliis; S. Bonaventuræ tamen eſſe perſuadetur ex multis, 1. ex eo quòd in pervetuſto Vaticano manuſcripto poſt finem reperitur ſic ſcriptum: *Compendium Theologiæ veritatis Bonaventuræ*. 2. Quia in alio non Vaticano ſed perantiquo ſimiliter codice reperitur depicta effigies S. Bonaventuræ è pulpito docentis. 3. Quia hujus opuſculi doctrina eſt valdè conformis doctrinæ S. Bonaventuræ, ut conſtat præſertim ex ejus Breviloquio ac Centiloquio: ſed quidquid ſit de hujuſce tractatus auctore, non ſpernendus, ſed Theologiæ candidatis multùm utilis eſt ſatis diffuſus ille tractatus, in quo de magnorum Theologorum ſcriptis breve compendium ita collegit auctor, illudque ſeptem in libros ita diſtinxit, ut dicat in proœmio: *Primus liber eſt de natura Dei. 2. De operibus conditoris. 3. De corruptela peccati. 4. De humanitate Christi. 5. De ſanctificatione gratiarum. 6. De virtute Sacramentorum. 7. De ultimis temporibus, & de pœnis malorum, ac præmiis bonorum. Sicubi ergo in hoc ſcripto deviavi, parcatur mihi,* Compendium Theologiæ veritatis.

quia

quia ignorans feci: ubi verò rectè processi, laudetur gratia Jesu Christi, ad cujus honorem & beatissimæ Matris ejus præsens opusculum compilavi.

Mystica Theologia. 22. *Mystica Theologia* est opusculum, quod non creditur à nonnullis S. Bonaventuræ, sed viri cujusdam Carthusiani, paucis tamen immutatis & auctis S. Doctori Bonaventuræ adscriptum: in cujus operis prologo auctor adducens hæc Jeremiæ verba: *Viæ Sion lugent, quòd non sit qui vadat ad solemnitatem*, dolet ipse quòd multi relicta vera sapientia, qua Deus solus perfectè interiùs colitur, vanis & inutilibus scientiis sese immergant, eisque quasi vanis idolis inserviant, & per veram sapientiam, mysticam Theologiam intelligit; quæque ut ipse vult, idem est quod *extensio amoris in Deum per amoris desiderium*; quæque non docetur ab ullo homine, quantumvis Doctore, sed immediatè à Deo solo, & ad quam ut quisque pervenire possit, etiam laicus, triplicem assignat viam, dicens: *Triplex est igitur via ista ad Deum, 1. scilicet purgativa, qua mens ad discendam veram sapientiam disponitur; 2. verò illuminativa dicitur, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur; 3. unitiva, qua mens super omnem intellectum, rationem & intelligentiam à solo Deo sursum actu dirigitur, &c.*

Sunt & alia plura S. Bonaventuræ Seraphici Doctoris opuscula egregia, erudita & pia, ut *soliloquium*, *itinerarium mentis in Deum*, *lignum vitæ*, *regimen conscientiæ*, *seu parvum bonum*, *de institutione novitiorum liber unus*, *de quinque festis infantiæ Christi*, *de sex alis Seraphim*, *de septem gradibus contemplationis*, *stimulus amoris*, *de profectu Religiosorum*, *legenda S. Francisci*, & alia hujusmodi plura, in quibus sicut & in omnibus suis opusculis aliis, quàm submissè de se sentiat, & quàm humilem se in omnibus ostendat, sic in suo libro confessionali his versibus expressit:

Sis mihi corrector resecando superflua lector;
Veraque digneris quæ desunt jungere veris.
Omnem defectum partim studio brevitatis,
Scribentis tribuas partim studio ruditatis.

Hìc habes, benevole Candidate, præcipuos, quorum scripta laudantur, & memoria benedicitur in Ecclesia, SS. Eccl. Patres. Sunt, fateor, & plures alii, qui passim in Ecclesia laudantur, tum SS. Ecclesiæ PP. tum celebres alii Scriptores eruditi, à quibus recensendis lubens abstineo, subjiciens articulum, in quo breviter prænotentur præcipui, qui de iis egere collectores varii.

ARTICULUS XLV.

De clarioribus illustrium Scriptorum Ecclesiæ Collectoribus.

Clariores Scriptorum Ecclesiasticorum Collectores. QUia passim audiuntur laudari nunc hi, nunc isti Ecclesiæ Patres, Doctores, Theologi, Historici, aliique Auctores tum sacri, tum profani, Orthodoxi, Heterodoxi, antiqui, recentiores, medii, plerisque ut plurimùm etiam laudantibus ignoti; ideò ne cum istis horum sola nomina noscas & tu, sed quasi ad manum habeas, quò scire quandoque valeas, qui sint, quid, ubi, & quando, & qua in arte vel scientia quisque claruerit,

juvat

juvat hìc breviter & curſim indigitare, non quidem omnes, ſed præcipuos ac celebriores *illuſtrium Scriptorum* collectores, apud quos horum omnium Auctorum, (quorum illuſtria paſſim audis citari nomina) diſcas & ſcripta & loca, dotes & tempora. Fuere autem hi illuſtrium Scriptorum præſertim Eccleſiaſticorum Collectores præcipui,

1. *Sanctus Hieronymus*, qui magno litterariæ Reip. bono, primus omnium, poſt Chriſtum natum, ad annum uſque 410. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis texuit catalogum*, non ita tamen accuratum, quin plures illorum omiſerit illuſtres, quos poſteà *Gennadii*, *Iſidori*, aliorumque ſubſequentium Collectorum cura recenſuit. Reperitur autem catalogus ille ſive libellus ad finem primi tomi librorum hujus Doctoris Eccleſiæ ſanctiſſimi, de quo ſuprà diximus plura, & inter alia, illum obiiſſe anno 420. S. Hieronymus.

2. *Gennadius Maſſilienſis* Eccleſiæ Presbyter, & non Epiſcopus, ut *Sigebertus* & *Platina* cenſuerunt, vivens tempore Anaſtaſii Imper. & *Gelaſii I.* Rom. Pont. ſcripſit, præter *libros* 8. *adverſus hæreſes omnes*, librum unum *de Eccleſiaſticis dogmatibus*, & inſuper edidit *de viris illuſtribus* alterum, ad annum uſque 490. perductum, in quo ſuæ non rectæ fidei ſuſpicionem reliquit aliquam, cùm in eo *Caſſianum* & *Fauſtum*, licèt Semipelagianizantes laudet, & *S. Proſperum* econtrà deprimat, qui ſtrenuè contra Pelagium pro Dei gratia pugnavit: ſed his depoſitis erroribus, obiiſſe creditur Gennadius anno 492. vel 493. Gennadius.

3. *S. Iſidorus* junior, ex Ordinis S. Benedicti Monacho, *Hiſpalenſis* Epiſcopus, qui *præter Etymologiarum librum* & alia plura, ſcripſiſſe fertur & alterum *de viris illuſtribus* librum, qui reperiri ſolet ejus inter opera, ſed ſub titulo S. Ildefonſi Toletani Epiſcopi. Obiit autem S. Iſidorus anno Chriſti 636. Ildefonſus verò 677. S. Iſidorus.

4. *Photius* natione Græcus, Senator primò Conſtantinopolitanus, & Michaeli Imperatori à Secretis primus, deinde in locum *Ignatii* Patriarchæ viri ſanctiſſimi perperam detruſi, Patriarcha ipſe Conſtantinopolitanus per nefas intruſus, magnæ quidem eruditionis, ſed majoris nequitiæ vir; qui præter Nomocanonem, id eſt Canonum collectionem, & *varias epiſtolas ac tractatus*, ingentem ſcripſit *Bibliothecam* 294. *Auctorum*, in qua non modò ſingulorum Auctorum libros, ſed & librorum capita, & capitum argumenta recenſet. Vivere deſiit anno circiter 886. Photius.

5. *Sigebertus Gemblacenſis Abbatiæ*, Ord. S. Benedicti in Brabantia Monachus, qui Gregorii VII. Rom. Pont. tempore vivens, prima ætate *Metis* poſitus, in S. Vincentii Cœnobio multos pueros erudiit, multaque ſcripſit, & inter alia, Hieronymum & Gennadium imitatus, librum *de viris illuſtribus* ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis texuit unum, ut ipſe teſtatur ad libri calcem, ubi ſeipſum ultimò inter Scriptores numerat Eccleſiaſticos, aliaque ſua recenſet opera, ſed præſertim eam quam texuit *Chronologiam* ab anno 381. continuando Gennadium uſque ad annum 1112. quo vivere deſiit & ipſe. Sigebertus.

6. *Honorius Auguſtodunenſis* Presbyter & Scholaſticus, qui præter *Commentarium in libros Salomonis*, *Chronicon*, & *Gemmam animæ*, ſcripſit libros 4. de *Luminaribus Eccleſiæ*, ſive *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*; ſicut & unum de hæreticis librum ad ſua uſque tempora, videlicet uſque ad annum à Chriſto nato 1220. Honorius Auguſtodunenſis.

7. *Henricus*, *Gandavenſis* vulgò dictus, quia Gandavi in Flandria natus, Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, vir eruditione magnus & cele- Henricus Gandavenſis.

celebris, Doctorque *ſolemnis* vulgò cognominatus, & Tornacenſis Archidiaconus; qui præter *egregium quodlibetarum opus*, *egregiaque in libros Phyſicorum Ariſtotelis commentaria*, & nonnulla alia, ſcripſit inſuper & unum *de Eccleſiaſticis Scriptoribus* catalogum uſque ad annum 1280. & obiit anno 1293. ætatis verò ſuæ anno 76.

Trithemius. 8. *Joannes Trithemius*, ſic dictus à ſuo natali vico in Germania prope Moſellam juxta Treviros ſito; unde natione Germanus, profeſſione verò Ordinis S. Benedicti Monachus, *Spanheimenſis Abbatiæ* primò, deinde Herbipolenſis Abbas; qui præter egregia opera alia, & hiſtorica ferè omnia, qualia ſunt *Chronicon Monaſterii Hirſaugienſis*, & Chronicon Monaſterii Spanheimenſis, & alia ſimilia, ſcripſit inſuper de *illuſtribus Germaniæ viris* librum unum, de *illuſtribus Ordinis S. Benedicti viris* alterum, & denique de *Scriptoribus Eccleſiaſticis generatim* unum, ab Apoſtolorum temporibus ad ſuam uſque ætatem, videlicet ad annum uſque 1494. quo in opere de 970. Auctoribus Eccleſiaſticis mentionem habuit; & obiit anno 1519.

Geſnerus. 9. *Conradus Geſnerus* Tigurinus Philoſophus & Medicus, qui præter medica opuſcula plurima, præter varios *de quadrupedibus*, *de avibus*, *de herbis & aliis* ejuſdem generis tractatus, ſcripſit inſuper *unam illuſtrium Scriptorum Bibliothecam* circa annum 1555.

Poſſevinus. 10. *Antonius Poſſevinus* natione Italus, patria Mantuanus, vir, *teſte Phil. Alegambo in Bibl. Script. S. J.* cui à prima ætate tantus ſciendi ardor inhæſerat, ut cùm ad quietem ſe noctu componeret, tibiam ad columellam alligaret, ut ubi primùm ſe à ſopore commoviſſet, eo velut monitore excitatus ad ſtudia ſurgeret, ex qua puerili ſolertia, ea utilis, quam ad ultimum uſque tenuit, orta eſt conſuetudo, ut interrupta noctu quiete, horas aliquot curis graviſſimis daret. Ætate maturus & humanioribus litteris perpolitus, aliiſque diſciplinis, & linguarum peritia cultus, annum ætatis percurrens 26. ſacrum Societ. Jeſu amplexus eſt inſtitutum, anno Chriſti 1559. & Sacerdos ordinatus anno 1561. Multas exinde ac periculoſas Religionis cauſa peregrinationes ſuſcepit. In Gallia per decennium verſatus, concionando vel diſputando Calvinianis graſſantibus fortiter reſtitit. In Sueciam, Poloniam & Moſcoviam à ſummis Pontificibus, præſertim Gregorio XIII. miſſus, varia magna ac difficilia cum variis Principibus ac Regibus feliciter peregit negotia, decennioque in his expeditionibus impenſo, jam gravis, & ſuſceptis pro Chriſto laboribus penè fractus, ad ſcribendum ſe totum convertit: ſcripſit enim varia & inter alia, præter brevem explicationem Euangeliorum totius anni, commentarium de rebus Moſcoviticis, & Bibliothecam ſelectam; texuit inſuper *Apparatum ſacrum & hiſtoricum* tres in tomos diſtributum, in quo Eccleſiaſticos Scriptores ferè omnes tam veteres quàm recentiores ordine recenſet alphabetico; obiitque Ferrariæ an. 1611. ætatis verò 78. Vide *Phil. Aleg. in Bibl. Script. S. J. & Aub. Mir.*

Bellarminus. 11. *Robertus Bellarminus* S.R.E. Cardinalis, natione Italus, patria Politianus, *Marcelli II.* Rom. Pont. ex ſorore nepos, qui ætatis annum percurrens decimum octavum, ſacrum S. J. amplectens inſtitutum, ſe Deo conſecravit anno Chriſti 1560. Liberales artes ſacramque Theologiam cùm didiciſſet, inauguratus Sacerdos Gandavi à Cornelio Janſenio Gandavenſi Præſule, ſacram doctrinam Lovanii primus è Societate docuit & profeſſus eſt, magna cum eruditionis, pietatis ac ſapientiæ laude. Romani Collegii deinde

deinde Rector electus, nondumque peracto triennio Neapolitanæ provinciæ Præpositus, tandemque Cardinali Toleto vita functo Romam venire jussus, & paulò pòst Cardinalitia purpura decoratus à Clemente VIII. Rom. Pont. cum hoc elogio: *Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam, & quia est nepos optimi & sanctissimi Pontificis.* Cùmque se subtrahere moliretur, sub anathemate vetitus est repugnare. Sic publicæ utilitati serviendo, inducta sunt Cardinalis indicia lacrymanti. Hinc factum, ut quamvis esset sacra purpura donatus, nihil tamen de pristina modestia mutaverit, suique omninò similis, & pauper Societatis Jesu Presbyter, & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis idem semper fuerit. Triennio post acceptam purpuram Ecclesiæ Capuanæ Archipræsul inauguratus ab eodem Clemente VIII. sacro acclamante Collegio, *dignus dignè*, sed dum vita functo *Clemente*, novus Pontifex *Paulus V.* vetuit Bellarminum à suo abire latere, cujus vellet consiliis plurimùm uti. Ea fuit ei causa Ecclesiæ Capuanæ renuntiandi, quòd nollet Ecclesiæ præesse, cui non se posset exhibere præsentem: unde tandem Romæ in domo probationis, inter fratrum preces leniter & sanctè spiritum Deo creatori suo reddidit an. 1621. die 17. Septemb. ætatis verò 79. varia & erudita relinquens scripta, inter quæ sunt ista, 1. præter *tres Controversiarum tomos* fidei christianæ adversus sui temporis hæreticos, in quibus de verbo Dei, de summo Pontifice, & de Conciliis fusè differit, præter *explanationem in Psalmos, & conciones sacras*, pluraque alia in hæreticos scripta, scripsit insuper & sua in ultima ætate revisit & expolivit *de Scriptoribus Ecclesiasticis librum unum*; in quo de 400. circiter Auctoribus Ecclesiasticis suum eruditum & sapiens exponit judicium, incipiens à Moyse, Scriptore Ecclesiastico primo, usque ad subsequentes, & sui temporis alios; cui brevem addidit Chronologiam ab orbe condito ad annum usque post Christum natum 1612.

12. *Aubertus Miræus* patria Bruxellensis, & Antverpiensis Ecclesiæ Canonicus primò, & ex Canonico posteà Decanus, *Joannis Miræi* Antverpiensis Episcopi nepos, vir eruditus & celebris, qui præter notitiam Episcopatuum orbis, Geographiam Ecclesiasticam, origines Ordinum Religiosorum ferè omnium, rerum Belgicarum Annales, ac erudita plura alia, scripsit insuper *Bibliothecam Ecclesiasticam*, necnon *illustrium Belgii Scriptorum elogia*, & obiit Antverpiæ anno 1640. ætatis verò suæ 67. Miræus.

His & aliis addi possent Auctorum Ecclesiasticorum collectores nostri temporis alii eruditi non pauci, quorum hìc parco nomini, quia scribunt adhuc hodie; sed eorum non parco laudi, quia laudanda scribere non desinunt.

Finis primi Tomi.